

AQVILA
IMPERII
BENEDICTINA
Authore
R.P.F. Gabriele Bucelino
Bc

AQVILA IMPERII BENEDICTINA

Cuius ordinatissima pennarum serie,
Monachorum Ordinis S.P.N. BENEDICTI
DE IMPERIO VNIVERSO
Amplissima & immortalia MERITA
Obiter, at distinctè, & graphicè adumbrantur.

AVCTORE
R.P.F. GABRIELE BVCELINO
Imperialis Monasterij Vveingarttensis, eiusdem Ordinis
Monacho Theologo.

In velamento alarum tuarum exultabo. Psalmo 62.

VENETIIS, M. DC. LI.
Apud Iuntas, & Hertz.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



Vera effigies B.^mæ Matris Admirabilis Virginis Benedictæ. quam S.P.N. Benedictus, puerili ætate, Romæ familiarius adamauerat; cultu Deiparæ meritus: Vt tam Diuinæ, ait B. Alanus de Rupe, monasticæ institutionis Author fieret et Fundator &c. De qua imagine fusius Gabriel Bucelinus, in Vita S.P.N. et Annal Bened.

IP. f.

VIRGINI MATRI
BENEDICTÆ
BENEDICTINI ORDINIS
Primæ à Diuino Spiritu
CONCEPTRICI GENITRICI
Eiusdem amantissimæ
FOTRICI. BAIVLATRICI. LACTATRICI.
Cui
Iam ante quam natus destinatus
In vtero matris PSALTES, infans minimè infans,
BENEDICTVS
Idem Benedictionis signa prius quam editus in lucem, edidit
Amorem cum lacte suxit
Virgineis vberibus à puero asueuit
Eaque toti Ordini, tantæ suæ,
Imo Matris potius Tantæ
Posteritati propinauit.
Tantus, quantus postea adoleuit
Inque Imperium Orbemque sese extendit vniuersum
Inexplicabili suo fieri meritus Amore MARIANO
Quanto ætate prouectior
Tanto magis sui Amoris infans
Cum toti Orbi loqueretur.
TANTÆ MATRI
OMNIS GRATIÆ ET BENEDICTIONIS
Cœli Terræque
IMPERATRICI AVGVSTISSIMÆ
AQVILAM IMPERII.
Omni iure suam, toties iuuentute AQVILÆ renouatam
Sibi & Nomini suo redditam

Et

Et vero maximè, in fine sæculorum,
Promissione Numinis, fauore tantæ Matris
Reddendam renouandam
BENEDICTÆ BENEDICTINAM
A se qualitercumque adumbratam
Eiusdem AVGVSTISSIMÆ transcriptam MAIESTATI
Imò
Vt sinu natam atque editam
Ita debitam ac propriam
Eidem infert
Dicat Consecratque
Tanti generis, vtinam non degener! pullus
Asceta MARIANO-BENEDICTINVS
Tui BENEDICTI Nominis
Etsi minimus, maximo tamen conatu,
Deuotissimus Cultor, si minus assertor.
Frater Magni tui Ordinis Minimus.
F. Gabriel Bucelinus.

FER-

FERDINANDO III.
ANICIO HABSPVRGIO AVSTRIO
PIO FELICI AVGVSTO BENEDICTO

Diuturnum in terris Imperium, æternum in cælis Triumphum.

F. Gabriel Bucelinus, Ordinis S. P. BENEDICTI Imperialis Monaſterij Vveingarttenſis Monachus.

A*Quila, ſua ſe ſpontè* TIBI *ſiſtit,* FERDINANDE AVGVSTE, *quo enim volet, aut velit, quam ad ſuum in terris Iouem, ad Cæſarem Princeps Alitum? Quæ præcipuum olim, à Tui generis Cæſaribus ſplendorem indepta, quantum à Conſtantino gloriæ, tantum à* BENEDICTO *(Anicio vtroque) gratiæ accepit, longè ſplendidiore, quam ſub primo Cæſarum, colore pulla,* cuius poſteriora, *prioribus illis longè anteferenda,* in ſplendore auri, *ipſa autem tota quanta eſt,* circumamicta varietate. *Inde* BENEDICTINA *dici voluit:* REDDITA SIBI, RESTITVTA OCCIDENTI, RESERVATA TIBI, TVIQVE GENERIS IN SAECVLORVM FINEM PROMISSA POSTERITATI; *totum id agente, & merente,*

cùm

cùm per se, tum per suos, TVI SANGVINIS PRINCIPE, ARCHIDVCE MONACHORVM *BENEDICTO. Quam quidem, cum ille Augustissima Martyrum filiorum suorum ornasset purpura, & quanto vnquam refulsit ornatu, splendidissimè amicisset,* PVLLA *tamen ipsa, vti cognato plumarum colore, sic & nomine* (*BENEDICTINA*) *videri voluit:* GRATA *nimirum, vt appareret. Nec ita à quocumque alio, quam à* TEIPSO *videri, & amari expetit; tanquam Tibi, quidquid in se est ornatus deberetur. Et vero debetur,* IVRE AVITO TVI SANGVINIS, *quando minimè meruisti* (TVA ET FERDINANDI *fel. Rec.* PARENTIS TVI IN SACRAM *BENEDICTI* FAMILIAM BENEFICENTIA) *vt à tanti, & cognati* ARCHIDVCIS, *communi ad omnem æternitatem* GENTILIBVS, *gloriæ & fortunæ participio excluderéris. Inuitatus ergo à* TVA AQVILA, *in ea* TVI GENERIS *merita, eadem lege, & ornamenta, & quod ad Te, tam longa temporum deriuatione spectare vides, ad ipsam quoque & seram* BENEDICTI *sobolem pertinere agnosce; quodque ipsa monebit* AQVILA, *hoc age, vt sentiant filij, quæ maioribus suis, pro tantis meritis debebatur gratia, in se quoque deriuari.* ITA DE TE SIBI ARCHIDVX COGNATVS TVVS, PARENS NOSTER SANCTISSIMVS, ITA ORDO VNIVERSVS, POLLICETVR, ET DIGNAM TANTO GENERE TVO, TANTI GENERIS TANTO TVTELARI, DIGNAM TANTIS MERITIS FORTVNAM, A *DEO OPTIMO MAXIMO* ANIMITVS, ITERVM ATQVE ITERVM APPRECATVR.

REVE-

REVERENDISSIMO

Illuſtriſsimoque S. R. I. Principi ac D. D.

ROMANO

Auguſtiſſimi Cœnobij Campidonenſis meritiſſimo Antiſtiti.

Principi, & Domino meo Clementiſsimo.

QVod Loth coniugi, reſpicere, fuit; mihi, non reſpexiſſe, nefas grande fuiſſet, cum Patriæ, etſi puer admodum præreptus incendio ac ruinis, trahente ignorantem immerentemque benefica propitij Numinis manu, in Italiam raperer, numquam non piè, non vt illa curiosè, reſpiciens, patriæ ac Principis mei fortunam miſeratus. Quibus, cum aliud non poſſem, quam ſalſas ſubinde dare lachrymas, excoctas illas pij amoris ignibus, in ſalis quoque ſtatuam contuli, grati in patriam ac Principem animi, qualecumque monimentum. Atque vtinam guſtu, gratius ac ſapidius dare potuiſſem, quale nunc ſtatuo, atque in lucem emitto, *Aquilæ Benedictinæ Triumphantis*. Quam cum primum redditæ ſibi ipſi (poſt tantam oppreſſionem) Germaniæ accepiſſem nuncium, deque Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ zelo Ordinis ſui Religioſiſſimo multa, & magna inaudiſſem, illico aptiſſimam iudicaui meæ interpretem gratulationis, quæ, quod non poſſet non eſſe gratiſſima,

eo quod BENEDICTINA esset, & Illustrissimam Celsitudinem Vestram, tanquam *QVATVOR-VIRVM S. R. I. ABBATEM PRINCIPEM*, propius ac proximè spectaret, tanto dignius, obsequium meum, pro mea indignitate, sua ipsa dignitate *AQVILA* compensaret commendaretque. Refert illa, antiquissima, Ordinis Augustissimi, de Imperio merita, ad quæ Illustrissima Celsitudo Vestra, *tamquam illustrius dignius q; Eiusdem AQVILÆ membrum*, totis animo viribusque connititur, conatu longè generosissimo, & verè, Principis Sacri, digno specimine, *SACRI ROMANI IMPERII*, quantum Tuarum est partium, verè *SACRI* ac *SANCTI*, sed & dignè Tuo nomine, & deriuata Romani sanguinis, ad fontes Rheni Nobilitate, verè *ROMANI* ac *GERMANI*, ipsis Sanctioris vitæ, & Germanæ synceritatis exemplis comprobandi. Ita Te Patriæ probas, ac Romæ, imo orbi vniuerso, dum Vrbi atque Tuo Ordini; quorum conatuum, vt paulo post fructu gaudeas, cum fructibus pacis, animitus apprecor; & verò etiam ominor, Tibi, & Patriæ ex his ipsis longæuam felicitatem, gloriæ æternitatem. Venetijs ad Iuntas, anno Iubilæo.

Illustriss.^mæ & Reuerendiss.^mæ Cels.^ni Vestræ.

Clientum vltimus, & deuotissimus

Iacobus Hertz.

LE-

LECTORI
Beneuolo S.

NE quæso iactantiæ tribuas, Amice Lector, quod ipsa dictauit, imo extorsit necessitas; quod vt constaret vniuersis, tanto simpliciore stylo prodimus, quanto simplicitas aptior est, quam quæsiti verborum colores, & fuci, astruendæ Veritati. Inualuit apud Sectarum primùm Authores, tum sequaces omnes, repetitum toties illud Apostatæ Lutheri, & vulgo plausibile factum: Monachos inutilia terræ pondera; *quasi vtilem patriæ atque orbi nauaßet operam impius, cum cucullum, & cum cutullo frontem, imò humanitatem exuisset, tot cædium, rapinarum, atq; incendiorum author, quotquot vidimus quidem vniuersi, nemo autem imaginari poßet, qui non vidit siue persensit tantum pondus calamitatum, & quasi immensitatem. Visi nihilominus periuri, & mendacissimi blateronis effatum sua sententia probare, sani sensus, & Sanctę Fidei homines nonnulli, quibus congeminatum tot vocibus Scomma illud, velut dictatum Veritatis, ita profundè animo insedit, vt quidquid iam de fama Monachorum detraherent seu rebus, DEO minimè irato facere, sed probante, viderentur.*

rentur. Quo factum, vt quorum vel maximè partium erat, Protectores, vt Aduocati dicebantur, agere Cœnobiorum, ij occasione vsi ad propriam libidinem, ad suos quacumque possent converterent vsus, rerum DEO sacrarum facti ex Protectoribus proditores, & protritores, non maiore fructu suo, quam damno eorum, quos bonis ac iuribus sacrilegè exuerant, cum quando vel maximè res suas augere visi sunt, & seris etiam nepotibus abundare, illo delusi somno impiorum, tanto sceleri securè indormientes, iuxta illud Vatis Regij: dormirent *quidem* somnum suum, *at* nihil inuenirent in manibus suis. Ps. 75. *sacro nimirum igne, & hæreditatem ipsorum omnem absumente, & iusta Numinis vindicta, hæredes quoque ipsos, omnemque posteritatem impiorum è medio tollente. Quo quidem tot maximarum familiarum interitu, dolendum est, illos etiam vel minimum quidem erudiri, & sapere, quorum vel maximè interesset, non ad casum referre, sed causam, sibique ac posteris cauere ab auri sacri nefanda siti, numquam, cui semel sapuerit, exsatiandæ, donec toti letheo illi flumini* (ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum) *æternum immergantur. Obtendunt autem (vti nulli non solent sceleri) vili bombyce pallium, & dum consuli aiunt, magnatum sæculi huius indigentiæ, consuli quoque iuratę monachorum paupertati, haud minore improbitate illudentes Numini, & Diuis Cœnobiorum Tutelaribus, quam Iulianus Apostata, qui eademmet accensus siti, sacra congeminans spolia, DEVM Diuosque aiebat, thesauris non indigere; quasi vero, quę semel sibi consecrata eßent, Numen non poßet, nec asueuißet vindicare. Jta Archidux Monachorum BENEDICTVS non centum siue sexcenta, sed Cœnobiorum multa millia perdidit, cum numquam non essent, qui malum pro bono redderent, & dum Seros tanti Patris filios, sua hęreditate exue-*

rent,

rent, honorem etiam tanti Tutelaris euertere, & confessurum cum tremendo Judice, iudicem exasperare atque irritare non vererentur; nulla nec eorum quibus fundata erant; nec quibus consecrata Cœlitibus, habita ratione, dummodo sui similibus satisfacerent, & excusarent factum, quod fecisse videbantur, dum Monachos incusarent. Querelarum præcipua erat: Inutilia esse terræ pondera, *acceptum ex ore tam frugi hominum, imò ab oraculo illius, dictatum, qui author est omnis iniustitiæ, calumniarum, & mendaciorum, cum tamen, etiam ijs, qui incusantur tacentibus, sed neque quoquam patrocinante mortalium, ipsi immortales, tot millia ex eodem Ordine, cælitum, non tam relictis ingenij innumeris monimentis, quam signis in hodiernam diem loquantur, & prodigijs, quantum non vna solum vel altera prouincia, sed Ordini BENEDICTI Patris tam Benedicto, debeat orbis terrarum vniuersus. Loquitur terra ipsa tot Martyrum nostrorum sanguine purpurata, tantis Apostolorum nostrorum sudoribus consecrata. Loquuntur ipsi quoque lapides, tot Cœnobiorum, Xenodochiorum, Ecclesiarum, & quidem Cathedralium, tot Scholarum, tot Bibliothecarum, à Monachis tot ante sæcula, primum condita bono publico ædificia, tantoque decursu sæculorum ab ijsdem seræ posteritati, immortali cum merito conseruata.*

Quæ tamen omnia, cum non aspiciant, siue videre nolint, quos vel ambitio, vel odium, liuor, atque æmulatio transuersos semel cœpit abripere, necessarium omnino duximus, cum parentis Sanctissimi, tum Fratrum atque maiorum omnium famam, & quantum in nobis esset, etiam fortunam, & hæreditatem vindicare, comprobataque tot Principum Regum, Imperatorum, Romanorum Pontificum litteris, & diplomatibus, tot, adeoque diuersis vti illustribus, toto orbe monimentis, Monachorum merita, ad compendium

quoddam referre, simulque posteris omnibus demonstratissimum reddere, quantæ temeritatis sit, Tanti nominis Diuo, Monachorum Patriarchæ Sanctissimo, singulari Numinis benedictione, instar Abrahami in generationibus suis multiplicato, de illa ipsa DEI benedictione detrahere, & tot sæculis inter tantarum Hæresum procellas, perdurantiâ nominis eiusdem, & gloriæ monimenta tanto post euertere, simulque tot Regum, & Principum Fundatorum supremam voluntatem; liberrimamque de rebus suis dispositionem cassare, & contra ius Diuinum ac naturale, seros illorum filios, sua hæreditate, qui tanto sudore, & sanguine, tot gentium conuersione, adeo legitimè his quasi partis spolijs, ditati, perennare vtique nomen suum in posteris suis meruere, plus quam sacrilegè spoliare; quos potius, siquid à maiorum degenerassent Nobilitate, ad eadem exstimulari, imo bonorum Principum, & Pastorum zelo atque industria, cogi oportuisset; ne ipsi etiam Cælitum honori, quibus tot debebantur nominibus, tot consecrata sæculis erant, quidquam detraheretur.

Hoc ipsum, nec quidquam aliud, in hoc sæculorum præcipitio, præcipitanti non tam suo quàm alieno scelere Ordini, consulere nos impulit, eiusque auitam tueri gloriam, atque amplissima, cùm in Annalibus nostris de toto orbe, tum in AQVILA hac BENEDICTINA, de Imperio merita, succinctè, quidem paulo tamen distinctius explicare. Ne autem illud ijdem, qui de nobis queruntur, congeminent:

Laudamus veteres, & nostris vtimur annis

Consimili, seruandi honoris Benedictini zelo, BENEDICTVM REDIVIVVM repræsentare orbi placuit, quo Eiusdem Ordinis, nostra etiam, & proxima superi sæculi ætate immarcescibilis vigor

ac viror, anniuersaria vernantia ac fragrantia, toti orbi comprobaretur, eoque cum Sacri tum prophani Principes excitarentur, non tam proprio, quàm maiorum atque antecessorum suorum honori consulere, & inter tot enascentes Hæreses, antiquissima hæc tot Hæresum triumphatæque Gentilitatis ac Barbariei Trophæa, ad dignitatem patriæ atque Ecclesiæ, tueri, & conseruare, eosdemque, qui tot beneficijs, & prodigijs demeruere Imperium, suosque maiores, sibi etiam Patronos conciliare, ne dum pulcherrima hęc priscę pietatis pessumdant, siue ad alienos conuertunt vsus, monimenta, cùm Sanctorum, tùm parentum suorum cineres, ingrati prorsus, auitęque immemores gloriæ, exsufflare videantur. Hęc paucis prefari volumus, simulque nostros pro Ordine conatus Beneuoli Lectoris gratię commendare.

Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi,& magnificabo nomen tuum, erisque BENEDICTVS.



Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersę cognationes terræ. *Geneseos* 12.

AQVILA IMPERII BENEDICTINA.

REGNORVM fasces, auito & hæreditario plerosque Regum iure capere, nonnullos propria virtute parare, siue meritis mereri, vti æterna exemplorum ad hanc vsq; diem serie est manifestum, ita certum, eos longè cæteris & gloria, & auctoritate antestare, quibus vtroque titulo Magistratum deberi, cùm vetustissima Maiorum exigant merita, tum propria, eaq; & multa & maxima, conuincant, demonstrentq;. Ita BENEDICTO Archiduci nostro fasces Vrbis atque Orbis deberi tanto facilius euicerim, quanto antiquiore iure ac meritis Augustissimam eiusdem familiam Aniciam, quantoq; amplioribus absq; comparatione & spectatioribus beneficijs ipsummet, serosque eiusdem sanguine & spiritu posteros, Vrbem eandem atque Orbem terrarum vniuersum, Romanum quam maximè Imperium comprobauero obstrinxisse. Illud, vtpote remotum, & quasi in alieno, maiorum potius virtute, quam propria, situm, magni nihilominus à plerisq; factum, & omni amplissimarum opum hæreditate, ipsis sæpe Imperijs potius habitum, paucis attingo, ita tamen, vt tanta innuam, quanta, nulla vnquam satis posteritas demiretur, imitetur nemo, vel ipso iam olim Claudiano teste:

Diuersis titulis Regnū aditur.

Omni titulo debetur BENEDICTO

Maiorum gloria magni etiam fit in posteris.

Nec

Anicia familia dignitas.

Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu
Se iactare parem: sed prima sede relicta
Auchenijs; de iure licet certare secundo.

adeò quidem, ob ipsum tantæ familiæ splendorem, eo inclinatis populi studijs, vt in ea, *aut nullus*, verba Diui Hieronymi sunt, *aut rarus esset, qui non meruerit Consulatum*. Namque ait citatus Poeta:

Vix Anicius aliquis qui non Consul.

His neque per dubium pendet fortuna pauorem
Nec nouit mutare vices; sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcumque requires,
Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci:
Per fasces numerantur aui, semperque renata
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili seruantia lege tenorem.

Claud. in Panægyrico ad Olybriũ, & Probinũ.

adeò item, impatienter, vt ita dicam, eodem populo legitimam ad capessendos summos honores, Principum tantorum ætatem expectante, vt nec expectaret, quin in primo etiam adolescentiæ flore (memorabili sanè, & inaudito penè ad eam diem exemplo) Anicijs, Hermogeniano, & Probino, germanis fratribus, simul vno, ac eodem anno, & die, atque altera quidem vice (ne tepuisse vnquam studia putes) Consulatum deferret. Quo eodem postea consensu, alterum par fratrum, Anicium Symmachum, & Anicium Boetium, nondum pueritiæ fines egressos, ad honorem eumdem rapuere. Vt auitum Vrbis, atque Orbis Imperium, etiam cum suprema rerum potestas penes Consules solos esset, communi populi voce, singulari generis prærogatiua, vsuque ac consuetudine maiorum suorum perpetuis, Benedicto Archiduci nostro, ipsa perpetui ferè honoris in singulos deriuatione, successione penè hæreditaria deberi videatur.

Populi studia.

Memorabile exemplũ

Ius ad Imperium auitum.

Illud supra omnem Consulatus, supra ipsam supremam Imperij Romani dignitatem, primum qui è Consulibus Christo nomen dederit, ex Augustissima illa Anicia gente, Benedicti nostri maioribus fuisse, eumdemque non fasces solum suos Regum Regi subiecisse, sed & primum eo ex Ordine, æternis illis, superæ Romæ, cælestis Hierosolymæ Triumphis lauream intulisse, supremam

I. Consul Vrbis Christianus ex Anicijs.

premamque illam ante Cæsares olim, proximam postea dignitatem gloriosissimi sanguinis sui purpura insignisse. M. Anicium Acilium Glabrionem V. C. dico, quem eo titulo merito æternum suspicit Roma, merito Ecclesia Dei vniuersa veneratur; vt si nullo alio nomine, eo vno longè dignissimum celeberrimumque Anicium Magni Archiducis nostri BENEDICTI genus habeatur.

Idem Consulatū Martyrij laurea coronat.

Sed quantum, quod, quæ familia *primum Vrbi Christianum* dedit *Consulem primum* orbi etiam dederit *Christianum Imperatorem*? Fuit is Flauius Anicius Constantinus Maximus Imperatorum omnium longè Augustissimus, Noui Imperij Orientalis, eiusdemque Metropoleos Constantinopolis à se cognominatæ Illustrissimus conditor, à quo deinceps bicipitis Aquilę Insignia, Imperium Orientis, Occidentisque signantia, Cæsaribus posteris perpetuo vsu propria mansere. Cuius quidem vnius Principis de orbe terrarum vniuerso, imò cælis ipsis. Si fas sit dicere, merita, si enumerare, si expendere aggrediar, iniurius ipso ausu, in sanctissimi Imperatoris nomen, ac famam haud immerito videar, qui ad pugillum cogere ausim, quibus ille Orbem impleuit, sæculorumque posteritatem omnem defixit admiratione. Illud vnum innuisse iuuerit: Idololatriam potentissimè profligasse, Christi Regnum ad Orientem, Occidentemque Solem propagasse, Tropheum Crucis Dominicæ, salutis nostræ thesseram in ipso vertice Diadematis Regij, atque Imperatorij collocasse. Vt hunc Anicij generis solem, vniuersa Christiani nominis, & pietatis posteritas, tamquam primum gloriæ suæ Assertorem haud immerito æternum suspiciat, deprædicetque, Romanæ inprimis Ecclesiæ auctoritate, & maiestate, eorundemque sanctissimorum Pontificum dignitate ab eodem mirificè aucta, & sublimata, quorum ille honori consulens, augustissimum suum Lateranense palatium cessit, eoque tam illustri facto, & magnam Pontificiæ sedi auctoritatem conciliauit, & insigne successoribus Cæsaribus honorandæ Diui Petri Cathedræ atque exornandæ exemplum reliquit; vere MAGNVS cognomento Imperator, Christiani nominis Imperatorum, vt primus tempore, sic generis, & vitæ dignitate, præclareque gestorum, ac illu-

Prim' Christianus Imperator ex Anicijs.

Aquila bicipitis insignia Imperij vnde?

Merita Fl. Anicij Constantini Magni Imper.

Idololatria profligat.

Signū Crucis exaltat.

Ecclesiā Roman. eiusq; Pontif. demeretur.

Vere Magnus Imperator.

ac illuſtrium meritorum, incomparabili magnitudine, & celebritate.

M. ANICIVS ACILIVS Glabrio Vrbis Conſul A.C. 93. Primus Conſulum Roman. Chriſtianus, & Martyrio coronatus.	*FLAVIVS ANICIVS Conſtantinus Maximus Imp. Aug. A.C. 306. Primus Imperatorum Roman. Chriſtianus, Orientalis Imperij Conditor.*

Proximi ſãguinis neceſſitudine S. P. N. Patrono qui,

Iuſtinus Imperat. quãtus.

Iuſtinianus I. Imp. Aug. Legũlator.

[S]plendor ex [co]gnatis S. N.

Et hos quidem altiore, ſeu antiquiore auiti ſanguinis iure maiores Benedictvs; propinquiore, imò proximo, nec imparibus de Imperio, deque orbe vniuerſo meritis, cognatos Auguſtiſſimos, Anicium Iuſtinum ſeniorem Imper. Aug. (quem, Orthodoxo Principi infenſiſſimus Zacharias Rhetor, obſcuro genere natum primus ſcribere eſt auſus, eique multa indigna affingere,) & Iuſtinianum Magnum Cæſarem, patruelem habuit; quorum ille, diuinitus ad Imperium aſſumptus, Eccleſiam Dei denſiſſimis Hæreſum tenebris obuolutam, & Hæreticorum Imperat. Zenonis, & Anaſtaſij machinis prope conuulſam, in Orientis maximè partibus, rurſus ad priſtinam lucem reuocauit, in integrum reſtituit, pacemque eiuſdem, ac libertatem diu exulem, quaſi poſtliminio reduxit: iſte autem LEGVMLATORIS, Imperialium Conſtitutionum Codice conſcripto, ac promulgato, longè glorioſiſſimum titulum meruit, eoque non tàm nomini ſuo, cæteroquin longè Auguſtiſſimo, quàm Imperio vniuerſo, vniuerſæque tot ſæculorum poſteritati æternum conſuluit. Vt quantum à ſolis, tàm paucis, quos è tanto numero meritiſſimorum, & maiorum, & cognatorum deprompſimus, ad Benedicti ab genere tanto ſplendorem acceſſerit, faciliùs ominemur, quam explicemus.

ANICIVS IVSTINVS SENIOR Imperator Auguſtus. Hæreſum Triumphator.	*ANICIVS IVSTINIANVS I. Magnus Imp. Aug. Imperij Romæ Legumlator.*

Sed

Sed ipſos iam magni Archiducis noſtri Natales, dehinc merita inſpiciamus, cuius proximam generis dignitatem, quatuor, vt vocant, maiorum probationem, nulla noſtra coniectura, ex diuerſiſſimorum Cænobiorum vetuſtioribus monimentis, & picturis temporum iniuria penè euaneſcentibus, ſubijcimus.

Probatio generis ex maiorum nobilitate.

INSIGNIA EVPROPII ANICII Patris B. BENEDICTI.	*CLAVDIAE ABVNDANTIA Domina Nurſia &c. Matris S.P.N. BENEDICTI.*
Leo argenteus in campo purpureo, Aniciorum Proborum.	Turris argentea in ſcuto cæruleo defluente tranſuerſim riuo argenteo cum duabus arboribus aureis.
INSIGNIA ANICII Iuſtiniani coniugis Flauia paterna S.P.N.	*INSIGNIA AVIAE S.P.N. ex Matre Montisferrati Domina.*
Leo aureus in campo cæruleo.	Aquila argentea in campo rubeo.

Inſignia parentum & auorum S.P.N.

Et quia plurimum etiam iuuabit, ad penitiorem generis cognitionem ſtemmatographiæ partem aliquam cognoſcere, talem breui tabella inſerendam ſimiliter cenſuimus.

GE-

GENEALOGIÆ ANICIÆ RAMVS
Ex quo ortus Monachorum Archidux BENEDICTVS.

Flauius Anicius Iustinus II. Imperator Augustus.

S. Anicius Maurus Probus Discipulus S.P.N. & Abbas.

Anicia Proba Anicij Germani III. Vxor.

Fl. Anicius Germanus Probus Vxor Charito fil. Tiberij Imp.

S Anicius Placidus, & Fratres, ac Soror Martyres.

Anicius Æquitius Probus V.C. Vxor Iulia.

S. Anicius BENEDICTVS eiusq; soror S. Scolastica.

Fl. Anicius Iustinianus Probus Imperator Aug.

Anicius Germanus Iunior Vxor Matasuenta Reg.

Flauius Anicius Tertullus Iunior Vxor Faustina.

Anicius Probinus Vxor N. Soror Anastasij Imp.

Anicius Eutropius Probus V.C. Rom. Exerc. Imp. Vx Cl. Abundãtia.

Anicius Germanus Sabbatius Prob. Vxor Cosmiana soror Iustini Imp.

Anicius Tertullus Probus Cogn. senior.

Flauius Anicius Olybrius Imp. Aug. à quo Habspurgij Perleones deducuntur.

N. Anicius Probus Sexti Anicij fil.

Anicius Iustinianus Probus V.C. quem malè nonnulli cum Imperatore confudere.

Sextus Anicius Hermogenianus Olybrius V.C. Vxor Fura Camilla.

Sextus Anicius Petronius Probus cognomento Iunior V.C. Anño 406.

SEXTVS ANICIVS PETRONIVS PROBVS V.C. Cogn. Senior. Vxor Anicia Faltonia.

GE-

Tanti proin generis propago, tantorum Consulum, Cæsarum, ac Martyrum proles BENEDICTVS, tantum abest, vt de auita quidquam gloria maioribus suis cesserit, vt eorum omnium longè superauerit, & immensis, vt sic dicere liceat, atque innumeris meritis merita auxerit, quam tanti nominis famam, per orbem terrarum vniuersum, vltra columnas Herculis, ac Macedonis, omnesque Imperij Romani fines protulerit, ad cœlum vsque, & supra cœlos euexerit. Et quidem, quod Imperatorum obtigit nemini, soli Regum Regis, Dei hominis cognato, Ioanni Baptistæ concessum fuit, magnificentiam suam, præter communem hominum sortem in matris suæ Illustrissimæ vtero prodidit, & quem à ploratu infantuli vix nati, mundi huius ingressum inchoant omnes, ipse faustissimi ominis cantu præuertit, atque admirabili cognatorum congratulatione, auspicatissimum Io, cumque voce TRIVMPHVM in orbem intulit, vt haud immerito, quod Solymæi olim ciues Christo Vrbem ingresso, toties congeminata voce *Benedictus qui venit*, acclamarunt, huic orbem subintranti, parentum, procerumque cognatorum concors votum, idem ipsum (Probi, Pij, Felicis, Augusti, auiti nominis iure longè augustius,) BENEDICTI nomen imponerent, quo ipse nouæ deinceps familiæ propagator Anicij stemmatis germina omnia, Iulium, Flauium, Probum, Olybrium, Perleonium, numero, flore, felicitate, perpetuitate, quam longissimè exsuperaret. Erat tunc afflictissimus Christiani orbis status, feruentibus vndecumque malis Orientem Eutichiana hæresi, Occidentem Gotthis, Alanis, Vvandalis, Cattis, Sueuis, Pictis, Saxonibus, Scotis pessumdantibus; vt, quod de patre suo Magnus ille Macedo, minimè queri posset, non relictam sibi vrbem quam subigeret, seu triumpharet, cum huius fortunæ orbis vterque relictus esset, non tam humanis, atque Augustis, quàm prodigiosis prorsus, atque Diuinis, (concessa à Summo Numine potestate) Imperatoris nostri BENEDICTI viribus felicissimè expugnandus.

Longè celebrior omnibus maioribus suis BENEDICTVS.

Mirus, & triumphalis in orbem S. P. N. BENEDICTI ingressus.

Vnde Benedicti nomen?

Nouæ familiæ conditor.

Orbis communis calamitas.

Quantus triumphator?

Fecit Triumphi, & quidem obstupescendi, prima ætate initium, cùm vix annos natus quatuordecim, vniuersi huius angu-

Mirus pilæ lusus.

ſtias animo auerſatus, puerili velut luſu vt pilam abiecit, quod Alexander, quod Iulius tanquam tantæ molis machinam, maiore ambitione quam virtute aggreſsi, vix partem aliquam tanta molitione, ac virium contentione in poteſtatem redegere. Exſufflauit vno anhelitu triumphator noſter, quantum vniuerſa illorum ambitio, non tàm ambijt, quàm cogitauit, & cum

Mundi cōtemptus.

auita maiorum omnium gloria, ac fortuna, quæ mundus poſset maxima omnia offerret, hunc ille, *quaſi aridum*, Magno Gregorio noſtro teſte, *cum flore deſpexit*, ab eoque ſtupente, & complorante Vrbe atque Orbe ſeſe repente abripiens, ducentibus Spectabili forma Angelis, quærentium omnium induſtriam mirè eluſit, & auguſtiſsimum corpuſculum prælijs, quæ meditabatur præparans, admirando potius, quam imitando rigori addixit, inediaque, vigilijs, auræ, ac tempeſtatum iniurijs, tantis, quantis ab orbe terrarum condito, nemo militum, nemo Imperatorum, multo annorum decurſu conſtantiſsimè aſuefecit.

Imperatoris pueri exercitia.

Memorabile illud generoſiſsimi animi pluſquam magnificum argumentum, cum ab eodem, quo priſcæ gentilitatis Reges, Imperatoreſque omnes, Victores ipſi victi ſunt, hoſte laceſsitus, laſciuioris nimirum carnis libidine tentatus, nulla, vt vinceret, vulnera perhorreſcens, in mille ſeipſum ſpicula induit, attonitoque rei miraculo hoſti, abiecta veſte omni, nudus occurrens, cum Auguſtiſsimæ domus delicias, & Romani luxus lectiſſima quæuis, hoſtis ſponderet, in horridiſſimum ſeſe ſenticetum induit, *ibique*, teſte Gregorio, *diu volutatus, toto ex ijs corpore vulneratus prodijt*. Quo quidem inuictiſſimi iuuenis facto, Triumphator ille Magni Macedonis, Hoſtis, adeò conſternatus abſceſſit, vt de omni, quo Victores orbis ſubegerat, conatu deſperaret, neque deinceps vnquam congredi præſumeret. Suſpexit Triumphi tanti aream, tantopere Seraphicus ille Franciſcus, vt eo peregrinationem ſuſciperet, & ſenticetum religioſè colens, reuerentiſſimè adoſcularetur, quo intuente, ac contrectante, illico ipſum (ſtupenda res!) in roſas erupit, & inſigni prodigio, partæ ante ſeptingentos, & amplius annos victoriæ tàm illuſtris argumentum edens, peregrinum ſanctiſſimum mirificè recreauit, atque ſuccendit.

Nudus cū hoſte congreditur.

Mira Auguſtiſſimi in vuenes victoria.

Inſigne prodigium.

Labo-

Laborauit strenuè Magnus ille re, & nomine Constantinus, orbem vt Christo subiugaret, retulitque de hoste Triumphos tantos, quantos æterna sæculorum posteritas demirabitur, nouo Imperio condito felix, & Trophæo Crucis erecto, quod ipsum, vt Regum Regis proprium, sic pietatis, sic Triumphorum Constantini omnium æternum esset monimentum. Laborauit, inquàm, plurimum, triumphauit sæpè de iuratissimis Christi hostibus Constantinus, vt tamen euerteret omninò hostile imperium, inaniumque Deorum cultum profligaret, non potuit, cum ad munitiora se recipiens loca hostis, in Principe orbis prouincia Italia pedem etiamnum figeret, & à morte maximè tanti Imperatoris vires facilè resumeret, nouisque victorijs superbus, Imperium funestissimum denuo propagaret. Laborarunt Principes deinceps non pauci, Maximi cum primis Vrbis Orbisque Pontifices; nec potuere, quin summa vi denique compulsus ille, ad munitiora se, & populi fauore, & sacrilegæ superstitionis celebritate, loca reciperet, indeque latè erumpens, funestissimæ seruitutis iugo plurimos premeret, occasionique cuicumque intentus, vicinis quibusque insidias strueret, quoad dignus hic Constantino Nepos, decreti à Numine Triumphi, atque Apostolatus occasionem arriperet, atque inexpugnabile eousque potentissimi hostis asylum, & propugnaculum, Casinum scilicet (quo se Christi anno quingentesimo vigesimonono, ætatis suæ nono, & quadragesimo Imperator noster contulerat) expugnaret. Militibus siquidem suis, quorum iam plurimos, & è cognata gente, Romanaque præcipua nobilitate conscripserat, ne Apostolico exemplo Dux tantus deesse videretur, ante omnes ipse, in oculis vniuersi huius, spectatissimo loco, & area, hostem consequutus, atque aggressus, ipse prædicationis munere (quod Monachis nonnulli negare ausi sunt) insigni felicitate functus, caput suum, siquidem Numini visum, gentilium furori libens obiecit, & Fortem Armatum, (qui se, vniuersa iam Italia proscriptus, Casinum, velut in munitissimam impietatis arcem, atque vnicum denique suum præsidium, atque asylum receperat) Fortior ipso superueniens, prorsum debellauit, atq; gloriosissimè obtriuit; dæmonum aras, & simulachra, dicatosque passim inanibus Dijs lucos, & quidquid vspiam per eas regiones

Constantini fortuna, & progressus.

Aliorum item.

Nostri Imperatoris lõgè maior virtus.

Casinũ expugnat.

Casinum olim vnicũ Principis tenebrarum perfugium.

nes superstitionis videbatur, funditus euertit, ac Casinatem tractum, omnemque illam viciniam, ab agresti cultu, & impia Deorum veneratione, ad humanitatem, & Christiana sacra traduxit; atque ea parte, qua Apollinis aram, ac statuam euerterat, S. Ioannis Baptistæ excitans, templum impurissimi Clarij, Magni Turonẽsium Pontificis Martini honori nuncupauit. Ita locus olim celeberrimus, frequentissima, & ornatissima Vrbe (quam, *nobilem Romanorũ Coloniam*, Liuius, *Illustrissimam Latinorum Ciuitatem* Strabo, appellant) egregiè cultus, Marci præcipuè Varronis illustri domicilio, & Amphitheatro Tullio Ciceroni commendatissimus, singulari Numinis prouidentia, ac beneuolentia lectissimo Archiduci nostro reseruatus est, *quo nimirum nemini post Beatos, & primos Christi Apostolos secundus*, eiusdem Collegij Apostolici Principibus Petro, & Paulo, in præcipua Europæ, imò Vniuersi portione ITALIA, pari legatione, & functione succederet, eamque Prouinciam, quæ cæteris longè obstinatior (vtpotè, quam plures Sanctissimi Episcopi, inprimis Magnus ille Seuerus, de re Christiana optimè meritus, assidua prædicatione crebrisque miraculis conuellere nequiuerint,) longo sanè errore multò pertinacior, sua denique constantia, atque auctoritate, Vltimus Italiæ Apostolus Triumpharet.

Idololatria ibidem à S. P.N. profligatur. *Casini vetustissima Vrbis laudes.* *Insigne elogium S.P.N.* *Obstinatio Casinatum* *Vltimus Italiæ Apostolus S.P.N.*

Condidit eo quamprimum loco Princeps militiæ Propugnaculum, ex quo Principem tenebrarum tàm potenter exturbauerat, confluxitque paulò post tanta militum sub signis eiusdem copia, vt *perfectorum Monachorum*, Fausto discipulo oculato, & Sancto teste, multa iam millia recenseret; Quibus ille, ne sine disciplina in licentiam defluerent, Legem condidit, Numine ipso teste, in finem vsque mundi, summo cum vniuersi huius bono duraturam; Regulam scilicet, non hominis ingenio excogitatam, sed *Diuino docente atque ostendente Spiritu* manu sua descriptam, *Discretione præcipuam*, *sermone luculentam*, quæ exinde immensitatem quandam bonorum terris, atque infinitum quasi Sanctorum numerum Triumphantis Ecclesiæ exercitibus aggregauit; de qua nonnemo de re Christiana meritissimus, magnique nominis Theologus, affirmare sit ausus; *Post Sacrosancta Romanæ Ecclesiæ Sacramenta, nihil bono vniuersi*

Princeps militiæ nostræ propugnaculum. *Legislator.* *Insignis Regula S.P.N. cõmendatio.*

vniuersi maiore, hac ipsa Regula, videri institutum. Qua sanè gloria, Sanctissimus, & vt Diuus Stephanus III. Pontif. Max. appellat, *Vniuersalis Legislator*, Magno Iustiniano Imperatore, fratruele suo, etiam multo superior, quos ille conditis, collectis, ac compositis Legibus, à feritate ad humanitatem traduxit, ipse ex hominibus Angelos fecit; cœloque ipsi suspiciendos reddidit, quibus nimirum Summus ille rerum arbiter, vicariam in terris potestatem, vltra centies, Caietano nostro teste, concesserit, adeò vt septingentis omnino annis Christi Ecclesia à solis ferè Monachis regeretur, adeò radiante atque collucente prodigiosis virorum Illustrium luminibus infero hoc orbe, vt superi illius Firmamenti Sydera, huic omninò immigrasse viderentur.

Legislator vniuersalis S.P.N.

700. annis nostri Ecclesiam regūt.

Nouum Firmamentū.

Attonitus tanti Dictatoris Triumphatorisque fortuna, ac successibus Bonifacius eo nomine Secundus Pontifex Maximus, eum per occasionem Generalis Concilij Romam euocauit, cæterosque inter Christiani orbis Pontifices considere iussum, summo honore, atque affectu coluit, & quod à sacra eius militia summum sibi, Vrbi, atque orbi præsidium ominaretur, præsidiarios plures, quam Hormisda iam impetrauerat rogauit, & meruit, adeò quidem, teste doctissimo Raulino, *Roma tunc vigente calestis patria desiderio, vt omnes Ecclesia, Titulata, atque Collegiata*, (res admiratione immortali dignissima) *Monachales facta sint. Quin imò, Beati Petri Ecclesia, tribus cum Monachorum Collegijs, & eorum frugi vita adornaretur &c.*

Interest S.P.N. Concilio Romano.

Roma tota Monachalis

Neque Roma sola, siue Italia auxiliares eiusmodi copias ab Imperatore nostro Benedicto tàm diligenter, quàm enixè expetijt; missis remotissimo ex orbe Legationibus, idipsum potentissimum quoduis Regnum efflagitauit, eaque inter Maurum Gallia, Placidum Sicilia, Sardinia Vidrianum, Raynerium, Florum, impetrauit; quin, & ad Oceanum vsque Cantabricum, & Fretum Herculeum nostri Archiducis se beneuolentia, & fauor exporrexit, Hispaniasque, ac Portugalliam lectissima Monachorum Colonia beauit, Euphemio scilicet, Exuperantio, Adelphio, Exuperio, Venantio, præstantissimis Ducibus, qui conditis paulò post munitissimis per ea Regna

Auxiliares copiæ à S.P.N. in orbem submissæ.

Ad Fretum vsque Herculeum suos destinat.

Ingentes eorum Triumphi. Propugnaculis, totos aduersum Christi hostes exercitus produxere, monstra inferi plurima, & Hæreses diuersissimas immortali cum merito profligauere, Ducibus illis plerisque ad eminentissimas Prouinciarum Cathedras euectis, & à morte inter *Tutelares Regnorum Diui.* Tutelares Regni Diuos haud immerito cooptatis; qua quidem felicitate, omnem illam Regum, & Cæsarum priscæ superstitionis DIVORVM inanem, & stultam arrogantiam superauerunt, indelebili nimirum charactere in libro illo Vitæ inter DIVOS inscripti, cœlo, terrisque æternùm venerandi. Meruerunt,& aliæ deinceps Prouinciæ, in Illiricum, & Orientem statim *Ingens exercituum nostrorum vis* ipsum effundentibus se cohortibus nostris, ac dimanante è Prouincia in Prouinciam gratia: alicubi tàm locuplete, qualis in Scotia maximè redundauit, & Hibernia, vt Cadmæis veluti è dentibus nati, ac renati exercitus, inde se denuo, incredibili penè, ac prodigiosa fœcunditate, in amplissimas Galliæ, *Purgantur amplissimæ prouinciæ.* ac Germaniæ Prouincias diffunderent, & quidquid vspiam superstitiosum, impium esset, ac barbarum, mira felicitate expugnarent, atque euerterent.

Cœterùm, ne quis opinetur, sacro hoc solum bello, & (vt vo- *Alij exercitus obtriti.* camus sacri,) *Spiritualibus armis*, valuisse Imperatorem nostrum BENEDICTVM, de triumphatis inuictis cœteroquin Regibus, & armatis ferro exercitibus, pauca è multis referemus.

Admirandum illud æternis sæculis virtutis, potestatis, atque maiestatis exemplum, quo grandem illum vniuersi terrorem *Memorabile Triumphi genus.* Totilam Regem deiecit, ita quidem, vt solo aspectu Imperatoris nostri, Tyrannus superbissimus, in terram deiectus, nec erigere quidem se, etiam cum bis terque iuberetur, prius auderet, *quam* BENEDICTVS *Christi famulus, per semetipsum di-* *Totilas Rex deiectus.* *gnatus est ipsum de terra leuare*. Cuius plena Imperatoriæ Maiestatis verba, recitat Gregorius: *Multa mala facis, multa mala fecisti; iam aliquando ab iniquitate conquiesce: Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis* *Supplex Sanctissimo Patri.* *regnans, decimo morieris*. Profecit plurimum exhortatione apud victum, supplicemque Admirabilis Triumphator noster, si nulla porrò re alia, de vniuerso, de Italia, deque vtriusque capite Roma longè meritissimus; equidem *his auditis*; pergit Gregorius, *Rex vehementer territus, oratione petita, recessit*;

atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit &c. Imò Baronio teste, Benedicti *monitis redditus mitior, vt eiusmodi humanitatis non solùm, sed & continentiæ exempla ederet, vnde factum, eius vt nomen, vt sapientiæ, ita, & benignitatis, celebre apud Romanos iam esset, & maximi fieret.*

Mira mutatio cõgressu S. P. N. in Totila.

Neque minus Benedicto, quam Roma, & reliqua Italia, debet vrbs opulentissima, & amplissimum Regnum Neapolis, quorum potitus idem Totilas, victoria modestissimè vsus est. Cuius causam rursum assignans Baronius: *Quod verò*, ait, *Totilas, tantam præstiterit superatis humanitatem, non parcendo tantum, sed alendo, & commeatum eis prabendo, vt nec aliquis propinquorum, vel intimorum amicorum, talia illis officia exhibere valuisset, planè apparuit, quantum ex Sancti* Benedicti *congressu, atque monitis barbarus profecisset, effectus insuper summæ Iustitiæ cultor, cùm videlicet in armigerum suum animaduertit, quod Virgini vim intulisset, cui, & morte affecti armigeri bona dari voluit &c.*

Meritissimus de Roma & Italia S. P. N.

Idem de Regno Neapolis.

Expertus ante Totilam Protospatarius eiusdem, quantum in vultu Benedicti maiestatis, quantum in voce tonitrui esset, cùm velut fulmine prostratus, cum omni stipatorum frequentia manus daret, nunquam ad Archiducem tantùm, nisi supplex reuersurus, qui Archiducalem potentiam ante riserat, & illusurus venerat, mirè ipse delusus, consternatus, abiectusque.

Deijcit S. P. N. Protospatariũ Regis.

Sic & Gallam Totilæ Ducem efferatissimum hominem, minarum & destinati mente sceleris plenum, adequitantem, sedens compescuit, & ad terram elisit, rusticumque ab ipso ligatum, & ad caudam equi tractum, solo intuitu (quod de Imperatorum nemine vnquam auditum fuit) mirè dissoluit, & libertati restituit; vt obstupescens eiusmodi super triumphis Gregorius, prodigiosissima talia, ab eodem (singulari planè eminentissimæ Sanctitatis, & gratiæ argumento) *non prece (*quod alijs concessum Diuis,) *sed potestate* facta, haud dubitet asseuerare.

Item Gallã efferatissimum Ducem.

Mira potestas.

Longè insolentius illud, & Regibus nostris planè inconcessum, etiam à morte, haud aliter, atque in vita, imò, & potentius, & frequentius triumphare.

Etiã à morte triũphat.

Vt

Vt enim de seruatis pari potestate alijs Prouincijs, de mersa Abarum sedecim millium classe, qui in nepotem eius Placidum nequiter sæuierant, nihil porrò dicamus, quæ dum in viuis ageret potenter gesserat, liceat alia, & quidem obiter solum commemorare.

Diuersæ inũdationes Germaniæ, & Europæ.

Nouit diuersissimis quibusque sæculis Europa vniuersa, quantis calamitatibus, cladibusque, teterrimâ diluuij oppressione, multoties sit inuoluta, cùm nunc Vngarorum, siue Hunnorum, mox Danorum, ac Normannorum, rursus Suecorum Gotthorumque, Saracenorum denique plus quam belluina ferocia, & immani iniuriarum omnium tempestate quateretur, & euerteretur. Et experti, eheu! nouissimo hoc sæculo sumus, tantis cladibus reseruati, quantam nulla antiquitas videatur persensisse, vt consilij inopes, hostium multitudine, amicorum paucitate, militum prauitate, domesticorum perfidia, consilij inopia, rerum omnium desperatione, doloris magnitudine circumuenti, oppressi, exhausti, merito in sublime demum oculos attollamus, & vetustissimo maiorum exemplo, inde solum opem, vnde illi inuenerunt, & ipsi expetamus.

Postrema nostra.

Maiorum exemplo sapiendum.

Præuidit calamitates eiusmodi omnes, suprema modo in specula constitutus, vigilantissimus Archidux noster, & memorabili sanè optimi Ducis exemplo, sæculis singulis clades eiusmodi, & signo quidem manifestissimo prænunciauit, Italiæ inprimis Imperij, orbisque ocello, fidelissimæ monitionis argumenta obtrudens, quando experimentis tot sæculorum, atque ætatum probatissimum, ac testatissimum est, Sublacense primum illud Tyrocinij Augustissimi nostri Imperatoris domicilium, & antrum (*quod qui viderint*, ait nobilis ille vates Petrarcha, *vidisse quodammodo Paradisi limen credunt*) prodigiosissimo, vt æterno miraculo, Manna quoddam, per densissimam saxorum incumbentisque montis molem fundere, quotiescumque tempestas eiusmodi Italiæ, siue Europæ immineat, vt qui spectare, siue obseruare id negligant, sed & votis, atque supplicijs præuertere non curent, tâm vigilis Monitoris haud immerito indignationem incurrant, destinataque scelerum, impœnitentiæ, socordiæ atque ignauiæ prosequutione, irati Numinis iustissimum furorem conci-

Prædicit calamitates eiusmodi S. P.N.

Prodigiosũ Manna.

Aeternum miraculum & meritum de Rom. Imperio Sanctissimi P.N.

concitent vltrò pronocentque. Neque hoc solo, tanto, tamque æterno beneficio, & vigili cura, demereri Imperium Christianum contentus, magnus ille exercituum Domini Archistrategus BENEDICTVS, serò licet, & serio ad se conuersos, prodigiosissimè iuuare multoties visus est, memorandoque ad æternitatem omnem beneficij exemplo, nunc per se, nunc per suos, innumerabilem hostium multitudinem, diuersissimos diuersis sæculis Vngarorum, Danorum, Gotthorum, Suecorum, Normannorum, Saracenorum Exercitus, quandoque in fugam prodigiosissimè egit, quandoque vna omnes internecione deleuit extinxitque. Ita visus aliquando cœlo descendens Normannorum rabiem, velut puerorum insolentiam, virga compescere, &, veluti pecora, trementes, præcipitesque ante se agere atque abigere; ita Massatem ferocissimum illum Ducem, velut Saulum cædes spirantem, visus mirè quamprimum cicurare; ita post cladem acceptam inuocatus vlcisci præda onustos hostes, in ipso iam patriæ limine ouantes assequi, vniuersamque Saracenorum classem momento demergere; ita adesse clientibus obsessis oppugnatisque, ita obsidentes iuuare, hostes mille plagis, vulneribus, cædibus, aquis, fulmine petere mergere delere; vt de innumeris ferè eiusmodi, quos per suos postea gessit prælijs nihil dicamus: quę tamen ipsi omnia tanquam supremo exercituum suorum Imperatori Numine ipso comprobante, assignanda esse postea videbimus.

Diuersissimos hostium exercitus mirè prote- rit.

Admirãda S.P.N. victoria.

Innumera eiusmodi S. P.N. prælia.

Neque in Christiani solum nominis aduersarios, & barbaram Gentilium ferocitatem pro Ecclesia, pro Imperio, pro Regnis, & Regibus amicis, & commendatis, signa inferre victricia Archidux noster solitus est; sed & paucorum vlcisci iniurias, ijsdemque quibus olim patrocinatus fuerat, aduersari, si iniquis exactionibus, suppressionibus, iniurijs quibuscunque eos appeterent, qui se speciali eius tutelæ, & fidei commendassent. Ita Reges, ita Principes plurimos grandi clade affecit, multos repente è medio sustulit, Principatus, & Regna in amicos transtulit, taliaque multoties sumptæ vindictæ exempla edidit, quibus si saperet sequutura ætas, tanti meriti Imperatoris maiestatem, potentiam, seueritatem, &

Etiam Christianos Reges in suos iniurios plectit.

Principatus & Regna transfert.

longas

longas quas aiunt Regibus manus, cautius reuererentur. Duo è multis referre placuit, celebritate vtrumque, posterius ipsa temporum propinquitate, & Austriaci iuris defensione tàm prodigiosa, quàm peroportuna spectatius, & iucundius.

Vesperarũ Sicularum causa.

Vesperarum Sicularum clades adeò nota est orbi vniuerso, vt in prouerbium abierit; cuius auctorem fuisse BENEDICTVM, vt in propatulo est, ita dolendum, multos etiam deinceps tanti Triumphatoris vires lacessere, quasi lassata, cæde tot hostium, manu, nec tela sufficerent, quibus deinceps in iniurios fulminaret.

Caroli Siciliæ Regis ambitio.

Caussa Casinatis Cœnobij agebatur; cuius Monachos, cum propagandæ potestatis Regiæ insana ambitione, Carolus Primus Siciliæ, & Neapolis Rex, rerum capitalium foro, grandi cum iniuria exuisset, meritas quamprimum contemptus tàm insignis pœnas dependit, (res mira!) nam, quo die Casinates suis exuit iuribus, ac priuilegijs; eodem ipse, sceleris supplicium exposcente Imperatore nostro, Siciliæ Regno spoliatus est: Gallorum quotquot tota Sicilia degebant, condicto inter Siculos *Vesperarum* signo (vnde vulgato illi, de quo supra, SICVLORVM VESPERAE, origo) omnibus miserrimè contrucidatis. Cuius atrocissimæ cladis causam, illatæ potissimùm Casinatibus Monachis à Carolo, iniuriæ, disertè attribuit Vrbanus V. Summus Pontifex, datis hac super re Neapolim, ad Ioannam Reginam codicillis; vt cladem hanc tanquam singulare Sanctissimi Dictatoris nostri Trophæum posteri suspiciamus.

Pœnas dat sacrilegij.

Atrocissima clades.

Causa eiusdem à B. Vrbano V. redditur.

Alterum recentius, quia superioris sæculi est, idem & Casinatum causa, & Austriacorum sui generis Principum, causa susceptum, quod quia inprimis memorabile est Triumphi exemplum, verbis amicissimi, & doctissimi M. Antonij Scipionis Placentini referemus.

Recentior triumphus.

Sanctissimum illud Ordinis Archisterium Casinas Commendatarij, vt vocant, aliquamdiu, eosque inter postremus Ioannes Medicæus Cardinalis, habuerant. Ab hoc Iulius Pontif. Max. Abbatiam enixè contenderat, Consalui Magni assiduis, ac penè importunis precibus efflagitatus. Hic enim Ferdinandi Regis Hispaniæ copiarum in Italia Imperator, cum

Consalui Magni obsessi à Gallis periculũ.

cum intra Barulum inclusus à Gallis semestri iam obsidione, acriter adeò premeretur, vt præ victus inopia, quoduis herbarum genus, ac mures ipsi iam cessissent in cibum; nec vlla commeatus, & subsidij spes in proximo ostenderetur; tàm difficili tempore, ac loco, ad preces, & vota conuersus est: Diui BENEDICTI ope, ac patrocinio, deploratis Hispanorum rebus, suppliciter implorato; nec frustra. Nam in sequenti nocte per quietem à suo Tutelari BENEDICTO confirmatus, bono esse animo iubetur, hostem statuto loco, atque hora lacessere ad prælium, ex quo certam victoriam, ac triumphum esset relaturus; tantùm recordaretur, vbi Campaniæ Regno potitus esset, suos Monachos in Casinatis Cœnobij liberam possessionem asserere. Ex nocturno viro Dux, ac milites erecti, capessunt pugnam, tanto animi ardore, atque audacia, vt Gallis longè numero superioribus, partim cæsis, partim in fugam coniectis, victoria breui ad Hispanos declinauerit; qui temporis, & cælestis Patrocinij beneficium occupantes, inuadere hostium castra, prædas agere, vicinis locis deinceps potiri: donec capta Neapoli (Principe Regni vrbe) reliqua Oppida, & Vrbes, sponte sua deditionem fecere. Rebus hunc in modum, præter expectationem, prodigiosè transactis: Consaluus, annuente Ferdinando Rege, Campaniam omnem Proregis dignitate, atque imperio moderabatur. Iamque tam insignis victoriæ (quàm Diui BENEDICTI auxilio retulerat,) optimè conscius, ac memor, de voto persoluendo, religiosè cogitabat. Omnes igitur omnium Cœnobiorum Antistites (quotquot Sanctissimi Patriarchæ Regulam Neapoli profitebantur) ad sese accersiri mandat: visurus, cuinam sodalitio, Domicilium Casinas ex voti obligatione, attribueret.

S.P N. opem implorat.

Apparet, & spondet victoriã S.P.N

Mirabilis victoria.

Neapolitanũ Regnum expugnatur.

Cõsalui gratus animus.

Hos inter; simul, ac Vincentium Neapolitanum (id temporis ad S. Seuerini Abbatem) adspexit, cucullo laxioribus manicis, multiplicique plicatura concinnato, atratum, ac grauem; intento in eum digito: hic enimvero, inquit ille, est, qui Casinatem saltum, cum amplissimo Cœnobio retulerit, ex obiecta mihi specie, Diui BENEDICTI habitu quam simillimus. Mox cum Ferdinando Rege, ac Iulio Papa, summa sollicitudine per litteras, ac Nuncios agere non destitit:

Cõsalui sollicitudo de voto explẽdo

C donec

donec Monasterium Casinas, ad eam Congregationem adiungeretur, cui S. Seuerini Sodales antea copulatos compererat. Ex hac porrò serie, atque euentu rerum, quiuis (opinor) facilè animaduertet, Diui BENEDICTI Numen quantopere Hispanorum Regum rationes, atque amplitudinem promouerit. Scilicet prouiderat, Neapolitanum Regnum, haud longo post tempore, ad Austriacos Principes (sui generis sobolem) diffuso per tot Prouincias, ac Regna dominatu, & Catholicorum Regum, non titulo magis, quam professione atque actionibus gloriosissimos, deuolutum iri. Quorum in ditione futurum erat, vt plurima sui instituti Collegia, sanctitate, atque opibus florerent, gauderentque opima pace, ac religioso otio, pijssimorum Principum munita Patrocinio, liberalitate cumulata, decorata Priuilegijs.

De Hispanis Regibus, & Austrijs meritissimus S. P N.

Principum Austriacorũ pietas.

Ac mihi quidem, illud etiam hac in re spectasse videtur Sanctissimus Patriarcha, vt, quemadmodum Francorum olim Regibus, per sui Ordinis homines, Galliæ sceptrum, ac diadema conciliauerat, sic Hispanos Reges, bona Italiæ parte, longequè pulcherrima donandos, haud dissimili beneficio, per se ipse adiuuaret. Ita Scipio citatus. Vt meritò BENEDICTVM, & vita, & post mortem tantis triumphis gloriosissimum, inuictissimi nominis Imperatorem, tanto decursu sæculorum insuperabilem, in vota supplicium, deuotorumquè tàm pronum, ac facilem, PRINCIPEM SVAE MILITIAE, ET VITAE TVTELAREM celeberrimi olim Imperatores, Orientis quidem Alexius Comnenus, Calo-Ioannes, alijque; Occidentis, Magnus ille Carolus, Ludouicus Pius, Lotharius I. S. Henricus II. Henricus Tertius, Ottho Tertius, Lottharius Secundus &c. Reges Potentissimi, Pipinus è Carolingis Primus Galliarum Rex, Hugo Capetus, Robertus Pius, Henricus, & Philippus Primi, Archistrategi triumphatorum hostium gloria immortales Principes Robertus Guiscardus, Consaluus Magnus, alijque plurimi, sibi delegerint, ac venerati sint, sed & nunc quidem, quibus stupenda eiusmodi audire contigit, eundem militiæ suæ Præsidem cultu præcipuo venerentur.

Francorum Reges coronam debent S. P. N.

Pronus in vota supplicum S P.N.

Imperatores & Reges S P.N. addictissimi.

Patronus Militia S. P.N.

Accepit autem inter mortales etiamnùm agens Diuus Imperator noster Diuino oraculo, illud promissi, vt singularis,

ita

Oraculum Diuinum & promissũ.

ita longè maximi, sacram militiam suam ad finem vsque mundi duraturam, & vel tunc maximè, intremiscente exercituum Infernalium vi Orbi vniuerso, egregiam, ac præcipuam Romanæ Ecclesiæ operam, nauaturam. Eo insuper, ad cumulum promissi amplissimi, adiecto: Impunè neminem laturum imò pessima, &, nisi resipiscat, æterna morte luiturum, quicumque aduersum BENEDICTI clientes quidquam tentauerit, seu ausus sit; fautoribus autem vniuersis præmia æternitatis certo reseruari; comprobata innumeris prodigijs Oraculi huc vsque veritate, plurimis Principum, familiæ, ac potentiæ auitæ ad BENEDICTVM meritò quidem incrementa, euidentissima demonstratione, ijsdem ex causis, referentibus, sacrilegis autem innumeris, & iurium Cœnobialium quocumque modo violatoribus, præmatura morte extinctis, cumque vniuersa plerumque familia, & memoria, nisi sceleris æternùm pudenda, deletis, atque abolitis. Quorum nos exemplorum vim sanè ingentem, nostro SACRILEGORVM ORDINIS CONTEMPTORVM NECROLOGIO reseruamus, in menses, diesque singula singulos partienda.

Mors intentata hostib. Monachorũ

Horrenda vltionis exempla.

Nec dubium, quin Prouincias, quin prædia, quin possessiones, quin iura quæcunque iam olim sibi oblata, ac consecrata, omnia, ac singula minimè obliuiosus, suis perpetuò oculis obeat, atque repetat, cui rarissimo Priuilegio, tanquam perspicacissimæ Aquilæ (quem in imagine solùm pomi Imperialis manu præferunt nostri Imperatores) vno intuitu concessum est, orbem terrarum aspicere, & perspicere vniuersum, vt pessima confidentia se miseri ipsos ludant, qui iuribus, ac possessionibus eiusdem securè etiamnum incubant, seù temere inhiant, grandi exterminio, exitio sempiterno, cum chara sobole cui hæc comparant, certissimo reseruati. Quem proin haud immerito ADIVTOREM FORTISSIMVM, Balduinus de Guiza, Vltorem æquè olim expertus, Honorius autem Tertius eo nomine Pontifex Maximus TERRIBILEM appellet, cuius alicubi memoriam solùm anniuersariam, FESTI METVENDI nomenclatura Hispani insigniant.

Omnia ab initio Ordinis sibi cõsecrata recenset S. P. N.

Ecce oculatissimã Aquilam, & Imperatorem.

Væ Monachorum osoribus.

Terribilis ab Honorio III. appellatur S. P. N.

Et verè TERRIBILIS VT CASTRORVM ACIES ORDINATA, cognata cum Imperatricis nostræ titulis appellatione, Impe-

Castrorum acies ordinata.

rator noster, vel eo quidem nomine, apud vniuersos ADMIRABILIS illius MATRIS cultores, venerationem meretur singularem, quod primus EIVSDEM TRIVMPHALIA SIGNA, pro enixissimo suo in eandem studio, PSALTERIVM SCILICET MARIANVM, in orbem terrarum intulerit vniuersum, & diuersissimis toto cœlo prouincijs, cum per se ipsum, tum per suos passim, frendente, ac intremiscente Infero, suffixerit, suspenderitque, cuius postea longo consuetudinis decursu, remissiorem vsum, post annos denique septingentos, Magnus Ordinis Prædicatorum Auctor Dominicus, præclarè restituit, atque eo tam insigni, atque immortali merito, familiæ item suæ sanctissimæ honori præcipuè consuluit. Consignauit rem æterna dignam memoria, lectissimus ille Maxumæ Dictatricis nostræ Cancellarius, Beatus Alanus de Rupe Dominicanus Monachus, EOQVE TAMDIVINI ORDINIS INSTITVTOREM, tantæque Militiæ Generalem BENEDICTVM fieri, atque esse meruisse disertè affirmauit. Vt ad ipsum etiam specialiter spectare videantur, magni illi toto orbe exercitus, qui sub signis illis Roseis PSALTERII militasse olim, & vsque hodie innumeri comprobantur.

Psalterij Mariani auctor S. P. N.

S. Dominicus restitutor.

Vnde tanta gloria S. Patris nostri.

Ipsum Deiparæ à secretis Alanum audiamus: *Sanctus* BENEDICTVS, *noui factus Instituti Patriarcha inclytus, cui ante diu insueuerat, Psalterium MARIAE simul, & inter suos, non tàm præcepto vllo quam vsu ipso, in sanctam consuetudinem introduxit; qua in religionem dein vertit, ac insedit &c.* Et iterùm: *Sanctus* BENEDICTVS *porrò,* inquit, *Sacri Ordinis Amplissimi Patriarcha dignissimus, ea cura, & religione, sanctum in Psalterio salutatorio, cultum Dei familiarem sibi perpetuumque voluit, & obseruauit sic, vt eo (* NB *) tam Diuina Monastica Institutionis, Fundator, & Author fieri mereretur. Tanti Patris ab exemplo (* pergit Alanus*) sacer mox chorus Fratrum vniuersus, per orbem latè secum circumtulit Psalterium, & cætera præter, consueta Ordinis, exercitia Diuina, istud quoque velut priuatum quisque, in delicijs suis secretioribus, deamauit interius, & in eo almam Virginem Matrem, Sponsam Sponsi sui, sancta quadam familiaritate, cordialius disuauiauit &c.* Ita 1. parte Apol. pro prædic. sua de Psalterio

Psalterij Mariani Propagator.

Amor Psalterij.

B. Ala-

B. Alanus, cap. 8. num. 7. & parte 2. cap. 2. & 4. nu. 1. Ioan. de Prato. Coppenstein, Mich. de Torres. & nos in Gerardo Belga nost. & Histor. Monast. Vt appareat BENEDICTVM à BENEDICTA illa, & *Gratiá plena*, *Gratia* BENEDICTVM, *& nomine* (vt ille Diuini Spiritus Amanuensis loquitur Magnus Gregorius) tanta à Matre, tantum Patrem, ac Patriarcham euasisse, adeòque non tàm à BENEDICTO, quàm BENEDICTA, BENEDICTINAM, vt natam, sic cognominatam iure merito, esse Religionem. Quo ipso nomine, & *AQVILAM* hanc nostram *BENEDICTINAM* per BENEDICTVM, *BENEDICTAE* Cœli, Terræquè *AVGVSTAE* transcribimus, & omnia post DEVM Ter Optimum Maximum Matri primùm, dein Patri in acceptis referimus, merita tot, atque tanta, tanto decursu sæculorum, ipsa omnia, ipsissimos fructus Psalterij Mariani: quorum post septingentos ferè à plantatione, & propagatione per Imperium annos, miratus reliquias mirificus ille, & maximus eiusdem Psalterij Restitutor DOMINICVS, dum in suo ex Vrbe in Gallias transitu, Germanias quoque sua præsentia honoraret, & bearet, illic condidicit inter sceleratissimæ etiam vitæ homines, vsum Psalterij vetustissimum viguisse, & vero millies perire æternum meritos, eousque seruasse, donec ipsa docente, & ducente DEIPARA DOMINICVS, miseros, atque excæcatos à dæmonum seruitute vindicaret. Produxit in scenam tunc, Magnus Prædicatorum Institutor, præsente Regij, & Augusti generis Principe, sed propagato per vim Principatu, prædis, atque latrocinijs infami, triste spectaculum, & quindecim succubos cacodæmones muliebri specie, laruis potenter detractis, infernali vultu, conspicuos vniuerso satellitio dedit, & verum edicere veritatis hostes edocuit: Quidnam, quominus pridem, quorum quærebant interitum, eos perdidissent, obstitisset? *Heu*, *heu*, inquiunt, *falsa illa cantilena* MARIÆ *mulieris Iudaica*, *semper hoc impediuit. Hi enim omnes iussu Principis, omni die salutabant illam*. Interrogat Dominicus: Et quantum orabant? *Quantum tu prædicas*, aiunt, *Psalterium inimica nostra*. Tum ille: Vnde istud didicerant? *Nosti*, respondent, *quid quæritas? Heu! Per id antiquum est oraculum, orbe toto receptum olim*

Vndetantum Benedictus?

Aquila Benedictina vnde dicatur?

Psalterij antiquitas in Germania.

Mira Historia.

Querela dæmonum.

olim, at arte nostra penè sopitum. Tu nunc in perniciem id nostram instauras. Portant id quidem, hodiequè ex antiquo gestant (ecce globulorum precatoriorum perantiquum etiam in Imperio vsum!) *& demussitant multi, verum quid faciant ignorant. Pater istius Principis, inimicus noster, eum à puero garrire id coegit; vnde illi insueuit, quantisuis facinoribus se obstringeret; nec vllum voluit commilitonem, qui non idem portaret secum, & oraret &c.* Pergit dein, de profligatis à Dominico nequissimis spiritibus, & conuerso Principe, ac satellitibus, Scriptor Historiæ ipse B. Alanus, cui totam ipsa veritatis dictauit Mater, *BENEDICTA* nostra; vt videas, & condiscas vno ab exemplo, quantùm tot, ab obitu *BENEDICTI* Patris, sæculis, vel solus, propagatus, eodem teste Alano, per totum Terrarum Orbem Psalterij vsus, in obseruantissimo eiusdem Imperio profecerit; innumerabili sanè fructu, meritoquè in Aquilam nostram redundante.

Princeps Religiosus.

Quantum Benedicto debeat Germania.

Cœterùm vbi primùm BENEDICTVS, *BENEDICTAM*, suam, suiquè Ordinis Matrem, Psalterio hoc salutare cœperit, etsi incompertum, compertissimum tamen, antequam Ordinem institueret, cum *Eo* (NB) *tàm Diuinæ Monasticæ Institutionis Authorem fieri meruisse*, iam certi simus. Verosimile, iuxta senticetum illud Sublacense, candore, & purpura Augustissimi iuuenis ornatissimum, Gaudiosum, Dolorosum, Gloriosum denique Rosarium enatum, in sacra illa specu, ab Archiduce contemplatiuorum (Vitæ Contemplatiuæ Magistro) contextum, in Vrbe deinceps ab ipsomet, in Orbe, & Imperio nostro à Discipulis propagatum: haud frustra Benedicto, in Matris etiamnùm, vt diximus, vtero psallere exaudito, tanquam qui visitantem iam tunc *BENEDICTAM*, vt Ioannes cum *Benedicto fructu* ventris eius persentisceret, cuius puerili deinceps ætatula tantùm, erga eamdem Matrem studium fuit, vt mirùm non esset, inter brachia, & Vbera illa tantùm euasisse. Extat Romæ etiamnùm à puero septuenni, & deinceps familiarissimè adamata, diesquè, ac noctes honorata DEIPARÆ Imago, quàm Discipuli deinceps eius, dignissimo tantorum Matris, Patrisque studio, structo honori eiusdem Sacello exceperant, cuius veram Effigiem magno studio

Vbi primùm natum Psalterium?

Imago B. M. V. Diuo Benedicto familiaris.

ſtudio æri inciſam, libroquè impreſſam, innumeris caſtè amantium votis, atque oſculis repræſentamus, & dedicamus, certi, vt gratius nobis vix quidquam accidit, ſic, neque alijs nos poſſe impertiri, quàm vt deguſtatam tot baſiorum delibationibus à tanto Patre, & propinatam ſuis filijs Marianam dulcedinem, ab ipſo fonte hauſtam, & authographo, ijſdem tanto poſt offeramus, digniſſimum ſanè cella pauperis Monachi theſaurum, imaginem, vt plenam ſolatij, ſic, & myſterij, Chriſti cum Cruce, inter vbera Matris dulcoratæ, manu dextra Benedicto, & Filijs Benedictionem impertiente, & conferente quaſi licentiam, iungendi tanto poſt cum Benedicto Patre, in diſuauianda Benedicta Matre oſcula, cuius ipſe, vt ab æterno complexus deſideraſſet, ſic os oſculis ſuis, in tempore ad omnem æternitatem nobis conſecraſſet, nec tàm exhauſiſſet vbera, quàm hauriendo, nobis ad vſus æternos impleuiſſet, propinata benedixiſſet. Vt Benedicti Patris ad eamdem imaginem iure, & ad iura conſignata imagine merito vtamur, & primùm Benedictino-Mariani amoris monimentum, inter paternæ hæreditatis, prima, ac præcipua habeamus, æſtimemus.

Imago quâ merito filij propter patrem æſtiment.

Propinata nobis vbera B.M.V.

Poſuit mortalitatis exuuias Auguſtiſſimus Imperator noſter, in primo, ac Principe Militiæ ſuæ propugnaculo Caſinenſi, Anno Chriſti 543. cum dignè Veſpaſianæo illo: *OPORTET IMPERATOREM STANTEM MORI*, STANS inter Orationis Verba, eleuatis in cœlum manibus, Victorem animum Creatori ſuo tradidiſſet. Cui ſpectando ſanè, & inſolenti prodigio, *TRIVMPHALIS* è Caſino ad cœlum vſque via, innumeris, ijſdemque cœleſti lumine fulgentiſſimis lampadibus illuſtriſſima, & (quod vnius Chriſti Domini Hieroſolymitano in triumpho legitur) pretioſiſſimis Angelico nimirum contextu, pallijs ſtrata, viſa eſt adornari. Vt hac quoque Triumphi gloria, certum ſit, omnem omnium Imperatorum, & Romani luxus maieſtatem, quàm longisſimè exſuperaſſe. Triumphat etiamnùm, & æternùm, in Triumphantis illius Eccleſiæ pompa, magnus Triumphator noſter, & innumeri exercitus Anteſignanus, omnium, ſingulorumque Diuino Oraculo teſte, meritis in ipſum tamquam fontem redundan-

Moritur S. P.N. & quidem ſtans.

Triumphalis via.

Raritas Triumphi.

Innumeri exercitus in cœlo Dux.

dundantibus, ſupra omnem hominis captum glorioſiſſimus, *IVSTORVM OMNIVM SPIRITV* iam olim *PLENVS*, nunc innumerorum, & quotidiana acceſſione meritorum, *PLENISSIMVS*, Romanum Imperium, ſibi ante octingentos iam annos, antequam Carolo Magno in Occidentem translatum, à Sancto Stephano Papa Tertio, adſtantibus Caroli Patre, & patruo, quin & Carolo ipſo, & Carolomanno commendatum, & creditum, nunc verò tanto poſt, in ſui generis Principes denuo deriuatum, intueri, & tueri non deſinit; vt cum eodem Stephano, ſerus tanti Imperatoris Nepos, Ferdinandus Tertius Cæſar Auguſtus, applaudente Orbe inclamet, ingeminetque.

Inſigne Elogium.

AVE Chriſti Diſcipule, Aue veri Sponſi Amice, Aue Prædicator Veritatis, & Doctor gentium. Aue Legislator vniuerſalis. Aue Abba Abbatum, Aue Archimandrita Oecumenice, Aue Columna Orthodoxiæ. Tuus ego, & hi ſeptem Epiſcopi (*imò ſeptemuiri Electores, & Pontifices Germaniæ ſucceſſores filiorum tuorum vniuerſi*) Tuus Clerus, tuus populus Romanæ Vrbis (*pariter & Orbis,*) tui & hi Patricij (*Reges ſupramemoratos, tunc præſentes, ſimulquè ſupplices, è quibus perpetuata deinceps ad hanc vſque diem Cæſarum noſtrorum ſeries, indigitabat,*) Tua Lateranenſis Eccleſia, in qua alitus, & nutritus es. (*Quippequi ea in Eccleſia, Hormiſda Papa ſedente, ædificato à ſe Monaſterio, cui & ipſe primus præfuit, & ex quo tota Romanorum Pontificum cohors prodijt, Chorum inſtituit.*) Tuum Caſinenſe Cœnobium, in quo Corpore, & Spiritu habitas. Non patiaris nos ouibus tuis excludi. Sedem Apoſtolicam protege. ROMANVM IMPERIVM, & hos glorioſos Patricios (*Principes Imperij Vniuerſos,*) Corpore Tibi ſimul, & mente proſtratos, ab hoſtibus viſibilibus, & inuiſibilibus defende, & Chriſto pro omnibus orgias funde, quatenus hic, & in æternum omnes Tuo munere lætemur. *Ita Diuus Stephanus Papa.*

S. Stephani III. Pontif. Max. Oratio.

Tituli præclariſſimi S.P.N.

Romana Eccleſia S. P. N. commendatur.

Item Imperium Romanum.

Proſtratus Pont. Max. & 4. Reges ante pedes S.P.N.

Sed iam Monachorum de Imperio ingentia merita, omnia Archiducis noſtri, & Imperatoris propria, ſingillatim, at pro Inſtituti ratione, breuiter recenſeamus.

IMPE-

IMPERIVM

Ex Oriente in Occidentem per Benedictinos translatum.

TRanstulerat iàm pridem ante quingentos ferè annos Romani Imperij sedem, in Orientem, nouamquè à se conditam Romam Flauius Anicius Constantinus, Imperatorum quotquot fuerunt omnium Maximus, eoquè secum Maiestatem Imperij penè omnem, ac fortunam, conuexerat, in antiqua tamen exornanda Vrbe non minùs sedulus, quàm in noua, à se deinceps cognominata, fundanda ac stabilienda. Verùm alternantibus à morte tanti Principis rebus, minus curata Roma, paulatim contabuit, donec cum Aetio Valentini Tertij Duce, Imperium Occidentis maxima ex parte concideret, in Augustulo demum, quòd in Augusto ante annos item quingentos cœperat, prorsùm deficeret, & ad Reges barbaros deuolueretur. Quòd etsi postea Iustinianus Magnus Sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI fratruelis, magna cum Anicij nominis gloria, Duce Belisario restaurarit, idem posteà Pontificiæ maiestatis violatione iustam Numinis incurrens indignationem, denuò perdidit, omni demùm gloria Imperij tanti, in aduentu Longobardorum distracta, conuulsa, ac dilaniata.

Translatio sedis Imperatoria in Orientem.

Occidentis Imperium quando defecerit.

Restitutum paulò post omninò deficit.

Tanto tempore seruijt Mundi Domina, tanto vasta iacuit, imò nulla fuit, tanta olim Maiestas, donec ex Archiducis nostri sacratissima Familia resurgeret, qui Occidenti Solem reueheret, Imperium tantò pòst restitueret, cùmque eo gloriam omnem, ac felicitatem tamdiù exulem reuocaret. Fuit tantæ rei Auctor Sanctus Leo noster, eo nomine Tertius Pontifex Maximus, in cucullo iam tantus, vt non sine singulari Numinis destinatione, vno omnium consensu iudicaretur summo in terris honore dignissimus. Is licet, per summum nefas à Romanorum nonnullis, quorum scelera pius pastor diligentiùs reprehen-

Occidenti Sol suus redditur.

S. Leonis III grande meritum.

præhenderat, oculis crudelissimè erutis, & lingua præcisa pessimè habitus, prodigiosissimè tamen à Numine curatus, in Patriæ Occidentisquè vniuersi salutem oculatissimus, de transferendo Orientis in Occidentem Imperio cogitauit, quòd & quamprimùm Christi Anno octingentesimo maximo Reipublicæ Christianæ emolumento felicissimè confecit, euocatumquè Romam Carolum re, & nomine Magnum, Germanæ originis Principem, Galliarum Regem, quo nimirùm firmum simul, ac fidum Christianis, atque ipsi Romanæ inprimis Ecclesiæ Tutorem, atque Patronum pararet, ipsum Imperatorio titulo insignire decreuit, diemquè tantæ solemnitati ipsa Christi Domini Natalitia destinauit. Quòd vt celebriùs esset, Pipinus quoquè Rex in Vrbem ascitus venit, ac secum ad nouum visendum spectaculum, infinitam mortalium turbam attraxit. Vbi proin dies Natalitiorum aduenit (ità habent Gesta Pont.) Carolus summo mane Vaticanàm Basilicam adijt, atquè ad confessionem progressus, solemnem DEO obsecrationem effudit. Qua perfecta Pontifex, qui ex composito aderat, chlamidem Augustalem, & coronam auream pretiosissimam, quàm de industria comparauerat, ei imposuit. Quo facto, populus vniuersus, ter voce clarissima acclamauit: *CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO, ET PIISSIMO IMPER. ROMANORVM, VITA, ET VICTORIA.* DEO inde, Diuinisquè ritè in auxilium inuocatis, Imperatorius illi titulus à populo confirmatus. Populari inde acclamatione sedata, Pontifex patrem, & filium astantes, illum Imperatorem Romanorum, hunc Regem Italiæ, oleo sancto perunxit, ac deinde sacra perfecit. Quibus absolutis, Carolus, vna cum Pipino, Basilicæ Vaticanæ abacum argenteum, & diuersa vasa, ex auro purissimo fabrefacta, ad vsum abaci obtulit. Lateranensi verò Crucem eximiam ex hiacynthis conflatam, quàm Leo in supplicationibus deferri instituit &c.

Transfert Imperium Orientis in Occiden.

Acclamatio populi.

Inunguntur Imperator. & Rex fil.

Dona Caroli.

Vt de tanto Leonis nostri, tamquè æterno merito, quo in hanc vsque diem Imperium imò Ecclesiam, & Orbem sibi obstrinxit vniuersum, nemo dignè, ac satis æstimet, nedùm differat, cui Germaniæ æquè, ac Galliæ, atque Italiæ Reges, &

Quartum Leonis nostri meritum.

Princi-

Principes, in vno tanti nominis Imperatore acceptam referant, deriuatam in se tanti nominis, potestatisquè ad hæc vsque tempora maiestatem; Roma atque Ecclesia vniuersa Pontificis sui tàm splendido facto comprobatam auctoritatem; Italia restitutam tanto post Principatus terreni summam dignitatem; Germania, restitutam in Germano Principe, eodemquè (nostrorum item merito) altero suæ gentis Galliarum Rege, nostri orbis summam gloriam, ac felicitatem; Gallia deniquè suorum plurimo tempore Regum in id summi honoris fastigium successionem, vniuersis ob id ipsum communi atque maximo applausu congratulantibus.

Diuersorum Regnorum obligatio.

Priusquam proin ad membra alia Imperij, & Aquilæ nostræ progrediamur, incipiamus à capite, & nostrorum, de diuersissimis Imperatoribus nostris merita, obiter attingamus, atque expendamus.

A capite Aquila incipiendum.

BENEDICTINI ORDINIS

De ipsis Imperij præcipuis Moderatoribus MERITA.

CAROLVS MAGNVS, PRIMVS RESTITVTO OCCIDENTIS Imperio Imperator, omnem ipse tàm suam, quàm parentum fortunam, & gloriam Ordinis Benedictini Monachis, disertè transcripsit. Neque immeritò, vt qui probe nosset Pipinum Patrem Brabantiæ Ducem, à Sancto Zacharia nostro summo Orbis capite, connitentibus viris sanctissimis Bonifacio Primo Moguntinensium Archiepiscopo, & Burcardo primo item Herbipolensium Pontifice, alijsquè nostris, potentissimo illo, & tunc temporis longè maximo, atque amplissimo Galliarum Regno sublimatum, eorumdem opera, mirè in omni pietate formatum, in gubernandis amplissimis Prouincijs adiutum, in periculosis-

Quantum Carolus Monachis debeat.

Quantum Pipinus pater, eorum opera factus Rex.

Mirè instructus. seruamus &c.

Profligata per nostros barbaries.

Alia ingentia merita.

simis prælijs prodigiosè seruatum, vt tàm claro filio, nunquam satis amantissimus Pater commendaret, quantùm à Monachis accepisset, quorum ipse ingentia, & immortalia, de Gallijs, Germanijs, Italia, Orbe vniuerso merita, oculatus testis aspexisset, vitæ sanctitatem, miraculorum magnitudinem, labores penè immensos, nunquam satis mirari, nedùm deprædicare, siue remunerari potuisset. Quorum industria profligatam passim barbariem, litterarum, & pietatis inducta, & promota studia, Respublicas fundatas, ac stabilitas, constructas innumeras penè Ecclesias, Xenodochia erecta, Gymnasia excitata, conciliatos inter se populos, sancita fœdera, seditiones compositas, sublata bella, consopita odia, pacem, quietem, felicitatem Orbi redditam, certissimus erat, tantoquè nomine ijsdem obæratus, amplissima, eorumdem parta precibus, de Christiani nominis, & Ecclesiæ Romanæ hostibus spolia, non solùm ex æquo cum ijsdem diuidebat, sed & seipsum, filios, regna, omnia eorum fidei, & curæ commendans, eosdem velut Angelos Domini suspiciebat, & venerabatur.

Caroli Magni pueritia & senectus.

Eius Magister quantus.

Inter nostros adolescit.

Connata proin Carolo filio, Pipini parentis Religiosissimi pietas, creuitquè cum lacte inexplicabile in Monachos studium, horum præcipuè peregregijs de se meritis, in ipsa pueritia, vt in omni reliqua ætate nimiopere concitatum, quorum adnisu tantus euasit, quantùm orbis vniuersus, & sæcula æterna demirantur. Sanctissimi siquidem nominis Magistrum nactus Magnum illum Doctorem, Alcuinum nostrum, Parisiensis posteà Vniuersitatis, pluriumquè Academiarum Auctorem celeberrimum; tantùm, non humanioribus solùm Philosophicisquè apud eumdem studijs, sed & Theologicis profecit, vt cùm orbi vniuerso, tùm ipsi etiam Magistro, admirationi esset. Sed enim in omni virtutum genere multò exercitatior, in sinu Sanctissimorum Ordinis nostri Virorum adoleuit, quorum in oculis, manibusquè ad nutum omnem ab infantia ad supremam vsque senectam se se perpetuo continuit, prodigiosissimæquè vitæ spectator, miros, & ipse ad eminentissimum virtutum verticem stimulos persensit, maximorum Germaniæ Apostolorum, Bonifacij, de quo supra, primi Maguntinensium Archiepiscopi, Altonisque primi item Vveingarttensium auctoris, Rhætiæ,

Vinde-

Vindeliciæ, Ambronum, & Lycatiorum Apostoli, Regij generis Virorum, quibus Pipinus pater Cœnobia fundauerat; sed, & Ludgeri, Burcardi, Rabani, Mauri, Vvillibaldi, aliorumque maximo numero sanctissimæ vitæ Monachorum Pontificum consuetudine, haud aliter, atquè in Cœnobio educatus, quibus plerisquè postea, præcipuus per Germaniam Episcopatuum conditor, diuersas passim cathedras erexit, quas, & ob reuerentiam eorumdem admiranda potiùs quàm imitanda deinceps liberalitate, amplissimis muneribus, ac prouentibus dotauit, & Priuilegijs, atque Immunitatibus spectatissimis mirificè extulit; inexhausta munificentia sua fassus, tanta à Monachis accepta beneficia, non posse se vlla ratione æquiparare, cumulante inprimis beneficentiam eius, beneficentia sua Numine, vt disertis ipse verbis affirmaret, in Priuilegio Cremiphanensi Cœnobio concesso: *Si petitionibus seruorum Dei libenter obaudiret, & eas in Dei nomine ad effectum perduceret, & Regiam se consuetudinem exercere, & confidere, hoc sibi ad mercedem, ac stabilitatem Regni sui pertinere &c.* Quòd ipsum expertus, prodigiosarum victoriarum spolia opima, diuersis toto Terrarum Orbe Cœnobijs, velut debita, distribuit, nullumquè ferè licèt remotissimum, atque abditissimum seruorum Dei domicilium, liberalitate sua præterijt, & præter innumera penè dotata, ac ditata, solus ipse, quot Alphabetum litteras numerat, Monasteria è fundamentis exstruxit, è quibus non pauca in ipsa etiam Hispania fundauit. Sed reliqua nostrorum de eodem merita persequamur. Ad Regni amplissimi culmen post patrem euectus, maxima non multo post Regnorum accessione, Pontificum nostrorum beneficio auctus est, cum mortuo fratre Anno Christi 771. iudicio Episcoporum, & procerum, firmis nostrorum rationibus persuasorum, exclusis fratris liberis, in eius quoque partem ipse successit, & supra omnem antiquorum Galliæ Regum potentiam, ac magnificentiam solium suum extulit. Ad palatium pro n Regium Sanctissimos quosque è Cœnobijs extrahens, & inuitos multùmque obluctantes detinens, Regnis ac populis mirè consuluit, ipsorum arbitrio totum se, atque Regna omnia permittens, ita, vt inconsultis ipsis quidquam aggredi summopere vereretur. Inde factum, vt quia suadebant nostri,

Qui Caroli Magni Institutores.

Gratus Monachis Episcopatus plurimos erigēs eorū gratia eosdē ditat.

Stabilimentum Regni vnde sibi pollicentur.

24. Monasteria edit.

Multis Regnis nostrorum fauore augetur.

Consiliarij Sancti.

Nihil inconsultis Monachis agit.

nostri, nihil magis ad Regni pacem, ac tranquillitatem, nec non Ecclesiæ vniuersalis communem salutem; quam Concilia cum consensu Romani Pontificis celebrata, facere, interpellata Sanctissimi voluntate, plurima passim de rebus cùm Ecclesiasticis, tùm polyticis Concilia cogeret; eaquè (memorabili ad posteritatem omnem exemplo) tunc vel maximè, & quidem semper præmittere consuesceret, antequam ad Bellum aliquod progrederetur. Ex quo vno, quantùm felicitatis, Germania, Gallia, Italia, Orbis Christianus vniuersus retulerit, quantùm Iustitiæ, *quæ sola exaltat Regnum*, floruerit, difficillimum fuerit, satis explicare, ac deprædicare.

Cōcilia plurima celebrat.

Bellis præmittit.

Ingens inde vtilitas.

E Consiliarijs Regni præcipuis Sanctus Adelhardus noster fuit, Pipini Nepos, Caroli consobrinus, qui viginti annorum iuuenis diuortio cum Hermingarda cognati Regis adeò offensus est, vt aulæ mox valefaciens, nec aspicere quidem Carolum vltra sustineret, & ad Corbeiense Sanctissimum Cœnobium se conferens, illic purpuram statim cucullo commutaret. Coluit sanctissimè posteà Sanctum hostem Rex optimus, & Regno carere, quàm Adelhardo maluit, quem ab horti Corbeiensis cultura, ad Regni participium, violenter abstrahens, vt Patrem reueritus est, eiquè cùm se, tùm filium Pipinum impensè commendauit; quem Romanorum demum creatus Augustus cum eodem in Italiam destinauit, eiquè non tàm filium, quàm Princeps mundi Regnum credidit; cui summo cum honore extra Vrbem occurrens S. Leo Pontifex Maximus tanta cum familiaritatis significatione eumdem excepit, vt haud immerito impatientissimus honoris Abbas totus obstupuerit; Pontificis plena amicitiæ, ac confidentiæ verba hæc ipsa referente Paschasio Ratperto: *France, inquit, sciendo scias, quia si te aliud inuenero, quam te credo, non vltra necesse est Francorum aliquem huc venire, cui credere debeam &c.* Cuius Iustitiam ait idem Sanctus Scriptor, *Franciam expertam*, ait non solùm, sed & *omnia Regna terrarum*; vnde non solùm apud Gallos, atque Italos, *sed etiam apud Græcos, & omnes maris Insulas*, asseuerat, *nimiam amoris gratiam promeruisse &c.* Proximus auctoritate Sanctus Angilbertus S. Richarij Abbas, gener Caroli, cuius opera hìc plurimum vsus, admirabili vitæ sanctitate Gallias percelluit, aliaquè

S. Adelhardus cognatus quoniā meruerit.

Ex Hortulano Regni moderator.

Italiam administrat S. Adelardus.

Quanto honore except. à Papa.

Fama S. Adelhardi nostri.

S. Angilbertus Abbas meritissimus de Imp.

aliaquè inter grauisſima merita, inualeſcentem paſſim Felicis Vrgelitani Epiſcopi peſtilentisſimam Hæreſim feliciſſimè profligauit. Tùm, magnus ille Treuerorum Archiepiſcopus, & S. R. E. Cardinalis B. Hamularius Fortunatus, Conſilijs, Legationibus, Scriptis, alijſquè quam maximis meritis ſpectatiſſimus. Exin *aurea illa ſcientiæ omnis quadriga*, Clemens, Rhabanus, Claudius, & Ioannes Scotus; quorum, aliorumquè Doctorum noſtrorum opera, Italia propagato litterarum ſtudio, iam pene neglecto, mirè refloruit, Germania noſtra eo- uſquè inculta, barbariem exuit, Gallia autem tantopere reſplenduit, vt Anſegiſo, & Meginfredo teſtibus, *Galli, vel Franci, antiquis Romanis, ſeù Athenienſibus æquarentur*. Alcuino inprimis id agente (quem vt puer olim Magiſtrum ſic vt parentem poſteà, conſilijquè ſui directorem in omni vita ſuſpexit Carolus) vt nunquam deinceps intermorituro ſtudiorum amore orbem incenderet, Regiſquè diſcipuli auctoritate vſus, & facultate, non ſolùm diuerſiſſima toto orbe viris doctis Collegia inſtitueret, verum, vt & pietas iuxtà, ac Religio diſcipulis velut cum lacte inſtillaretur, eam curam potisſimùm apud Monachos reſidere vellet, adeòque ipſa etiam Monaſteria, perfectioris vitæ, & eruditionis lectioris Gymnaſia fierent, tanto inde Doctorum hominum emergente numero, & Sanctorum, vt vtrum admireris magis planè neſcias, vtrumque in quouis ferè eius ſæculi Doctore coniunctum, totus obſtupeſcas. Quorum plurimi, vix præ lætitia capiente ſe Carolo, ad remotiſſimas quaſque, & barbaras maximè gentes zelo propagandæ Fidei profecti, feliciſſimum poſteà tanti Regis, atque Imperatoris Imperium reddidere, nonnulli pretioſisſimo per Martyrium ſanguine agrum Dominicum excoluere, Eccleſiam ornauere. Aduolauere ad tanti nominis Principem integra Monachorum ex Anglia, Hybernia, & Scotia examina, & agmina, vt multo iam plures, quàm milites numeraret, quin & multò magis illis, quam iſtis fideret, imò plus gloriæ non ſolùm, ſed & victoriæ ſanctorum Virorum conniſu, & precibus impetraret. Quos omnes, ſinguloſque, cum nulla ambitione honoris ſiue ingenij oſtentatione, ſibi, Regnoquè conſulere animaduerteret, tanta ſecuritate, & familiaritate ijſdem conuixit, vt quamuis in om-

S. Hamularius Fort. & alij.

Merita ingentia noſtrorum.

Alcuini ingentia merita.

Doctorum Collegia.

Monaſteria Perfectionis & eruditionis Gymnaſia.

Doctores Apoſtolici.

Tota Monachorum cohortes.

Conſulunt omnes Regi, & Regno.

nem

nem Regni angulum intentus, vix arma aliquando exueret, Monachum tamen in ipsis armis perpetuo circumferret, & quod diebus non poterat, noctibus faceret, Monachorum Choris se iungeret, quin & Matutinas longè præuerteret, tùm primum cum ijsdem voces, & gemitus iungeret, cilicio semper nudum corpus tegeret, de rebus Diuinis colloquia sedulò exambiret, & ne vlla re à Monachorum studijs, nisi Imperij, & bellorum cura diuersus esset, ipse etiam sacros codices scriberet, Theologica tractaret; verbo, Monachum per omnia ageret, & si quid in aula, seu militia vspiam delinqueret, multa & sedula poenitentia, & confessione illicò expiaret. Vsus arbitro conscientiæ Vvaldone Augiæ Diuitis Monacho, Sangallensi postea Abbate, Viro doctissimo, & meritissimo, cùm ad diuersos eundem honores promoueret, Ticinensem, mox Basileensem Episcopum renunciaret, adeò is dignitatem omnem, præ salute crediti sibi Regis neglectui habuit, vt non multò post, omnia respueret, quin & Sancti Dionysij Parisiensis Abbatiam abdicaret, an omninò non admitteret, vbi tamen Carolo propior, ne in aula agere cogeretur, priuatus consenuit, & vitæ periodum feliciter absoluit. Tantorum Virorum coniuncta opera tantus euasit Carolus, vt non tàm fortuna, ac belli gloria, quàm sanctitate vitæ, & singulari eruditione, Imperatorum omnium, ac Regum speculum, & exemplar factus, haud immeritò, vel ipsa etiam Cæsaris Baronij attestatione, *TER MAXIMVS* queat appellari; *cui nec mea*, inquit, *sententia qui præcesserunt, vel postea successerunt Imperatores, æquari penitus valeant.* Decessit pleuritide septimo infirmitatis die, susceptis consuetis Christianorum Sacramentis, anno ætatis suæ 72. regni Francorum post Pipini Patris mortem 47. Imperij verò 14. cui vni ex Imperatoribus datum, vt toto Terrarum Orbe, ab ipsis etiam paganis, tamquam *PATER ORBIS*, summo planctu plangeretur, à Monachis inprimis, quorum totus fuerat, & à summo præcipuè orbis capite, Sancto Leone nostro eius hominis Tertio, qui ipsum ad summum illud Romani Imperij culmen euexerat; experto incomparabilem Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Protectorem, qui grata animi significatione patrem æmulatus, vti ille accepto à nostris Regno *AMPLIFICANDAE*

Carolus Magnus Monachorum choro iungitur.

Imperator Monachus.

Vvaldo Carolo Magno à Confessionibus.

Eius demissio, & pia sollicitudo.

Carolus Ter Maximus.

Moritur.

Pater Orbis appellatur.

Incomparabilis Defensor Ecclesiæ.

ROMA-

ROMANAE ECCLESIAE VIAM PRIMVS APERVIT, ita ipse Libertatem Ecclesiæ eidem ab Orientis sceleratissimis Imperatoribus varijs modis sceleratissimè violatam, integerrimam restituit, parentisquè donationes confirmauit non solùm sed, & Saxoniam, atque Gallias eidem vectigales fecit. Sed ad reliquos iam Imperatores, Monachis debitores, cursim transeamus.

Patris amulus religiosissimus.

LVDOVICVS I. COGNOMENTO PIVS, Magni Caroli nostri filius, secundus Occidentis Imperator Augustus.

IS eosdem quos Rectores Imperij, consiliorumquè directores Carolus Pater, viros sanctissimos educatores, & Magistros habuit, eosquè inter (electus iam Imperator) Magnum & grandæuum Alcuinum, Patri ipsi superstitem, præcipuè suspexit, ac coluit. Hilduinum dein Sancti Dionysij Abbatem loco præcipuo, & Sacri Palatij Antistitem habuit, quem haud immeritò Vvalafridus noster, Magnum Aaron appellauerit, cuius morum nitor cum sensus probitate summè commendatur. Eumdem Lupus Ferrariensis, Nobilitatis, Dignitatis, & moderationis apicem, communemquè Ecclesiarum Magistrum salutauit. Vt de meritis tanti Consulis facilè omineris. Supra omnes tamen Adelhardus, de quo in Carolo prolixius, excelluit, qui in filium æquè, ac patrem beneficus, FONTIS CONSILII, ET IVSTITIÆ REGVLÆ cognomen toto Imperio, & orbe meruit. Quorum tantorum Virorum auctoritate, pietate, ac prudentia innixus Ludouicus, tot Regnorum, & maximi Imperij molem in se vnum deuolutam, ita sustinuit, vt AVGVSTI titulo longè AVGVSTIOREM, PII, scilicet cognomen acceperit, supra omnes titulos summo in honore expetendum, ac suspiciendum, imò admirandum. Et verò à pueritia ad senectam, in vita omni ad mortem vsque admiranda omninò pietas in Ludouico eluxit, vt cum sanctissimis quibusquè Monachis pia ambitione, atque æmulatione contenderet, relictoquè amplissimo Regno, cucullum amplecti exoptaret,

Ludouicus Pius Imp.

Ipsius Institutores, & Consiliarij.

Quanti, & quales.

Insignis Titulus.

Pietas Ludouici.

Voto Monachus.

voti ſecurus, quod voluntas Numini pro re ipſa accepta eſſet, quam nihil quam ſanctiſſimi parentis Caroli prohibitio, & tot populorum Regnorum, & Imperij ſalus impediuiſſet; iure nihilominus Monachis Imperatoribus accenſendus, quorum vt totus ſemper fuerat, ſic in ipſo Imperio vitam acuratiſſimè viuebat, & referebat. Quin & Monaſticæ vitæ Reſtitutorem affirmaueris, cum ad Aquitanici Regni Thronum à Patre euectus, nihil priùs, quàm de benè meritis mereri habuit, eorumque rationes, & inſtituta promouere: „ Illùc enim profectus, ait „ Aimoinus, collapſam Chriſtianam diſciplinam reſtituere la- „ borauit, erectiſque quamplurimis Monaſterijs, reddidit eam „ Spiritualium aquarum irriguo, tamquam alterum DEI Pa- „ radiſum: Sed & vndecumque adductis Magiſtris, omnium „ Diuinarum, & humanarum ſcientiarum ſtudium introduxit, „ cúm antea totius Aquitaniæ, qui videbatur Clerus (vt potè „ ſub varijs tyrannis agens) magis equitationi, bellicæ exer- „ citationi, miſſilium librationi, quàm Diuino cultui operam „ dare nouiſſet. Adeò verò etiam coaluit antea collapſus Mo- „ naſticus Ordo, vt etiam ipſe Ludouicus Rex, idem vitæ „ Inſtitutum amplecti deliberaret: ſed huius deſiderij ne com- „ pos fieret, obicem ſe præbuit refragratio Patris, vel potius „ Diuinæ nutus voluntatis, quæ tantæ pietatis virum noluit ſub „ ſuæ cura ſolius ſalutis deliteſcere, ſed potius per eum, & ſub „ eo, multorum ſalutem adoleſcere &c.

Imo reapſe.

Quin & Reſtitutor Monachici Ordinis.

Aquitaniã reformat.

Diuina voluntate Regno reſeruetur.

Condidit in ſola tunc Aquitania Ludouicus ad triginta ſexus vtriuſque Monaſteria, vt eorum, quæ per Galliam poſteà, & Germaniam vniuerſam, quin & per Hiſpaniam ſtruxit, ſeu dotauit, nec rationem habeamus, nedùm numerum ineamus. Quin & tanquam Generalis Monachorum omnium Pater Conuentum Solemniſſimum Epiſcoporum (tunc ferè ex Ordine noſtro omnium,) atque Abbatum, in proprio Palatio ſuo Aquis celebrauit, in quo octuaginta capitula, de recta vitæ Regularium inſtitutione, ac victus quantitate, in cunctis ditionis ſuæ Monaſterijs, ſecundùm S. P. N. BENEDICTI Regulam obſeruanda, à Patribus conſtituta ſanxit; quæ quidem apud Caſinenſes ipſos perinde, atque Regulam ipſam obſeruata Leo Oſtienſis affirmat, vt alterum poſt Sanctiſſimum Patriarcham Mona-

30 Cœnobia in ſola Aquitania condit

Conuentum pro Reformatione Ord. celebrat.

Monachici Ordinis Cōditorem, Ludouicum verè Pium, verè nostrum Imperatorem veneremur. Nec minùs Segnes in demerendo tanto suo Principe fuerunt: Maximi inprimis Orbis Vrbisquè Pontifices nostri Sanctus Leo III. S. Stephanus Quintus, S. Paschalis I. S. Valentinus, S. Gregorius IV. qui ferè paterno affectu Ludouicum amplexi, quantis poterant fauoribus eum prosequuti sunt; vtque alia prætercam omnia, horum postremus Gregorius, cùm grauissima, & metuenda Imperio, orbiquè vniuerso dissensione Ludouicus, filijquè inter se se digladiarentur, difficillimum, periculosissimumquè ipse iter in Gallias suscepit, & quamuis minus pro officio ab Ludouico exceptus, & indignis postea modis à Lothario exagitatus, de benefaciendi tamen, & merendi studio, nihil prætermisit, imò multùm plurimumquè laborauit, donec Episcoporum nostrorum, & Monachorum strenua opera, atque indefessa, periculosissimum orbi incendium consopiretur.

Alter Ordinis Benedictini conditor

Summorum Pontificum nostrorum de Ludouico merita.

S. Gregorij IV. studium

Item Episcoporum nostrorum.

Diui Adelhardi nostri illud inprimis meritum maximum fuit, cùm falsò apud Cæsarem delatus, atque in exilium post tanta merita actus, reuocatus posteâ mereri non desijt, & à pietate, & clementia in decliue abreptum defectione Bernardi Italiæ Regis, & complicum, Cæsarem optimum, sibi & DEO reddidit, correptumquè pro seueritate eo adduxit, vt in publico Conuentu Episcoporum tantus Imperator publicè pœniteret. De fructu porrò Adelhardi nostri ab exilio reditum consequente, itâ Paschasius Ratpertus: Regnum, atque Aulam *cum introisset*, inquit, *velut quidam ast, quia venit Titan, apparuit illico nudata insipientia, qua tegebatur pallio caliginis, & factus est stupor nimius, quis Senatum Populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto, non parum eos inuidia fuisse delusos, duxerunt in irritum, penè quidquid per hoc tempus* (exilij nimirum) *vt eis visum est argumentosè tractauerant &c.* Condidit in sceleris expiationem alteram Saxoniæ Corbeiam Ludouicus, cui eundem Adelhardum cognatum suum, quem ante eiecerat, præfecit, & Virum Sanctissimum longè deinceps reuerentius coluit, consilijsquè eius tàm salutaribus multò cum Regnorum emolumento libentissimè acquieuit. Sed ante omnes frater de fratre optimè meruit, Drogo nimirùm Magni Caroli filius, Metensis

Ludouicum degenerantē reducit S. Adelardus.

Mira mutatio Regni in aduentu viri S.

Drogonis nostri Metensis Episcopi meritum.

ex Luxouienſi Monacho Epiſcopus, qui Ludouicum iàm à filijs exauctoratum, grandi cum merito Imperio reſtituit, & grauiſſimæ iuxtà impietatis notam à tanti nominis Regibus, & Imperatoribus auertit, Galliam, atque Germaniam extrema calamitate liberauit, iucundiſſimam orbi pacem reddidit.

Imperium Ludouico ereptū reddit

Proxima Apoſtolorum noſtrorum merita, qui plurimas ſubiectas Ludouico Prouincias Chriſto lucrati ſunt, quorum non pauci, eoſquè inter Harruchus Vverdenſis Epiſcopus Amerbacenſis Monachus, glorioſiſſimo ſanguine miſſionem ſuam mirè exornarunt, cœlum, & Eccleſiam matrem recrearunt.

Apoſtolorū noſtrorum merita.

Supra omnium tamen, conatus labor, & fructus Magni Anſgarij Corbeienſis Monachi, longè eminuit, feliciſſimumquè atque inprimis memorabile Imperium Ludouici reddidit, cuius nimirùm opera, infeſtiſſimi olim, & toties Europæ Chriſtianis populi, ampliſſima Septentrionis Regna, Dania, Gotthia, Suetia, cæteraquè mari proxima, Eccleſiæ Matri aggregata, Imperium toties olim attritum, conuulſum, euerſum ſecuriſſimum Cæſari reddidere. Cuius tanti beneficij magnitudo tanto poſt nobis dignius æſtimanda venit, quanto præſentius, ac recentius, ab ijſdem ad cognatam paganiſmo perfidiam prolapſis, preſſi, exhauſti, & femineces, inter collucentia toto Imperio patriæ dulciſſimæ incendia, cædeſque, ac calentem parentum, & chariſſimorum ſanguinem, ſurdis querimur, altum ingemiſcimus, & comploramus.

[illegible] tem Magni Anſgarij

Imperium à Barbaris ſecurū reddit S. Anſgarius.

Beneficium hoc nemo dignius æſtimat, quam noſtra ætas.

Deceſſit Ludouicus Chriſti Anno 840. ætatis 64. Imperij 27. paulò ante mortem Ludouico iuniori iterùm rebellanti per Drogonem fratrem denuò reconciliatus, cum dies 40. cibum alium nullum præter corpus Dominicum ſumpſiſſet, & diſtributis in Eccleſias, & pauperes theſauris, ligno Sanctæ Crucis pectus ſuum muniens, in ipſo mortis articulo dæmones fugaſſet. Curauit cum Epiſcopis, & Monachis corpus fratris Drogo noſter ſumma pompa, & amore, & quorum in omni vita ſemper erat, apud Monachos Sancti Arnulphi Metis condidit, multis noſtrorum lachrymis diù deploratum, quin & poſt mortem ſummo, ſummèque oportuno beneficio diligenter adiutum, & purgatricibus è flammis ereptum. Siquidem poſt quatuor, ac triginta iamnos, tam Pius Impera-

Aliud Drogonis noſtri meritum.

Moritur Ludouicus.

tor, ſerum ſibi auxilium à Ludouico filio flagitans, ſpecie ſqualida, & lachrymabili eiulatu, in hæc verba, quæ inuertere mihi religio ſit, erupit: *Adiuro te per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, & per trinam Maieſtatem, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam poſſim habere æternam.* Nouit quamprimùm filius quo recurreret, trepiduſquè, ac ſupplex in Fuldenſi aliquandiù Cœnobio ſe abdidit, dimiſſiſquè quaquauerſum epiſtolis, vt ſupplicationes per omnia Monaſteria decernerentur impetrauit. Stupente ad tàm longum Sanctisſimi Imperatoris ſupplicium orbe; cuius cauſa alia nulla creditur, quam quod ſubinde lenitudine in lentitudinem inclinante inſolentiam iudicum, ac miniſtrorum minùs obſeruarit, ac pro meritis caſtigarit, obſequenſque cæteroquin per omnia Monachis, monita grauisſima ea ſuper re, duodecim capitibus à B. Einhardo Abbate compræhenſa, & à cœleſti genio dictata, ſiue grauitatem rei non aſſequutus; ſiue ingenij facilitate, remisſioneque explere diſtulerit, morte intereà, quamuis pœnitens, præuentus, & exemplo metuendo Principibus factus, alieno malo diſcentibus, quanti referat non ſolùm ſanctum Virum, ſed bonum iuxtà, ac vindicem ſcelerum Principem extitiſſe.

E purgatricibus flammis per noſtros eripitur

Memoranda viſio.

Lenitudo Principum pernicioſa.

Einhardi Abb. ſalutaria monita.

BEATVS LOTHARIVS I. IMPERATOR AVGVSTVS.

HVnc æquè, ac Patrem, grauisſimis meritis demeruere noſtri, ſumma diligentia edueatum; ſanctisſimè inſtitutum, & à grauisſimis ſubindè periculis, & ſceleribus ſalubri conſilio, precibus, & pia quadam vi præreptum, Drogo inprimis, Hinckmarus, & Lupus, quos ille maximè ſuſpexerat; adeò quidem, vt de Pio parente primùm optimè meritus, cum à coniuratione Pipini fratris, & perduellium, digna tanto filio pietate liberaret. Sed quæ cæteros ambitio rapuit, & ipſum denique tranſuerſum egit, & contra Patrem armans, grauisſimis ſceleribus inuoluit, donec noſtrorum

B. Lotharius I. Imp. noſtris educatus.

A multis ſceleribus præpeditur

multo

Reconciliatur Patri. multo sudore, & opera eximeretur, reconciliatusquè Patri, eidem demùm in amplissimo Imperio succederet.

Item Fratribus. Pari fide, & industria, Regna fratrum omnium, Monarchiam scilicet, exambiens, diù, multùmque deterritus, permittente demùm Numine grauiter castigatus, sæpè à fratribus victus, Regnoquè, & ipse exutus, ab ijsdem tàm Sanctis curatoribus suis, amicitiæ Fratrum, & Regno restitutus est, vt *Regno per nostros restituitur.* multò nomine vitam quasi, & Regnum debere se Monachis fateri cogeretur. Meruit deinceps grauissimis de Imperio, & ipse meritis, liberalium artium præcipuus propagator, ac Doctorum hominum Mœcenas, cuius opera ingens passim eruditorum hominum multitudo confluxit, & quæ cœperat auus, *Præcipuus bonarum artium promotor Lotharius.* continuauerat Pater, ipse longè ardentiùs prouexit, extulitquè adeò, vt Gallia non solùm, sed, & Germania supra modum niteſceret, & tales, quales vix vlla deinceps viderat tanta copia ætas, æternis sæculis demirandos ederet, de quorum *Rhabani laus, & meritum.* Principe Fuldensium Scholarum Rectore, haud immeritò dixerit Trithemius: *Nec Italiam Rhabano similem, nec Germaniam æqualem vidisse.* Intulit is primus Græcarum etiam litterarum in Germanias studium, quibus Diuitis Augiæ, Sangallenses, alijquè Monachi nostri, Syriacæ, Arabicæ, Chaldaicæ linguæ peritiam statim addidere, vt qui non in vniuersis *Nostri Græcam, Arab. Chald. linguas orbi nostro inferũt.* excelleret, easquè vt Patriam calleret, vix docti nomine (non sine graui ætatis nostræ censura) notaretur. Quorum plurimi de vniuersa Ecclesia meritissimi, Haymo inprimis Fuldensis, & *Haymonis nostri laudes.* ipse Monachus, Halberstaldensium posteà Episcopus, Commentarios in omnes Testamenti vtriusque libros edidit, à singulari pietate, breuitate, dictionis simplicitate, ac perspicuitate laudatissimos; in quibus, quæ à veteribus interpretibus, *Commentaria.* vel erant scripta doctis, vel dicta ad populum fusiùs, egregio sanè omnium commodo, in compendium redegit, adeò perspicua, & lucida breuitate, vt & ab occupatis, paruo temporis dispendio legi, & à simplicibus, leuiterquè litteratis facillimè intelligi possint, Allegoricis ferè, & Anagogicis sensibus pleni, *Vualafridus Glossa ordinariæ auctor.* & ex omnium antiquorum hortis, ac pratis florentissimis decerpti. Vualafridus autem Strabo Augiæ Monachus, *Glossa*, quam vocant *Ordinariam*, comportata, tanto maiore beneficio or-

bem

bem ſibi, & poſteritatem omnem obſtrinxit, quanto pulchriore ordine, maioreque diligentia, ac labore collegit, & primus ſummo cum bono publico protulit.

Nec minùs illuſtre Lotharij Imperium Apoſtoli noſtri, Epiſcopi, & Viri ſancti reddiderunt, quorum conſuetudine, vitæ puritate, & ſublimitate tantopere delectatus eſt, vt Imperium ſummum, quod tantopere olim exambierat, quin, & Orbis, ſi offerretur Monarchiam vniuerſam pro nihilo æſtimans, nihil iam magis, quam cucullum exambiret, omniaque mundi gaudia, & ſortis blandimenta, ſtercora reputans, vt Chriſtum lucrifaceret, totis viribus adniteretur. Quarè, præcipuo in terris honore, ſtupente rei nouitate vniuerſo, Imperio, quòd annis quindecim tenuerat, ſpontè ſe abdicauit, tantamquè molem in humeros filij Ludouici deponens, reiecta purpura Monachum in Prumienſi noſtro Cœnobio profeſſus, quantò anteà ſtudio mundi gloriam, tantò deinceps conatu Chriſti paupertatem, & ſacrum vitæ rigorem conſectatus eſt; adeò felici ſucceſſu, vt à morte Diuorum albo adnumerari mereretur. Ad cuius tranſitum, cùm ingens multitudo cacodæmonum conueniſſet, ſperans ob ea, quæ in Imperio admiſerat delicta, de ipſo triumphum reportare, peccata eius noua vitæ profeſſione deleta inaudijt, & benè deluſa frendens, eiulanſque reuertit. Vixit in Ordine annis decem, obijtque Anno Chriſti 865. (alijs 863.) cuius mortem minus rectè nonnulli ad Annum Chriſti 855. quo quidem anno, non naturaliter, ſed ciuiliter mortuum fuiſſe intelligendum eſt, Imperio nimirùm depoſito, & nouæ vitæ profeſſione, Lothario in alium hominem, imò Angelum mutato; vt ſatis liquet ex Adone Vienneſi. Cuius item laudes Angelomus, & Rhabanus celebrarunt.

Faſtidit Imperium. Lotharius Imper.

Eo ſe ſponte abdicat.

Sanctitatē in cucullo inuenit? dipiſcitur.

Inferos eludit noua vitæ profeſſione.

LVDOVICVS II. COGNOMENTO IVNIOR LOTHARII FILIVS.

Ludouicus II. vtrumq; parentem Monachum habet.

IS quantùm Monachis deferret, facilè fuerit, pro ipsa parentum reuerentia ominari, quem vtrumque Monachum habuit, matre scilicet, mariti Augustissimi exemplum, paulò post pari rerum terrenarum fastidio, cælestium desiderio, pari item successu, ac fructu consequente, vt Hermingardem Angilbergam Imperatricem, longè Augustiorem in cucullo, quam purpura, atque auro suspiciamus; quòd quidem in S. Iuliæ Brixiensi Cœnobio amplexa, (in quo & prior Lotharij coniux Angelpirga Angliæ Regina se condidit) tanto se virtutum progressu omnibus commendauit, vt eidem Monasterio post celeberrimæ memoriæ Abbatissam Amalpergam præfici meruerit.

Vtraque coniux Lotharij Monialis.

Quantum deferat parentibus Ludouicus.

Pependit ab auctoritate tantorum parentum, quoad viuerent, Ludouicus Imperator, ad eos dein conuersus, quorum beneficio, atque opera maiores suos Imperium, totque Regna obtinuisse, eorumdemquè tàm fidelisius consilijs felicissimè imperasse, ignorare non poterat. Quacumquè pedem inferret, seù oculos, columnas Ecclesiæ, ac Regnorum spectatissimas intuebatur, Rhabanum præcipuè in Germania, Imperij sui initijs etiamnùm superstitem, Hinckmarum in Gallia; quorum ille, præter commemorata superius merita, æterna cum Germanorum gloria, EXPOSITIONEM SACRAE SCRIPTVRAE, QVAE ISOGRAMMATICA, quod est ÆQVILITTERALIS, magnó cum Ecclesiæ, Orbisquè vniuersi emolumento ADINVENIT, & quidem labore ingenti, hac scribendi ratione, Commentariorum libros, omninò centum, atque octo supra septuaginta absoluit. Vt haud immeritò Cardinalis Baronius, ipsum *FVLGENTISSIMVM SIDVS*, appellet, *cuius, quæ extent scripta, TANQVAM LVCIS RADII excellentiam demonstrent Auctoris; VIRVM OMNIVM LITTERARVM genere egregiè excultum, triumquè linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimum*. Additque: *Meritò Germaniam gloriari posse, SVVM HAVD ADEO IMPAREM MAGNIS HABVIS-*

Columna Imperij quæ.

Rhabani immortale meritum.

Elogium eiusdem.

HABVISSE DOCTOREM. Cuius tamen multò acuratiùs ingenium explicans Brouuerus: *Nullius omninò*, inquit, *liberali homine digna facultatis, aut artis expers; ferè nemini concessam hac ætate, excellentissima doctrina palmam obtinuit: IMMENSO QVIPPE CAPTV, VASTOQVE LIBRORVM COMPLEXV; docendo, dictando, scribendoque, Diuinos apices, totis dispersos Bibliorum membris rimatus, PORTENTOSI, AC FOECVNDISSIMI INGENII MERITO, nescias vtrum illi plus decoris librorum conscriptorum auctoritas, QVAM PROFVNDAE, ATQVE INEXHAVSTAE MENTIS, ADMIRABILITAS, adtecerit. Vnde cum publico Fuldæ docendi fungens munere, explicaret, itidem IMMENSI INGENII sui diuitias, facilè vicinorum non solùm, sed & remotiorum IN TANTO GYMNASII SPLENDORE, ad se studia, atque ora conuertit, vt concursus etiam audiendi causa, ad eum ex tota Germania, Galliaque fierent &c.* Hucusque Brouuerus.

Elogium aliud.

Portentosi eius ingenii

Imò immensum appellatur.

Vt nihil de ijs, quæ Pontifex primùm gessit, Moguntinensium Archiepiscopus creatus, referamus; quæ solùm innuimus: Regno Ludouici, diuersissimis celebratis Synodis, quibus auctoritate Romanorum Pontificum præsedit; missis vndequaquè Epistolis, Clero, ac Populo reformato, diuersis erroribus, ac Hæresibus profligatis, mirè consuluisse; vt obligatissimus tanto Patri, ac Doctori Ludouicus, vt Virum semper suspexerat, sic mortuum inconsolabili luctu deploraret.

Alia eius merita.

Hæreses profligat.

Hinckmari merita quanta fuissent, & quanta de cœtero spes, Ludouico regnante, de ipso haberetur, summa existimatio ipsius Summi Pontificis Adriani demonstrat, qua, componendis grauissimis per Imperium turbis, & grandi, quæ incumbere videbatur calamitati auertendæ, nemo aptior ipso iudicabatur. Memoratu dignissima Epistola illa, quàm Christi Anno 868. ad ipsum dederat, in qua, alia inter, sic meritissimum Virum compellat: *Licet frequens SANCTITATIS TVAE FAMA, QVAE NVNQVAM NISI CVM LAVDE SEMPER EXISTIT, te nobis dudum fecerit manifestum; tamen vt virtutum, probabiliumquè morum tuorum prædicamenta, liquidiùs agnosceremus, Fratrum nostrorum, videlicet*

Hinckmari merita, & æstimatio.

Adriani Papæ Epistola.

Fama Hinckmari.

F Arse-

Summi Pontificis erga ipsum dilectio.

Arsenij Venerabilis Apocrisarij sedis nostræ, quin & Actardi sanctissimorum Præsulum, nec non & dilectissimi filij mei Sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecarij fecit Anastasij multis præconijs plena delectabilisque relatio. QVA DE RE, SIC ANIMAM MEAM, TVAE DILECTIONIS ARDOREM CONCEPISSE COGNOSCE, TAMQVAM SI MILLIES MVTVIS FRVEREMVR ALLOQVIIS, *&c.* Commendans exin eidem Apostolici honoris defensionem contra Reges, pro præclaris eiusmodi iam antea præstitis Romanæ Sedi beneficijs ipsum extollit his verbis: *Quamobrem, Fraternitatis Tuæ industriam specialiter admonemus;* VTI, QVOD SVPER HOC OLIM NEGOTIO GESSISTI STVDIVM, *nullatenus enervari consentias; sed* VICE NOSTRA FRETVS, CORAM REGIBVS, ET PRAESIDIBVS, *de testimonijs Domini loqui non cesses &c.* Vt quæ de Hinckmaro pollicita sibi sit Ecclesia, quid polliceri sibi debuerint Regna, facilè conijcias.

Priora eius merita celebrantur.

Caroli Archiepiscopi Maguntini merita.

Item Bassacij & S. Bertharij Abbatum.

Nec minora Caroli Maguntiæ Archiepiscopi, Corbeiæ Gallicæ Monachi, cognati Principis de Ludouico merita, qui plurima pro Regni salute egit, dissensiones consopiuit, & Germaniæ inprimis multis modis consuluit. Sed & Italiæ, Principi Imperij membro, à Saracenis per hæc tempora afflictissimæ, Bassacius testatæ Sapientiæ, & Sanctitatis Casinensium Abbas, eiusquè successor Bertharius, Regum Galliæ sanguine editus, plurimum profuere, quorum ille semèl, hic verò vsque tertio Ludouicum induxit, vt spectatissimo Regno prospiceret, & ipse eo profectione suscepta, barbarorum progressus impediret. Quem, & quarta vice cum Imperatrice Argilberga apud se Casini diuertentem, & Sanctissimo Patriarchæ nostro supplicem, indè contra Saracenos in Apuliam mouentem Bertharius prosequutus est, nihilquè intermisit, quod ad arcendos ab Italiæ ceruicibus Barbarorum enses, opportunum arbitraretur.

Sclaui conuersi per nostros.

Danorum feditio composita.

Sub eodem Ludouico Sclaui per nostros ad Christiana sacra conuersi, magno item metu proxima Christianorum Regna liberarunt, sed & Dani Pagani Regis scelere concitati, à Sancto Ansgario ad saniora reducti consilia, ferociam atque enses posuere, quibus haud leue Germaniæ periculum imminebat,

minebat, vt quanto tenebatur Monachis obstrictus debito optimus Imperator, liberalissimus licet in eosdem, nunquam tamen se se expediret. Mortuus est Princeps optimus Christi Anno 875. apud nostros in Basilica Sancti Ambrosij Mediolani tumulatus. Cuius debitorum, de quibus modo benè conscia Angilberga Imperatrix, cum soluendo non esset, ipsam se nostris tradidit, & tertia iàm Imperatrix, reliquis in Monasterio S. Iuliæ Brixiensis adiunxit, vitæ perfectione, non honoris deserti respectu, Placentini, ac Brixiensis Cœnobiorum Antistita summa omnium gratulatione electa.

Debitor nostris Ludoui cum moritur.

Imperatrices tres vno in Monasterio.

CAROLVS COGNOMENTO CALVVS IMPERATOR AVGVSTVS.

HIc Ludouici Pij, Imperatoris verè nostri filius, matrem Iuditham Guelphicam habuit, & ipsam denique spontè Monialem, quàm improbitas filiorum in Ludouicum patrem, simul etiam altera vice Imperio extruserat.

Caroli parẽtes nostris accensendi.

Carolo imperante, ingentibus beneficijs nostri Imperium demeruere. Cùm enim ille, si quis vllus alius, Litteratorum omnium Patronus, & pater esset, incredibile est, quantùm, breui licet eius Imperio, Liberales artes incrementum vbiquè sumpserint, ex Hibernia maximè cateruatim confluentibus nostris, eaquè per Germaniam, Galliasquè ingenij monimenta condentibus, quæ sequutura deinceps ætas nulla, quantùmuis hauriat semper, vnquam valeat exhaurire. Vnde ad Carolum ipsum, datis hoc Anno litteris Ericus Monachus Altisiodorensis, minimè adulator: *Quid, inquit, Hiberniam memorem? contempto pelagi discrimine penè totam, cum grege Philosophorum, ad littora nostra migrantem, quorum quo quisque peritior est, vltro sibi indicit exilium, vt Salomoni Sapientissimo famuletur ad votum &c.* Recensent plures Trithemius, & Iepesius nostri, Remigium Altisiodorensem Episcopum, Milonem Elnonensem, Hugobaldum, Ansbertum, Bertramnum, Paschasium Ratpertum, aliosquè de Imperio Caroli meritissimos, qui optimi Principis nomen posteritati æternum commendarunt. Quos tamen omnes Ansegisi Senonensium,

Carolus patronus, & pater litter.

Ingenij monimenta inexhausta.

Meritissimi de Imperio Hiberni.

Viri eruditissimi.

Ansegisi nostri laudes. ex Monacho Sancti Petri Viui, Archiepiscopi, benè merendi studio, fructuquè superauit, quem tanti Ioannes VIII. Pontifex Maximus æstimauit, vt Galliæ simùl, atque Germaniæ Primatem instituerit, Virum, eruditionis, sanctitatisquè nomine ipsis Regibus suspiciendum, summèquè venerandum.

Successit Carolo filius.

LVDOVICVS COGNOMENTO BALBVS.

Ludouicus Balbus Imperat. NOn minus, quàm pater, Episcopis, & Monachis nostris obstrictissimus, qui nisi summis Viribus connixi essent, in conciliandis Principum, ac Populorum animis, fœdissimo, atque ineuitabili incendio Germania, Gallia, atque Italia simul omnes exarsissent, cùm, incertum qua de causa, *Et ipse, & pater Imperium nostris debens.* Carolo, atque Ludouico nimiùm addictus Ioannes Pontifex, ijs, in quos potiora populi, ac procerum vota ferebantur, ac studia, illos prætulisset. Nostris in consopienda Regum Imperij competitorum ambitione, supra quam exprimi possit laborantibus, cladem què Prouincijs, ac Regnis amplissimis mira industria, ac pietate auertentibus, Pontificium honorem, & iura, non absquè offensa amantissimorum cæteroquin Regum propugnantibus, donec vocante Numine, viuis Imperatores illi duo eximerentur, vterquè apud nostros, Carolus quidem in Sancti Dionysij, Ludouicus in Sancti Cornelij Compendiensi Monasterio tumulati.

CAROLVS COGNOMENTO CRASSVS Ludouici Germaniæ Regis Filius Imperator Augustus.

Carolus Crassus totus Monachorum. FVit hic quantus quantus, Monachorum totus. Parente siquidem Religiosissimo genitus, ab eodem à cunis ferè Monachis creditus, pietate æquè, ac litteris eorumdem institutione

tutione, nihil Ludouico Pio auo suo, nihil Magno Carolo proauo, Cæsarum maximis cessit, omnem etiam gloriam postea æquaturus. Non fuit tùm absque noxa vlla iuuenili animus, fratrum æmulatione, atque ambitione, & ipse succensus, cuius tamen mox pœnas pependit, tristissimo spectaculo ipsis Regni comitijs spectante patre, omnibus stupore, pauoreque attonitis, ab infernó hospite obsessus, atque agitatus, adeò vt sex validissimos viros, furenti compescendo additos, lassaret, & in languorem daret. Circumductus per tumulos Martyrum, vt tanta liberatus peste animum reciperet; carminibus deuotorijs, publico Ecclesiæ ritu tentatus; nec quidquam omnia, cùm nemo non esset, quem non exempli diritas in lachrymas cogeret, patrem inprimis, filiosquè, quorum lamentis Regna implebantur. Monachis debebantur seruabantur hæ partes, quibus per omnia debebatur Carolus, nisi quod sui oblitus nonnihil, ab institutis eorumdem desciuisset. Et sanè obstricturus beneficio, quo maiore nemo posset, patrem Caroli, Carolum ipsum, imò Imperium ipsi destinatum, ille erat, qui tanta calamitate tantæ spei iuuenem liberaret. Sollicitatæ proin per litteras officij plenas Monachorum preces, inuentusquè qui tanto mederetur malo Rembertus est, Bremensium Corbeiensi ex Monacho Archiepiscopus, Magni Ansgarij Septentrionis Apostoli magnus Discipulus, & in Apostolatu successor meritissimus, qui miranda aliàs patrare solitus, inuisum hostem, ac hospitem aduentu suo statim profligauit, & Carolum patri, Patriæ, imò Galliæ, Italiæ, Imperio vniuerso incolumem reddidit, adeò sua liberatione lætum, ac gratulabundum, velut ab inferis emersisset. Pependit deinceps multò arctius à Monachis Carolus, vt vix auelli ab ipsis, seu à se illos pateretur, fortunatissimus deinceps Princeps, si quis in orbe alius, dum pro tàm piè instituentium voluntate animo suo, vt Regnis imperaret. Accreuere Regna Regnis, & præter Imperij, totque Prouinciarum diademata, Fortuna etiam Galliam adiecit, vt quidquid olim Caroli Magni nutu, auspicij squè regebatur, & quadraginta amplius annos carptum, diuulsumquè sub pluribus Dominis fuerat, iterùm sub vnius iura, imperiumque concederet. Accessere ingentes victoriæ, opima de triumpha-tis

Educatio, eruditio, & pietas eius.

Amalagenio exagitatur.

Ingens luctus ob calamitatem tanti Principis.

Monachi exorantur.

Prodigiosè liberatur Carolus à sancto Remberto.

Totus dependet à nostris

Ingens eius Fortuna.

tis hostibus spolia, gloria, maiestas, opulentia, omnia maxima, vt felicitatem sui Principis nunquam satis orbis miraretur.

Suspicitur toto orbe.

Quæ omnia sanctis se viris debere ritè agnouit, quorum ille demereri gratiam, quantis poterat modis, & summa maximè animi demissione laborauit, Eusebium inprimis Sangallensem Monachum Prophetiæ spiritu sibi probatissimum, familiarissimè adamans, à quo de Victorijs, de euenturis, & summi momenti rebus, velut de præsentibus edocebatur, in Sancti Galli eapropter Heluetiæ Archisterium ita propensus, vt eo frequentissimè diuertens, inter Monachos, posita Regia Maiestate verè Monachum agens, ministerijs, cantu, disputationibus, oratione, in Triclinio, oratorio, scholis, cellula, cùm absolutissimæ perfectionis viris contenderet, neque ab ijsdem, nisi Spiritu DEI concitatus, ad arma denuò proruerет.

De euenturis à S. Eusebio nostro edocetur.

Monachus inter Monachos.

Sed vt fileam omnes de Carolo meritos, meritissimus de ipso, de Imperio vniuerso Luitvvardus fuit, Vercellensium ex Monacho Augiensi lectissimus Episcopus, Cæsaris Archisacellanus, CVIVS CONSILIIS, FIDELIQVE OPERA MAGNITVDO CAROLI SVSTENTABATVR. Eum tanti, pro meritis, Imperator fecit, vt omnia arbitrio illius moderaretur, eo quidem rerum successu, quem declarata iam satis, & Principis, & tot Regnorum felicitas commendabat. Quæ tamdiù communem populi plausum confouebat, hostes deterrebat, quam cum Carolo diù Luitvvardus præfuit, cuius erga summos, infimosquè eadem facilitas, nullumquè maxima in dignitate, hominum aut negotiorum fastidium, incredibilem omnium amorem, ac fauorem Imperatori conciliauit, donec è medijs tàm sancti consulis virtutibus, ab inuidentibus gloriæ eius, argumentum peteretur, quo innocentiæ improbitas probaretur. Meruerat de Augusta æquè, atque Augusto Luitvvardus, quam sanctissimè instituerat, ab eadem pro meritis summè æstimatus, & in ijs, quæ animum spectabant sæpius interpellatus, quàm familiarem æmuli consuetudinem, in viro integerrimo, in suspicionem turpitudinis auerterunt, neque dubitarunt pro re comperta auribus Cæsaris infundere: Episcopum inter Augustalia iura, etiam Augusti thorum occupasse. Carolus stolida credulitate sibi imponi

Fulcrum Imperij, & Caroli Luituuardus noster.

Inuidia Luituuardum pellit.

Inuidentiū falsa accusatio.

poni

poni passus, Luitvvardum indicta causa, aula eiecit, Richardemquè Sanctissimam coniugem, humana, diuinaquè iura appellantem, & ad ferrum, ac ignes prouocantem, eadem contumacia auersatus, cui decennium conuixerat (stupenda res!) Virginem coniugem à se dimisit, professus ipse, sibi cum illa maritalis vsus nihil vnquam intercessisse: quæ se statim, in Adelauensi Virginum condito à se Cœnobio includens, Monasticem professa, Virginum Sponso Virginem consecrauit. Deseruit, cùm Consule proscripto, Consilium Cæsarem, cùmque religiosis religio exulauit, suadente inprimis Embricone Ratisponensium Pontifice, quod nemo tàm amico Monachis Cæsari antea ausus esset, Sancti Emmerami celeberrimam Ratisponæ Abbatiam Episcopo commendaret: quo facto nihil aliud consequutus est, quàm vt auerso deinceps Numine, eodem vindice, iudicequè amici, æquè ac hostes, hostiliter insurgerent, Dani, paulò ante, opera Monachorum amici, igni, ferroquè Germaniam vastarent, Carolusquè labascente corpore iuxta ac mente, odijs popularibus increscentibus, regno excideret, Francis, Saxonibus, Thuringis, Boijs, Alemannis, conspirantibus sententijs, Arnulphum Carolomanni filium, Carentani, & Pannoniæ Ducem, abdicato patruo Regem salutantibus, dilapsis familiaribus etiam Seruulis, & Dominum proijcientibus, quem paulò antè totus orbis adorauerat; adeò deinceps inclementer à Fortuna habitum, vt Luitperti primùm nostri Moguntini Præsulis eleemosinis viueret, donec à Nepote, eodemquè patrono nouo statam, certamquè stipem impetraret. Cuius totius calamitatis causam à Monasterio S. Emmerami neglecto originem habuisse, Arnulphus Imperator, & successor ipse, in Diplomate suo, quod Ratisponæ etiamnùm asseruari dicitur, his ipsis verbis haud obscurè significauit: *Omnium*, inquit, *successorum nostrorum magnitudo cognoscat, postquam patruus meus Carolus Imperator, pro petitione Episcopi Embriconis, Sancti Eemmerami Ecclesiam præstauit, nunquam posteà habuit victoriam, neque corporis, & animæ sanitatem, vsque ad finem vitæ suæ. Si quis ergo Imperator, aut Rex, eamdem Ecclesiam alicui præstet, in maledictione Sanctæ MARIAE, Sanctiquè Petri, successorumquè eius, & omnium Sanctorum persistat &c.* Hucusq;

Credulitas Cæsaris.

Consilium cum Consule exulat.

Carolus Monasterium Episcopo commendat.

Inde calamitatum omnium origo.

Inclementia Fortunæ.

Memorabile scriptum Arnulphi Imper.

Arnulphus. Exegit vitæ reliquum Neidlingæ humili Sueuiæ pago, non melior modo, sed & clarior in lacerna, quàm purpura visus, cui animam agenti patuisse cœlum vetustissimi Annales referunt, & Diuo Hermanno teste constat, ad funus eius faces celestes exarsisse. Conditus ad pedes Augiensium Monachorum, è quibus Luitvvardus suus erat, æternùm Fortunæ inconstantis exemplum, quem tamen tanto chariorem Numini fuisse, quo minus in delicijs est habitus, ipsi è cœlo fauores tàm manifesti attestantur.

Mors Caroli.

ARNVLPHVS CAROLOMANNI FILIVS IMPERATOR AVGVSTVS.

Arnulphus Imperator.

HVnc, etsi à puero Ordini nostro addictissimum, recens tamen Caroli patrui exemplum, multum percelluit, vt quanti referret Religiosos minimè offendere, sed potius colere; è tàm graui Numinis censura facilè æstimaret. Quare, vt deriuatam in se tanti nominis Maiestatem felicius tueretur, per omnia se Imperij Monasteria profusa liberalitate commendans, sanctorum Virorum, quibus cumulatissimè ea abundabat ætas, enixissimè preces flagitauit; Diui Emmerami maximè nostri eo feruentius gratiam exambiens (cuius neglectum tàm grauiter luisse optimum cæteroquin Cæsarem Carolum nouerat,) quo maiores sibi eo conciliato fauores è cœlo promittebat. Nec minus in alia Ordinis Cœnobia propensus, Augiense inprimis, celeberrimum illud Episcoporum Germaniæ promptuarium, necnon Sangallense, tanto studio coluit, vt eo velut ad oraculum Delphicum recurreret, ambiguis Imperij rebus, pleno fonte consilium, subsidiumquè petiturus. Inde fidissimos sibi consules deligens, Salomonem, atque Hatthonem vtriusque loci præsides, illum Ramsvvagiorum Comitum, hunc Regio genere natum, vtrumque prudentia, pietate, eruditione, rerum gerundarum dexteritate Imperio singulari Numinis prouidentia datum, felicitatis paulò post suæ ea argumenta habuit, quibus afflictissimis Regnorum rebus consultum iri certo prævidebat.

Exemplo patrui perculsus.

Addictissimus Monachis.

Oraculum Delphicum Monasteria.

Consiliarij eius quales

Sed

Sed & Hatthonis promotione exhilarata Ecclesia, plurimum inde fructum cepit, adeò vt Ecclesiasticorum Annalium Scriptor Baronius disertè asseueret, cæso à Normannis Beatæ memoriæ Sunderoldo nostro Moguntinensium Archiepiscopo, *Subrogatum Hatthonem SVMMO TOTIVS GERMANIAE BONO, vtpotè qui ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam plurimum laborauerit &c.* Quem quidem tantum Virum (indignè à nonnullis malè credulis notatum) Arnulphus tantoperè coluit, vt cùm in familiari colloquio, tùm in publicis Instrumentis, haud aliter, quàm *COMPATREM* suum appellaret, Virum in omni litterarum, & negotiorum genere versatissimum, in cuius manibus totum Imperium versaretur, ob incredibilem Arnulphi amorem, atque æstimationem vulgo *COR REGIS* cognominatum; de quo ambigas licet, habueritne potius, an fuerit Cor illud, adeò in vnum vterquè coaluere. Vterquè sanè de Imperio non solùm, sed de Romana Sede meritissimus, cùm à Carolo Magno (quidquid è Berengarij ausis in Arnulphi caput, ac nomen, per inuidiam nonnulli detorqueant) nullius Principis in Romanos Pontifices luculentius meritum comprobetur, quem haud immerito Vohburgensis Comes vetus, & inprimis Religiosus auctor, *OB BEATI PETRI DEFENSIONEM, POST VICTORIAS MIRIFICAS IMPERIVM ADEPTVM* asseueret, adeò modestum Principem, adeò ab omni ambitu alienum, vt ter omninò à Summis Pontificibus ad capessendum illud fuerit euocandus; Tyrannorum oppressorum, restitutæ Pontifici libertatis, dignitatisquè gloria, & merito immortalis.

Summo Germania bono eligitur Hattho Archiepiscopus.

Compater ab Imperatore appellatur.

Vulgo Cor Regis dicitur.

De Imperio meritissimus.

Item de Sede Apostolica.

Neque in tanto rerum fastigio pietatis, modestiæquè immemor Arnulphus consueta studia vnquam intermisit, in ipso Imperio, vitam Monachi viuere doctus, à quorum instituto ne longius recederet, neque habitatione quidem remotior esse voluit, nobili Regia, iuxta Diui Emmerami Monasterium posita, ex qua ad consueta tàm charis, atque sanctis Viris exercitia, quouis ferè momento posset occurrere. Nec absque fructu tàm religiosi affectus erga Diuum Emmeramum nostrum propensio fuit, quem optimus Imperator, & aliàs sæpè, & bello inprimis Morauico cepit, cùm aciebus vtrinque ad pugnam ex-

Pietas Arnulphi Imp.

Monachis cohabitat.

plicatis, repente se hostibus cœlestium auxiliorum primos ordines ducentium augusta species obiecit, omnesquè grauiter consternatos in fugam compulit, quousquè Thraso quidam perditæ audaciæ miles Zuentibaldi Regis clypeo obarmatus, raptoquè prætorio vexillo insignis, diffluentes reuocaret, aciem restitueret, obstantibusquè summotis vsque ad Arnulphum penetraret, pro quo spectabili forma, Sanctus Emmeramus noster se ipse opposuit, furentisquè hostis impetum fregit, quem vt animo viribusquè repente linqui commilitones aspexerunt, fracti, & ipsi, inquè effusissimam fugam coniecti, memorabilem inprimis victoriam Arnulpho reliquere.

Arnulphus Imper. prodigiosè à cæde seruatur.

Decessit optimus Cæsar Christi Anno 899. à Beato Tutone nostro Ratisponensium Pontifice sub extrema, & à morte piè curatus, & inter nostros conditus, quem religiosi inprimis viri multis lachrymis deplorauere.

Moritur, & à nostris curatur.

LVDOVICVS IIII. ARNVLPHI FILIVS IMPERATOR AVGVSTVS.

HIC septuennis etiamnùm in Comitijs Forchemij celebratis à congregatis illìc Germaniæ proceribus Imperator salutatus est, cui eorumdem Principum communi calculo Hattho noster Moguntiæ Archiepiscopus Tutor datus, onus Imperij ita sustinuit, vt maximi quiuis Principes merita eius suspicerent, auctoritatem venerarentur; cuius fideli opera Regi iuueni, & Prouincijs prouidè consultum, perquè lectissimos, quos militiæ præfecerat Duces, aliquoties de Vngaris gloriosissimè triumphatum. Sed quæ Luitvvardum nostrum sub Carolo Crasso inuidia nonnullorum deiecit, Hatthonem quoque appetijt, quasi Adelberti Babenbergensis Comitis, contra datam fidem cæsi, tàm indignæ necis auctor extitisset. Et facilè id erat in Hatthonem comminisci, quod arbitrio illius, iàm sub Arnulpho, nedum sub Ludouico puero, geri omnia crederentur. Quæ tantum Pontificem mouisse remur, vt à Regis, & Imperij cura multum deinceps alienus, animum eo conuerteret, vnde sibi plus gratiæ cùm à Deo, tùm à commendatis sibi proxi-

Ludouicus IV. Imp.

Eius cura Hatthoni nostro credita.

Inuidētium in Hatthonem cōmentum.

proximè populis polliceretur. Et sanè celebratis synodis, alijsque præclarè per Diœcesin gestis, illud nominis, gloriæque assequutus est, vt Ecclesiasticæ Disciplinæ Restitutor, Germaniæ Reformator, ab exteris etiam Scriptoribus, inquè vniuersalis Ecclesiæ Annalibus celebretur. Ludouico deinceps Principi iniquior fortuna, & ab Vngaris paulò antea triumphatis, variæ deinceps clades, quæ iuuenilem etiam animum in mœrorem primùm, mox ægritudinem, & immaturam paulò post mortem compulere, cùm vix annum vitæ decimum octauum explesset an attigisset, nulla relicta sobole, ex quo magni deinceps consequuti motus Germaniam aliquamdiù grauiter afflixere.

Restitutor Ecclesiasticæ disciplinæ Hattho.

Infelicitas Ludouici.

Nec desijt etiam à morte Ludouici de Imperio mereri Hattho noster, eorum tamen potissimùm satagens, quæ Cleri, quę Populi vniuersi spectare viderentur reformationem, quæquè verò Pastori, ac Monacho congruerent, quem ob eiusmodi merita, & insitas magno animo præstantissimas virtutes Salomon noster Constantiensis Pontifex plurimum coluit, & ad se, ipso quo decesserat anno, Romano ab itinere ad S. Galli diuertentem, multò plausu excipiens, arctè complexus est; cuius vtriusque in abstinentiæ studio pias fraudes describens, sanctioris notæ author Eckehardus, inter conuiuij spectatissimi delicias Ieivnos consedisse, & similiter, cum vinum haurire putarentur, aquam potitasse, spectatissimæ notæ testis asseuerat. Vt indignum planè sit, de tàm benemerito Pontifice, tàm malè sentire, in cuius defuncti locum ex eodem Angiæ Monasterio, expetitus denuò sit, & concessus Herigerus, qui antecessoris virtutum, & magnitudinis æmulus, vices iustè expleret, & conceptum de morte eius dolorem solaretur. Cuius prolixius, vel eam maximè ob causam meminimus, quod Alter Imperator etiam vulgo dictus, de Imperio meruisse videretur. Cui biennium post Ludouici obitum superfuit, & febri, non alio mortis genere, quod diuersi diuersum contendunt, Anno Christi 913. Moguntiæ decessit, inter meritissimos Pontifices, & Consules Imperij referendus.

Hattho mereri non desinit.

Magni fit à S. mem. Salomone Episcopo.

Hatthonis successor.

Alter Imperator.

OTTHO SAXONVM, ANGRIÆ, Vveſtphaliæ, &c. Dux, Electus Imperator.

Ottho Saxonum Dux.

QVamuis incertum, cuius potiſſimum ſtudio, Hatthonis tamen præcipuè, (cui iam olim Imperium toties commendatum;) factum fuiſſe arbitramur, vt, extincta Caroli Magni ſtirpe, Othoni Luidolphi Saxonum Ducis filio, quamuis ingraueſcente iam ætate, ampliſſimi Regni faſces committerentur. Is quamuis oblatæ conditionis fulgore nihil motus, Imperium conſtanter reijceret; ſuoque ſuffragio Conradum Conradi Franconis Filium nominaret, & vt Rex ſalutaretur deniquè efficeret, penes ipſum nihilominus donec vixit vis Imperij fuit, digniſſimo, & exambiendo maximè Auguſtis titulo PATRIS PATRIAE, plebis procerumque acclamatione, honoratum.

Hatthonis opera eligitur.

Titulum Imp. recuſat

Ottho tanti applauſus fortunam ad DEVM retulit, vt fero, ſic inſuperabilis fauore hominum, ac blandimentis, ijs potiſſimum addictus, & cauſas negotiaque Imperij omnia commendans, quibus propior cum ſuperis cognatio, & ad ſupremæ Maieſtatis Thronum, ac penetralia, acceſſus facilior eſſet, non tam Auguſtorum veterum exemplo, quàm proximo Luitolphi patris, qui Monachos ſummo ſtudio coluit, ijſdemque fortunam omnem felicitatemque maiorum, poſt DEVM adſcripſit, quorum opera factum eſſet, vt Vvitikindus gentis conditor, verum Numen agnoſceret, falſa eiuraret, atque impietate iuxta, ac barbarie abſolueretur. Sed & recens Otthoni Anſgarij, Remberti aliorumque ex Ordine memoria, qui ſe, qui parentes mille modis demeruerant, quorum ipſe etiam inſtitutione tantus euaſit, vt haud immeritò vniuerſis Imperij ampliſſimi Principibus, & tot quidem, tantiſque competitoribus, etiam obnitens præponeretur. Et verò illud inprimis mirandum occurrit, quod ex ea potiſſimum gente, quæ infeſtiſſimis animis odijſque pertinaciſſimis cum Carolo Magno, vna omnium diutiſſimè pugnauerat, illi, nunc eiuſque poſteris ſucceſſor quæreretur, ex quo de meritis Prædicatorum noſtrorum, Vviberti, Bonifacij, Remberti, Adelgarij cæterorumque conijcias,

Monachis plurimum addictus.

Felicitas familiæ vnde?

De maiorib. Otthonis meritiſſimi noſtri.

Mira Imperij translatio.

nijcias,

nijcias, eos quos paulò ante ipsa barbarie impietateque ineptissimos regno hostes Christiani nominis, & Imperij videras, adeo feliciter mutatos, vt Protectores Ecclesiæ Imperijque Christiani propagatores, summo omnium consensu, ac gratulatione deligerentur; redundante iterum, translati in nouam familiam Imperij, gloria in Monachos, ijsdemque summum in se deriuatum honorem, diuque vsurpatum, Principibus Saxonum, iure meritissimo referentibus. Dilexit autem cultu præcipuo nostros Ottho, & grandi senecta velut puerum duci se passus, regi quam regere maluit, æterno modestissimi Principis exemplo, Monachorum proprio, inanes titulos respuens, seruitutem potius illam summè suspiciens, ad quam à Summa Maiestate, ad singulare suum obsequium, minimi in oculis suis, mundi contemptores vocarentur. Quibus celebre in Monte Lunæburgensi Ottho Cænobium condidit, & filijs suis chariores habuit. Sed & in alia Cœnobia liberalitate profusus, ipse saluti Regnorum intentus, duas in cucullo filias Lutgardem, & Adelheidem Numini consecrauit; nostris à morte accensus, inter quos, vt Luitolphus pater sepeliri voluit; tantum præcibus Monachorum tribuens, vt quas viuens efficacissimas senserat, etiam mortuus experiretur.

Translationis huius gloria etiã ad Monacos spectat.

Monachorũ explicatio contemptor honoris Ottho.

Filias duas Deo consecrat.

Apud nostros sepelitur.

CONRADVS FRANCVS ELECTVS IMPERATOR AVGVSTVS.

Conrado, si cui vnquam Principum, propensissima in Monachos voluntas, adeo quidem, vt omnibus Regni delicijs præferret Monachis conuiuere, vel inde primum, ac potissimum orta, quod ingentibus ijsque perpetuis beneficijs Sanctissimi ex Ordine viri Chilianus, Burcardus, Megingaudus alijque Franconiam obstrinxissent, quibus ipse etiam institutionem, fortunam, multasque acceptas à Numine gratias deberet. Quare in id sedulo incubuit, vt pro acceptis, grati animi significatione se solueret, & studia tam amica quibus poterat modis compensaret. Certatum & à nostris est, vtri beneuolentia Cæsarem vincerent, & nostris cumprimis Pontifici-bus

Conradus Augustus.

Nostri de familia eius meritissimi.

Certant cũ Cæsare bene factis Monachi.

bus tota Germania ſedulo laboratum, vt in Electi huius obſequio populos continerent, quos varia Principum ſollicitatione pulſatos mutari ſæpius, & partibus ſtudere, ſummo cum Germaniæ periculo aduerterent. Conuentibus proin habitis, diris deuouere, qui contra Conradum moliri quidquam præſumerent. vt facilè coniectaretur Cæſar, quantum ijs deberet, qui tantum ſui cauſa contenderent; quorum non pauci, ſupremum vitæ diſcrimen apud competitores adiere.

Cæſari Imperium ſeruatur per eoſdem.

Salomonis tamen, de quo iam ſæpius, ſumma apud Conradum auctoritas, quem probata multis iam Regibus fide, atque opera ſpectatiſſimum, ſuorum arbitrum conſiliorum, præcipuè dilexit, & coluit. Inde in Monachos eius Sangallenſes tanto amore exarſit, vt nihil magis, quàm in numero eorum adſcribi, atque cenſeri, quantum per Imperij negotia licuerat, exambiret, FRATRIS CONSCRIPTI titulo, (certis legibus ijs conceſſo, qui certis impedimentis à profeſſione Vitæ Monachicæ abſtinebantur) velut Regio iure parto lætus, quem ſupplex exambierat. Narrat mira, & iucunda admodum, de Cæſaris eiuſdem cum Sangallenſibus familiaritate Eckehardus; quæ omnia breuitatis ſtudio præterimus. Illud præterire non poſſumus, quo de grauiſſimis Salomonis noſtri meritis liceat ominari, cuius iniurias, & pericula, vt ſua, vt Imperij vniuerſi, acceperit, & memorando inprimis animaduerſionis rigidæ exemplo vſus ſit. Tulere ægrius Burckardus, Erchingerus, & Bertholdus Sueuiæ Duces, vnius Monachi nomini tantum deferri, quantum auito generis ſplendore, ampliſſimoque dominatu ipſi minimè aſſequerentur, grauius dein liberalitate Cæſaris offenſi ſunt, quod in cucullatos, vt vocabant, tantum conferri, & indignum, & de ſuo etiam decedere iudicarent; quæ odia illorum fomentis aucta, in furorem denique, & iniurias exarſere; quas quidem amiciſſimo homini illatas, Rex adeo excepit, vt ſupplicio extremo vlciſci ſtatueret, niſi enixiſſimis precibus Salomon ipſe hoſtium Principum vitam redemiſſet. Sed odioſa paulò poſt ſalus ipſa, & vita Ducibus tantis fuit, quàm Monacho deberent. Quare oblata aliquando occaſione in itinere interceptum Diepoldisburgum abduxere, vili iumento impoſitum, & peſſimè habitum, dum deliberarent, quid de ipſo ſtatuerent, Ber-

Salomonis Epiſcopi merita.

Fratris conſcripti Titulum Cæſar exambit.

Familiaritas Cæſaris cum Monachis.

Quanti Salomonem Epiſcopum fecerit?

Eius iniurias vt ſuas accipit.

thæ

thæ interea Erchingeri coniugi, pessimæ notæ Principi, & Salomoni infestissimæ, captiuum credituri, quod deteriori non possent; quæ solo tanti Pontificis contuitu mirè mutata, Numinis in ipso gratiam adorauit, & lachrymis suffusa, quanto potuit honore excepit, ædesque pretiosissimo peristromatum ornatu excoluit; ac tum liberum ad sua remisit. Conradus Augustus, de Salomonis sui periculo rem edoctus, dum lecto decumberet, doloris impatientia strato exiluit, quoque loco meritissimi viri res essent anxiè quæsiuit. Cognito autem, quod erat, erumpentibus vbertim lachrymis, loco discessit, quo secretius dolori indulgeret. Tum verò, missis quamprimum copijs de euertendis Ducibus cogitauit, conuocatisque Moguntiam proceribus, cum Erchingerus, Bertholdus, ac Luitfridus captiui sisterentur, frustra pro hostibus supplice denuò Salomone, capitali eos sententia punijt, & metuendo inprimis miserandoque spectaculo Endingam Sueuiæ abductos, in oculis suorum capite plecti imperauit. adeo indolente casui, ac supplicio eorumdem Salomone, vt velut amicissimorum mortem, ad vitæ suæ suprema numquam non deploraret. Euertit in sceleris detestationem præcipua etiam Ducum Palatia Imperator, vt constaret vniuerso, quanto plus de se consilio Salomon, quàm illi armis, atque obsequio meruissent. Decessit gloriosissimus Cæsar, & Frater Ordinis Conscriptus, Christi anno 919. cum paulò ante obitum Henricum cognomento Aucupem, Otthonis antecessoris filium successorem nominasset.

Capitur à Sueuiæ Ducibus Salomon.

Bertha infensissima Princeps ipsum reueretur.

Ingẽs amor Cæsaris se prodit.

Vlciscitur iniurias Salomonis sui.

Moritur Conradus Imp.

HENRICVS I. COGNOMENTO AVCEPS IMPERATOR AVGVSTVS.

De Henrico, omnes qui meruerint, ex Ordine, recensere, longum nimis fuerit, & vt præter institutum propositumque, sic & eo ipso molestissimum, quia nimium. Paucissimos è plurimis obiter attingimus: Odonem inprimis, Magnum illum Cluniacensis in Gallia Archisterij Antistitem, cuius se virtus, & merita, minimè in Gallia continuerint, sed in Germaniam, in Italiam, in orbem effuderint vniuersum, quem

Henricus Auceps Imp.

meritò

Fons Consilij S. Odo Cluniacen. Abbas.

meritò *Fontem Consilij* appellaueris, cum ad ipsum non vnius Prouinciæ seu Regni, sed ad Lydium quasi lapidem, causæ vniuersi referrentur. Proximus huic Sanctus Hildebertus Moguntinensium ex Fuldensi Monacho Archiepiscopus, vir, siquis alius, de Imperio meritissimus, cui, tanquam fulcro firmissimo, omnia negotia Imperij, & ipse inprimis Henricus nitebantur, qui ipsum tanquam cœlo missum Angelum suspiciens, tanto libentius sese ei credebat, & sensa sua omnia submittebat, quanto spectatioribus argumentis, eius se sanctitas prodebat, prodigiosa non solum prudentia, sed prouidentia, Prophetico nimirum spiritu, confirmata. vt mirum non fuerit, sub tali Consiliario, & Imperij Archi Cancellario, quamuis afflictissimis primùm Vngarorum incursione rebus, Henricum emersisse, tamque propitio Numine, Hildeberto per omnia obsequentem, vsum fuisse. Inde Sanctorum Vdalrici ac Tutonis, Augustensis, ac Ratisponensis Pontificum, fida ac maximè salutaria Imperio, & Henrico Cæsari consilia fuere, quorum & Hildeberti maximè adnisu factum credimus, quod Simoniacam Hæresim tantopere Augustus detestaretur, cuius Regno eliminandæ voto, si de Vngaris triumpharet, cum se DEO obstringeret, voti compos, & reus factus, memorabilem inprimis de ijsdem victoriam retulit, cuius, post DEVM, partes proximæ ad consilij auctores referendę videantur. Opima fuere spolia, quæ omnia, nihil sibi vendicans, in sacros viros, & loca distribuit, rogatis toto Imperio Sanctorum virorum, quibus locupletissima tunc, vastata licet ab Vngaris Cœnobia erant, precibus, & apud Numen suffragijs; quæ ipsa conatus eius plurimum iuuere, & gloriam promouere, adeo, vt quos fines Imperij antecessores ægrè defenderant, ipse latissimè propagaret, & in remotissima Septentrionis Regna extenderet, Danis & finitimis subactis, qui ingens olim, vt hodie experimur, terror Germaniæ incubuerant. Meruit illico, & grandi quidem merito de amplissimis illis Regnis, Sanctissimus Bremensium Archiepiscopus, Diuinitus olim electus, VVimo siue Vnni noster, qui in remotissimas vsque grandi periculo, & labore excurrens insulas Apostolico fructu, & merito, beatissimum Henrici Imperium reddidit, & innumeram populi multitudinem

Merita de Imperio S. Hildeberti Archiepisc. — *Prophetico spiritu Imperio consulit.* — *SS. Vdalrici & Tutonis merita.* — *Insignis de Vngaris Victoria ad ipsos relata.* — *Liberalitas Henrici Imp.* — *Remuneratur ipsam Numen.* — *SS. VVimonis Archiepisc. labores.*

Deo, & Cæsari fidam effecit, ipse Sueonum Gotthorum Danorum Apostoli cognomentum augustissimum consequutus. Nec minore beneficio Imperium, imò Ecclesiam vniuersam Sanctus Ratherius Leodiensis postea Episcopus Monachus Lobiensis obstrinxit; qui pestilentissimam Anthropomorphitarum Hæresim, scribendo prædicandoque potentissimus verbo, & opere profligauit, quin & Sacramentariorum errores, iam tunc emergentes, pari felicitate euertit, & nostri sæculi ranarum coaxantium vocibus occurrens, falsitatem detexit, & fraudes, ac venena prodidit. Vt de viris huius sæculi alijs nihil afferamus, quorum Otfridus Monachus Vveissenburgensis, patriæ linguæ restaurator, & seruator extitit, quam ad certas Grammaticæ Leges, nullo antea tentato labore, reuocauit; Rutgerus autem Treuerensis Archiepiscopus, librum Decretorum à se compositum, & in synodo publicè approbatum, immortali cum merito; inter ipsa Germaniæ prælia euulgauit; Regino item, præter Historiam lectissimam, Opus de Ecclesiastica disciplina Orbi vtilissimum, ex Decretis SS. Patrum, & Generalium Conciliorum, in nongenta fere capitula distinctum; edidit, ex eoque ingentem fructum ad omnem posteritatem transmisit. Vt felicissimum tantis viris Henrici Imperium nemo etiamnum satis demiretur. Valedixit mortalibus celeberrimus Imperator A. C. 936. in nostro Quedlinburgensi Cœnobio, cui tunc præerat Mechtildis filia, tumulatus.

Hæreses opprimit S. Ratherius.

Sacramentariorum euersor.

Libri Decretorum Rutgari.

Moritur Henricus Imp.

OTTHO I. COGNOMENTO MAGNVS Imperator Augustus.

Religiosissimus hic Princeps, integerrimi Patris, & Sanctissimæ matris, eiusdemque postea Imperiali fastu contempto perfectissimæ monialis filius, non tam armis quàm etiam pietate Magni sibi nomen comparauit, & meruit. Præter autem institutionem nostris debitam, ipso in ingressu Imperij, illud inter beneficia non postremum numerauit, quod primus Imperatorum sacris solemnibusque ritibus in Germania inunctus, & coronatus sit, & quidem à Sanctissimi nominis Epi-

Ottho Magnus Imp.

Primus Cæsarũ in Germania à nostro S. Hildeberto coronatur.

H scopo

ſcopo Imperijque Archicancellario Beato Hildeberto, à cuius benedictione, dubitare non poterat, ſingularem ſibi à Numine gratiam concedendam, cuius & ipſe auctoritatem, vt Henricus pater præcipuè ſuſpexit, & arbitrio ſe illius libentiſſimè permiſit, numquam niſi ſalutaria ſibi Imperioque tam Sancti Conſiliarij monita expertus.

Hildeberto quantum debeat.

Sed ante omnia noſtrorum de Otthone merita, longè grauiſſima fuere S. Vdalrici Auguſtani Pontificis, cuius monitis, & precibus, non ſemel celeberrimas ad omnem poſteritatem, ac præcipuè admirandas victorias retulit, Vngarorum præſertim innumerabili exercitu ad internecionem prodigioſiſſimè deleto, cum votum, Vdalrico auctore & concitatore, de condendo Merſeburgenſi in honorem Diui Laurentij Epiſcopatu concepiſſet. Sequutus Imperatorem ipſe Vdalricus, inter medios telorum iactus, Sacerdotali tectus ſtola volitabat, & cruce diuinitus ſibi miſſa per Angelum prælata, certo victoriæ ſigno, cum Cæſarem, tum exercitum omnem, vnus animabat, concitabat; vt quid vna hac opera meruerit Sanctus hic Pontifex noſter liberatum tanto hoſte Imperium, numquam ſatis valeat explicare.

Liē S. Vldarico noſtro.

Stupendas victorias ope eius conſequitur.

Ecce verum Paſtorem.

Neque leuius illud, quo eumdem Cæſarem ſuperiore etiam anno Vdalricus demeruit, cum metuendo inprimis, & pudendo prælio, armati vtrimque infeſtis copijs Ottho pater, & Luitolphus filius hoſtes conſiſterent, quorum odijs, atque exercitibus iam grandi cum clade concurſuris Sanctiſſimus Antiſtes interceſſit, & immortali cum merito pacem inter eoſdem conciliauit,

S. Vdalricus fœdiſſimum præliũ auertit.

Refertur, & illa inſperata ad Monachos, ob eorumdem iura defenſa, Otthonis victoria, cum potentiſſimo aduerſariorum, in Alſatia circumfuſus exercitu, Henrico Otthonis fratre rebellionis Principe, parum aberat quin opprimeretur, ſummo in diſcrimine deſertus à ſuis; cuius, adeo ſui, & Monachorum ſuorum memoris Auguſti conſtantiſſima reſolutio, prodigioſum Numinis auxilium meruit. Cum enim Comes quidam, qui ei cum ſelecta militum manu aderat, captans occaſionem, extorquendi ab eo in tanta neceſſitate, quod alias adipiſci non poſſe certus erat, Abbatiam prædijs ditiſſimam ſibi depoſceret, vt, quod

Alia mira Otthonis victoria ob iura Monachorũ defenſa.

En præſentiſſimum ſibi in auguſtis Cæſare.

quod sibi deerat militibus suis ministrare valeret; iustissimus Imperator, circumstante populo, in hæc ipsa erupit: *Non est,* inquit, *dandum sanctum canibus. Tibique tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi testificor, nec hoc, nec aliud vnquam te à me accepturum esse. Si cordi tibi est cum cæteris infidelibus auolare, quanto citius, tantò melius.* Erubuit Comes, & ad pedes se eius abiciens, grauiter peccasse confessus est. insignemque hanc optimi Principis resolutionem, mira illico victoria est consequuta.

Dignissima æternitate resolutio.

Vt autem eximiè semper coluit Monachos, religiosissimus Cæsar, sic ad diuersas eos promouendo Cathedras, plurimum Regno consuluit, tanto securius in eos honores conferens, quanto obnixius eos illi detrectabant. Velut Guntherus Sanctissimi nominis Ratisponensium Pontifex, ridiculo sanè responso prodidit, quàm honores rideret, cum etiam Numinis destinatione, ad mitram vocaretur, admonito in somnis Otthone, vt qui primus postero die templum ingressuro occurreret, Pontifex fieret. occurrit Guntherus Monachus loci æditimus. qui rogatus à Cæsare, quanto munere prærogatiuam ad Episcopatum nanciscendum redimeret? *Crepida*, respondit. Agnouitque dignissimum Cæsar, qui mitram, & calceum eodem loco habuisset.

Monachos lectissimos ad Cathedras promouet.

Mira electio Gũtheri Episcopi.

Dignissima responsio.

Ornauit autem non solùm in tantorum Pontificum gratias Cathedras eorumdem, & regia liberalitate locupletauit, sed & suasione eorumdem nouas condidit, ad quas similiter è Monasterijs Sanctissimos quosque, maximèque refugientes, extraxit, & ad Merseburgensem quidem Bosonem S. Emmerammi Monachum, virum lectissimum euexit, qui sua minimè contentus Prouincia, ad Slauos vsque excurrens, Diuini humanique iuris ignaros, sanctiore disciplina imbuit, & innumeros ad cultum humaniorem, & Diuinitatis agnitionem traduxit. Similiter Citizensi siue Miluerburgensi in Misnia Ecclesiæ Sanctum Hugonem Apostolicæ item vitæ meritique Monachum, primum Antistitem dedit. Magdeburgensem denique primum item Archiepiscopum, & Germaniæ Primatem Sanctum Adalbertum Diui Maximini propè Treueros Monachum renunciauit, qui & ipse Apostolico zelo succensissimus, in Rugiam vsque profe-

Nouæ Cathedræ nostrorũ suasione.

Primi Episcopatuũ Antistites è Monachis, Sancti omnes.

S. Adalbertus primus Archiepisc. Magd.

ctus, barbaros illos populos Romanæ Ecclesiæ gremio aggregauit, Magnique Rugorum Apostoli nomen meruit; vt non tam opibus Magnus Ottho, quam primus quisque suæ Sedis Pontifex admirabili sanctitate, & grandibus ijsdemque æternis meritis Episcopatus tantos fundasse videantur; adeoque Imperium, & Imperatorem ipsum summopere demeruisse.

Rugorū Apostolus.

Fundatores Episcopatuū nostri.

Decessit Magnus reuera Imperator, cui præter Constantinum, & Carolum item Magnos, ex Regibus maximis, quem compares, vix habeas, certè de Orbe Christiano omni ita meritus, vt illum Vrspergensis Abbas *Amorem generis humani* appellare non dubitarit, A. C. 973. summo cum honore à S. Adalberto nostro, quem is viuens vnicè dilexerat, in Archiepiscopali à se condita Magdeburgi Basilica, Mausolæo Regio illatus.

Mors & laudes Otth. Imp.

OTTHO II. IMPERATOR AVGVSTVS.

Ottho II. Imp.

HIc à puero, sanctissimis moribus atque optimis disciplinis à nostris institutus, educatorem, & Magistrum lectissimum Eckehardum habuit, Sancti Galli Monachum, Beati Eckehardi senioris, ibidem Monachi, ex sorore nepotem, præcipuum Magni Otthonis Consiliarium, vulgo Palatinum, etiam à nostris cognominatum, quòd ob admirabilem Diuinarum humanarumque litterarum cognitionem, à diuersis Principibus certatim expeteretur, à potentiore denique Otthone Augusto auulsum, & Imperij negotijs, dilectissimique filij educationi adhibitum. cuius quidem institutis Ottho iunior plurimum profecit, & magnam in spem cùm parentem optimum, tum Imperium erexit vniuersum: Meruere dein, qui de patre plerique Sanctissimi nostri diuersarum Ecclesiarum Antistites, & Religiosissimi Abbates, quibus puer etiamnum Ottho, non libenter solùm acquiescere, sed & benefacere assueuit, iussus à patre ipso, benedictionis Diuinæ intuitu, Priuilegijs Monasteriorum subscribere, atque inde felicitatem Imperio augurari. Merita tamen Apostolorum ex Ordine sub huius Imperio potissima fuere, cum subactas denuo sub Otthone patre remotissimas prouincias, nostri sponte adirent, & grauissimis superatis

Eckehardus educator eius.

Otthonis felicitas Eckehardo debita.

Puer Monachis benefacere à patre docetur.

Ingētia Apostolorum nostrorum merita.

ratis periculis, in summa rerum penuria, alacres in propaganda Christi fide desudarent, Ecclesias struerent, Gymnasia, & Xenodochia erigerent, & longè plus prædicatione, quam quiuis Imperator ferro, efficerent, quosque nec armati quidem exercitus in officio continerent, ipsi Imperio atque Imperatori maximè fidos, & Romanæ Ecclesiæ obsequentes redderent.

S. Vvolfgāgus seruator Cæsaris, & Imperij.

Sed præ omnibus, longè spectatissima de Otthone merita S. Vvolfgangi nostri, Ratisponensium ex Monacho Einsidlensi, merita fuere, quorum illud ad omnem posteritatem sæculorum inprimis memorandum occurrit, seruati Cæsaris, & Imperij triumphali corona honorandum. Cum enim Lotharius Galliæ Rex, non denunciatis antè inimicitijs, neque indicto per feciallem bello, Otthonem Aquisgrani penè oppressisset, occupataque Regia, & direpta suppellectile, lætum illic triduum inter genia les epulas ageret, spatium interea, vix fuga elapso, & iam desperato Cæsari dedit, exercitum cogendi, & cuius maximè precibus Regnum niti certus esse poterat, Diuum Vvolfgangum accersendi, cuius precibus, vti Vdalrici ope pater, admirandam sanè Ottho filius de hoste victore victoriam retulit, cui initium Vvolfgangus, prodigio ab exitu populi Israelitici ab Ægypto, ad eam vsque diem planè inaudito fecit. Circa Axonam siquidem fluuium periclitatus denuo Cæsar effugere iam non poterat, cum exercitu minus instructo deprehensus; qui cum traijciendus vado esset, solitoque altius intumescentibus vndis non posset, lectissimas Imperij copias prementium terga Gallorum gladijs exponebat; siue tentantes vadum in oculis suorum hau riebat. Seruauit vniuersos immortali beneficio Vvolfgangus, precatusque familiari voto, quod DEVS benè verteret, cum sequi vniuersos iussisset, primus flumen ingressus, in alteram ripam incolumis emersit: neque dubitauit talem Ducem exercitus sequi, qui precibus suis vadum, vel aperuisset, vel fecisset, adeo deinceps etiam felix ac fortunatus, vt alieni Regni incubatorem maximo cum dedecore, non solum expelleret, sed & fugienti insistens, Rhemos, Laudunum, Suessiones, Parisios, magnis cladibus afficeret, & sacris tantum inuiolatis, profana omnia flamma ferroque misceret. Vt si nullo alio merito, obstrictissimus Cæsar, Vvolfgango vni, vitam, Imperium, felicitatem

Lotharius Galliæ Rex Imperium inuadit.

Inauditum ab egressu Israel prodigium.

S. Vvolfgāgus exercitū per Axonam mirū aducit.

Memorāda victoria.

Obstrictissimus Cæsar.

citatem omnem deberet, numquam infelix futurus, si Vvolfgangum, si Vvolfgango similes penes se perpetuo retinuisset. Obijt Romæ magnus Cænobiorum, & Monachorum Fautor ac Dotator Ottho A. C. 983. cum filium Otthonem III. Monachorum curæ, & precibus diligentissimè commendasset, ibidem in basilica Principis Apostolorum sepulchro Porphyretico conditus.

Moritur Ottho II. Imp.

OTTHO III. IMPERATOR AVGVSTVS.

Ottho III. Imp.

OTtho hic noster omninò fuit, voto nimirum, eodemque Sanctissimorum virorum suasione approbationeque, de abdicando primo tempore Imperio, amplectendisque cucullo, & Regula nostris, publicè concepto, vt non tam nostrorum de ipso merita, quam ipsiusmet de Imperio, & Ecclesia vniuersa, nostris iure merito accenseamus. Meruere nihilominus de ipso plurimum nostri S. Nilus inprimis Cryptæ Ferratæ Abbas, & S. Romualdus Camaldulensium nostrorum Institutor celeberrimus, quos ille, vt parentes, imo in ipsis DEVM ipsum veneratus est, ab ijsdem ad pœnitentiæ, & sacri rigoris studia mirè accensus. His proximi S. Vvolfgangus Ratisponensium Pontifex, de quo non ignorauerat quantum patri suo, quantum Imperio profuisset; Sanctus Adalbertus, alius à Magdeburgensi de quo superius, Magnus Boemorum Apostolus, quem Archiepiscopalem honorem detrectantem secum Roma abduxit, & admirandæ eius vitæ, & sanctitatis oculatus testis fuit; S. Odilo Cluniacensium Abbas Sanctissimus, fidissimum Otthonis oraculum, quem tanti Ottho fecit, vt Summo Orbis Pontificatu dignissimum iudicarit, eoque euehere conatus sit, nisi tantam dignitatem, & Angelorum humeris metuendum onus, animi demissione verè maximus Abbas summa contentione detrectasset. Nec minore in æstimatione eius successor Maiolus apud Otthonem fuit, de Imperio deque vniuerso multis modis meritus, vt nescire non posset optimus Augustus, quo prementibus Imperij negotijs, seu animi periculis, statim recurreret, cum ab his veluti incarnatis Angelis, felicissimè instructus, prophetice præmonitus, miraculorum magnitudine confirmatus

Voto Monachus.

Nostrorū de ipso merita.

S. Odilonē, vt æstimet Ottho.

Item Maiolum Abb. Clun.

Incarnati Angeli fidi Consiliarij.

facilè

facilè acquiesceret. Fuit & à latere etiamnum, qui patri semper Eggehardus Diui Galli Monachus, & Franco noster Vvormatiensium Pontifex, cui Ottho, in ipso Imperio Monachus, conuixit, & pia cum Monachis æmulatione, sacro vitæ rigore, Diuinisque, ac Monachicis exercitijs ad piam vsque inuidiam decertauit. Cuius memoria illud dignissimum apud scriptores celebratur; quod cum adhuc Romæ esset, cum eodem Sanctissimo sibique charissimo Episcopo, pœnitentiæ causa, speluncam quandam iuxta S. Clementis Ecclesiam, clam cunctis intrauerit: vbi ambo induti cilicijs, pedibus nudis, in orationibus ac ieiunijs, vigilijsque, quatuordecim dies latuerunt, &, vt fama fuit, visionibus, & alloquutionibus Diuinis honorati fuerunt. Sic aliàs idem religiosissimus Imperator, confessus de peccatis Diuo Romualdo nostro, ea contritione animi ab eo recessit, vt pœnitentiæ causa, nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, sic vsque ad Garganum Montem, ad S. Michaelis (stupendo sanè humilitatis exemplo) pergeret Ecclesiam. Per totam vero (vt sacri vocamus) Quadragesimam, in Classensi Beati Apollinaris Cœnobio, cum paucis ieiunio, & Psalmodiæ vacauit, cilicio ad carnem indutus, & lecto straminco vsus, vt nihil ad perfectissimi Monachi absolutionem, in tanto Imperatore, quam solam Imperij, quod iam promiserat, abdicationem, desiderares. Illud quo minus, & statim exequeretur Romanum bellum impedijt, quo cum pergeret, promitteretque Diuo Romualdo, se vbi Rauennam reuertisset, abiecta purpura cucullum certo amplexurum, cum retinere offensum, ac concitatum rebellium scelere, non posset vir Sanctus, mortem eidem impendere diuinitus cognoscens, indolensque cum gemitu abeuntem prosequutus his verbis est: ***Romam quidem ibis, ò Imperator, sed Rauennam amplius non videbis***. Ita factum, & fascinatus subacta Roma à Crescentij vidua tantus Cæsar, veneno infectis chyrothecis, eo munere vitam perdidit, magno omnium nostrorum luctu immatura morte extinctus A. C. 1002. Meruit haud leuiter de Ecclesia vniuersa Noster hic Imperator, aliaque inter grauissimum ab orbe schisma profligauit, Ioanne Pseudopontifice deturbato, & pessimè mulctato. Fuitque ob admirandam, ac prodigiosam sapientiam, quod

S. Franco Episcopus.

Exercitia Otthonis monachica.

Mira animi demissio.

Promittit se Monachum fore.

Predicit ipsi mortem S. Romuald.

Plurimũ de Ecclesia meritus Imp.

eius

eius facta statum, & sortem humanam excedere viderentur, MIRABILIA MVNDI, raro, & insolenti planè titulo, cognominatus.

Mirabilia Mundi dictus.

HENRICVS II. COGNOMENTO Claudus, & Sanctus, Imperator Augustus.

S. Henricus Imp.

HEnricus à puero, sub cura, directione, ac Patrocinio Sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI educatus, eumdem, vt Patrem, vt Patronum vnicè dilexit coluitque, tandem non vno prodigio semper expertus, ferulam eius ad supremum vsque vitæ reueritus, & amorem exambiens rapiensque, vt spectabili forma patrem tantum cœlo detraheret, eiusque paterna beneuolentia, & prodigiosa familiaritate frueretur. Fuit à Monachis nostris ab ipsa infantia cum litteris, tum sanctis moribus institutus; quibus, etiam cum imperaret, parere omni Imperio dignius duxit, quoad denique etiam voto emisso, sanctissimis Legibus nostris se deuoueret. Inter Magistros præcipuum puerili ætate S. Vvolfgangum habuit, à quo prophetico, iam tunc, spiritu, non alio, quam Cæsaris titulo salutatus est, germanis similiter Ducis, Reginæ, Antistitæ, obuenturo olim cuique ex munere nomine compellatis. Eiusdem tanti Magistri opera, vti Sanctissimus iuxta, & cultissimus euasit, sic præter Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI, Admirabilis Matris Virginis amorem, quasi cum lacte imbibit, cuius postea honorem toto Imperio mirificè propagauit, eiusque nomini splendidissimam illam Spiræ Basilicam, Basileensem dehinc, multasque alias sumptu incredibili moliri cœpit; solitus prima semper nocte, quotiescumque Vrbem aliquam ingrederetur, si quod ibi templum Augustissimæ Cœlitum Imperatrici sacrum esset, in precibus excubare, illudque ingentis magnitudinis aureo Calice donare. Mirum illud! Romæ, cum in æde S. MARIAE Maioris similiter excubaret, Christum innumero Sanctorum comitatu septum, ceu sacris operaturum ingredi conspexit. Introitum: *Suscepimus DEVS, &c.* solemni cantu prose-

S. P. N. Benedictus spectabili forma ipsum conuenit.

S. Vvolfgangus eius Magister.

Amore in Deiparam mirè afficit.

Mos illius planè inprimis commendandus.

Insigne a Christo, & Sanctis Elogium.

prosequentibus Angelis, cum ad versum *IVSTITIA PLENA EST DEXTERA TVA* deueniretur, conuersus est Christus, & Deipara, digito in Henricum intento, quos & cælites reliqui omnes imitati sunt; tanquam id Henrico nostro elogium optimè congrueret. Sed & illud dignissimum Imperatore nostro; cum librum, finito Euangelio Angelus Christo ipsi, ac Deiparæ, tum cœlitibus cæteris osculandum præbuisset, innuisse Reginam gloriæ Angelo, vt & Henrico porrigeret, hoc insuper in mandatis dato: *Prabe ei pacis osculum, cuius mihi Virginitas placet*. Inde pari ferè, quo luctator ille cum Angelo Patriarcha, euentu, Claudi cognomen Henrico, quod cum nimio raptus gaudio, iam porro oculis atque animo intendere in tam prodigiosa minus posset, tactus in neruo ab Angelo esset, cum his dictis: *Et hoc tibi*, inquit, *erit signum dilectionis DEI, ob tuam castitatem, & iustitiam*. Ex quo quidem tempore obstupefacto neruo nonnihil claudicans, ita tamen in conspectu Domini introiuit, vt nemo Cæsarum rectius incesserit. Fuit felicissimus, & gloriosissimus, grauissimis confectis prælijs Imperator Boemis, Vvandalis, Vngaris, Saracenis mirè edomitis, & profligatis, cui Cœlum etiam militare, & *Angelus* ille *percutiens* exercitum ducere visus est.

Deiparæ rarus fauor.

Vnde Claudi cognomē.

Prodigiosa victoria.

Enituit summa in maiestate miranda animi demissio, quà Magno Theodosio minimè minor, non aliter, atque ad Basilij ille, ita ad Hereberti Coloniensis Archiepiscopi iste, se repræhendentis pedes prostratus iacuit, & errati veniam suppliciter postulauit. Amauit præcipuè tam fidos monitores, & vt Principes plerumque adulatorum turmis, sic Monachorum ille, non sponte venientium, sed vocatorum coactorumque circumseptus, inter reliquos de se meritissimos, Sanctum Bernvvardum Hildesheimensem, S. Vvolbodonem Leodiensem, S. Tagmonem Magdeburgensem, Adalberonem Basileensem, Alvvicum Argentoratensem, Lambertum Constantiensem, lectissimos Episcopos, Frideboldum Augustanum Abbatem, sibi à confessionibus, S. Odilonem Cluniacensem, S. Popponem Stabulensem aliosque absolutissimæ perfectionis Monachos, præcipuè suspexit, monentes, ac corripientes humillimè, & libentissimè attendit, ex quo quidem ingens cum ipsi, tum Imperio vniuerso emo-

Tanti Imperatoris humilitas.

Meritissimi de ipso Pontifices nostri numerantur.

Eorum in gratiam Cathedra diuersa mirè extollũtur. lumentum accessit. quæ ipse merita tanta ritè agnoscens, eorum gratia Cathedras, & Cœnobia, quæ rexerant, mirè euexit, & Regia liberalitate amplissimè dotauit ac locupletauit.

Sed ante omnia ipsius Sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI, de cliente, & mox filio suo Henrico, vnum è grauioribus meritis explicandum. *A Sanctiss. P.N. prodigiosè à morte liberat.* Calculi inexplicabili doloris vehementia, cum Sanctus Cæsar, sæpius vrgeretur, Casinum sui Tutelaris vnici Archisterium aliquando inuisens, morbo illo vehementius solito excruciatus est, adeo quidem, vt inualescente malo, desperatus à medicis, in vnius se tam chari tutelaris manus, & in domo eius propria confidentius, abijceret. Adfuit statim clienti tam charo de cœlo inuisens Sanctus Pater, benignèque compellato valetudinem, & vitam desperatam restituit. Henricus postridiè mane conuocatis in exedram Theobaldo loci Abbate ac Monachis, *Miraculum prodit Augustus.* humaniter ex eis sciscitatus, qua tandem mercede remunerandum censeant, cuius opera morti iam proximus tam subito conualuisset? pronunciantibus vniuersis, exquisitis donandum muneribus esse, opesque Cœnobij promptissimis animis eam in rem deferentibus: Atqui scitote, inquit Augustus, *Quid debeat Monachis fatetur.* hanc ipsam cumulatæ benignitatis mercedem à me vobis dependi oportere, quorum parens Authorque Sanctissimus, confectum me, ac penè deficientem proxima nocte sanitati restituit. Quæ cum diceret, prolatis tribus insolentissimæ magnitudinis calculis, lachrymis præ gaudio, ac Religione fluentibus, fidem miraculo adstruxit, gratijsque Sospiti suo pretiosæ suppellectilis largitione solutis, ne quid minus seipso daret, voto in omnium præsentia facto, Sanctissimi Legislatoris nostri se Legibus deuouit, & persanctè DEO spopondit, vbi primùm grauioribus Imperij curis se expediuisset, *Deo spõdet de amplexãdo Casini Monachatu.* abiecta purpura, & diademate resignato, cucullum inter Casinates Monachos amplexurum. Mortuus altero pòst anno, *Moritur.* voti quidem reus, at reapse Monachus, cum paulò ante euocata Chunegunde coniuge, præsentes Episcopos, & Abbates sic alloqueretur: *Hanc mihi*, inquit, *à vobis, imò à Christo Domino traditam, eidem, & vobis restituo, VIRGINEM IMMACVLATAM.* *Stupenda res!* Fundauit Augustissimus hic Imperator noster, alia inter, celeberrimum etiam Bambergensem Episcopatum, præterque plurima,

rima, quæ condidit Cœnobia nostra, Episcopatus potentissimos Magdeburgensem, Hildesheimensem, Argentinensem, Misnensem, Mersburgensem, &c. à Slauis vastatos præclarè restituit, &, grauissimis testibus, vix Ecclesiam (stupenda res!) per Germaniam vniuersam indotatam reliquit. Vt meritò Germania æternum sibi gratuletur glorieturque, vno se edidisse partu Augustum, & Augustam coniuges, Virgines, inter Sanctos solemni ritu relatos ambos, & in tabulis Ecclesiæ perpetua memoria celebratos. Conditus in eo Henricus, quod sibi ac Chunegundi suæ parauerat tumulo, quæ illico à morte Augusti, cucullum, quod proprijs operata manibus fuerat, induta, in Confugiensi Cœnobio Ordinem professa, post annos demum quindecim, ad nouum Christi Virginum sponsi coniugium, & mariti consortium ad cœlos euocata, ac propè Henricum suum (qui se prodigiosè in ipso sepulchro vertere, & Chunegundi cedere, ac deferre visus est) sepulta, eximijs cum lectissimo coniuge miraculis coruscauit. Reliquit insigne Cathedrali Basileensi Ecclesiæ, singularis sui in Archiducem, & Patrem suum nostrumque amoris monimentum, sacelli scilicet sui domestici tabulam, auro solidam, in qua, & Chunegundis, & Henrici ipsius imago accuratè expressa videbatur, illa quidem ad DEIPARAE, ipso ad Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI (hæ enim solæ Imagines Angelorum obseptæ Choris tabulam occupabant) pedes adgeniculante, & supplice. vt quanto amore BENEDICTVM Patrem suum coleret, signo digniore explicare, & posteritati contestari non potuisse videretur. In quo quidem, & Otthone III. improle vtroque, vtroque nostro, gloriosissimè Saxonum Imperium desijt, illustriore termino finitum, quam apud multos Regnum inchoatum, & longo successionis tractu deriuatum, ac perpetuatum.

Nullam Ecclesiam indotatam relinquit.

Chunegundis Augusta fit Monialis.

In tumulo Henricus coniugi defert.

Altare eius domesticũ.

Maximus in S. P. N. affectus.

Felix finis Imperij Saxonum.

CONRADVS FRANCVS IMPERATOR AVGVSTVS COGNOMENTO SALICVS.

Cõradus Salicus Imp.

CONradum quantum qualemque orbis vidit, nostris omninò debuit, ad quos ipse eruditionem, mores, virtutem, Imperium ipsum, omnia post DEVM, accepta retulit, cum parentes, amici, socij, cæteri omnes, vt ignauum, & imbelle ingenium aspernati, in sui sanguinis gentisque probrum adolescere ominarentur. Ita neglectum contemptumque ac inuisum suis Sanctus Burcardus noster suscepit, Vvormatiensium ex Laubiensi Monacho dignissimus Pontifex, & quem proprij, vt degenerem parentes auersabantur, ipse amantissimè complexus, filij loco habuit. Quod ipsum Annalibus suis Ecclesiasticis prodens Cardinalis Baronius, Conradum à consanguineis suis contemptui habitum, à Burcardo QVASI ADOPTIVVM susceptum, optimèque institutum, in Regem denique Germaniæ, ac Imperatorem euasisse affirmat. vt soli Burcardo nostro, plus quam suis omnibus obstrictus Conradus, ipsum vt patrem veneraretur, vt matrem adamaret, vt Magistrum sui sæculi miraculum suspiceret merito, & miraretur. Formauit suo vngue Sanctissimus Pontifex, Sanctissimo Cæsari Henrico, quem nemo suspicabatur, successorem, eo operæ pretio, vt orbem terrarum eius Imperij numquam pœnituerit, Principis ab humanitate æquè, atque æquitate ad miraculum vsque commendati. Vtriusque illustre eo ipso, quo Cæsar salutatus est die specimen dedit, cum omnibus omninò, quorum odijs olim exercitus fuerat, solemni promissione iniurias remisit amoremque omnem, & gratiam spopondit; quo Principes liberali ingenio allecti, Arator quidam Pupillus, & Vidua, tres supplices, prodeuntis insigni pompa comitatu que ad capessenda Imperij insignia genua amplecti ausi, cum à Palatinis submouerentur, reuocati ab ipsomet sunt, ijs qui submouerant reprehensis: Sinite me, inquit, personam agere, quam mihi Respublica imposuit, cuius, si primo die immemorem videat, numquam sanè diuturnum meum Imperium volet. Neque

Contemptus à suis, à nostris recipit.

Filiũ ipsum adoptat. S. Burcardus noster.

Merita Burcardi.

Imperio ipsum format.

Fit Imper. Conradus.

Memorabile exẽplum.

que vestigio illo decessit antè, quam causa cognita, benignè miseros sententia subleuasset. Progresso nonnihil æquè ærumnosus occurrit, quem Conradus, quod multitudine arceretur, manu attractum in editiore solij sui pergula collocauit, amanterque appellati restitutionem (carere se patria innoxium querebatur) Procerum fidissimo Imperauit. Quæ afferre hoc loco placuit, quod ad Burcardum Institutorem æquè, ac discipulum filiumque Conradum spectare viderentur. Neque ingratus optimo meritissimoque parenti lectissimus Imperator, fructum sanctissimæ educationis eidem allaturus, ad ipsum Vvormatiæ ex morbo decumbentem statim contendit, ipsumque se stitit, adeo exhilarato, vt morbum in potestate habens, veluti concessis inducijs sibi redditus, Regi nulla in re deesset, discedentem Triburias vsque comitatus, vbi vero (sed tum quidem non credito Oraculo) filio tam charo, vltimum vale dixit; paulo post felici exitu ad immortalia Regna conscendens, & ipse coronandus. eo quidem summè admirandus, quod cum Imperator potentissimus, & seipsum, & Regnum ei deberet, imo offerret, tantus tamen Pontifex, præter tres denariolos, nullum argenti scrupulum successori relinqueret, inopes ditando ad incitas redactus. vt quam nulla spe fructus Monachi nostri laborarent, sola Numinis gloria accensi, tam illustri exemplo, manifesto innotescat. Cuius quidem à morte etiam immortale meritum de Imperio non solum, sed orbe fuit vniuerso, magni ingenij illustrissimum monimentum, Libri viginti DECRETORVM, ex Sacris Concilijs, Summis Pontificibus, & SS. Patribus ingenti labore, & industria collectorum, quo quidem opere, & præclarissimè de omni æternitate meruit, & sui maximè Conradi Cæsaris tempora sibi obligans, *IN VIRIDEM OBSERVANTIAM*, teste Baronio, *reuocauit pristinam Ecclesiæ disciplinam*.

Item aliud.

Ad Burcardum optima quæque Conradi referenda.

Gratus Burcardo Cæsar.

Prædicit mortem suã Cæsari Burcardus.

Ecce verum Pastorem!

Proximus meritis de Conrado, ipse in Imperio antecessor, Sanctus Henricus noster fuit, qui alieno licet animo, & ipse aliquamdiu à Conrado esset, à Burcardo tamen, quem intima familiaritate ipsi morum similitudo iunxerat, de virtutibus contempti inter suos Principis edoctus, cum rogaretur, quem sibi successorem destinaret, Conradum nominauit; quæ eius senten-

S. Henrici nostri Imp. de Conrado meritum.

tia,

tia, præsagij an præiudicij loco apud Electores habita fuit, & plurimorum fauorem conciliauit. Quin, & Chunegundis Augusta nostra de Conrado mereri connixa, Imperij insignia penes se aliquamdiu manentia, ad ipsum attulit, omnemque mariti fortunam cum lætis ominibus in eumdem transfudit. Guillelmus etiam noster tertius eo nomine Aquitaniæ Dux, maximam Imperij felicitatem, vt partem, delatum sibi Italiæ Regnum, Conrado cessit, illustrissimoque iuxta, modestiæ, & Religionis exemplo, facem eidem prætulit, nulla cum Ecclesiæ iniuria sceptrum acceptandi; velut de se ipse fatetur, gloriosior cucullo, quam diademate Princeps, quod non multo post amplissimi Regni, & Principatus fortunæ præferens in S. Cypriani Pictauensi Cœnobio amplexus est: *Quantum enim in ipsis fuit* (de Longobardis loquitur) *partum mihi erat Regnum Italiæ, si vnum facere voluissem, quod nefas iudicaui, scilicet, vt ex voluntate eorum Episcopos, qui essent Italiæ, deponerem, & alios rursum eorum arbitrio eleuarem. Sed absit à me rem huiusmodi facere, vt Pastores Ecclesiæ, quibus mei Patres semper honorem exhibuerunt, quos ipse quantum valui semper exaltaui, sine crimine inhonorem: sub hac conditione, vellent quidem Primores Italiæ, me seu filium meum Regem facere, &c.* Vt huius quoque Principis nostri modestia diues fieret Conradus, exemplo eruditus, & Religiosus.

Item S. Chunegundis Imper.

Italiam ipsi cedit Vvilhelmus noster Aquit. Dux.

Insignis Vvilhelmi pietas.

Sed, & alij è nostris absque numero plurimi mereri de Conrado certatim studuere, quorum Principes, fidissimus ille Imperij Consul, Cæsarum Censor monitorque meritissimus S. Poppo Stabulensis Abbas, S. Bardo Germaniæ Archicancellarius Archiepiscopus Moguntinus, S. Gotthardus Hildesheimensis, S. Meinvvercus Paderbornensis, S. Regimbaldus Spirensis, absolutissimi Pontifices nostri, nonnulli Prophetico spiritu, Apostolico alij merito insignes, Imperatorem atque Imperium vniuersum grauissimis beneficijs obstrinxerunt; Richerius inprimis Altahensis primùm Monachus, Leonensis dehinc Abbas, quem petentibus Casinatibus, cum tumulum Sanctissimi Patriarchæ nostri supplex inuiseret, etsi perinuitus Abbatem dedit, quod illius opera, in rebus omnibus, plurimum vti solitus, ægrè talem virum à suo latere dimitteret. Decessit denique tan-

Meritissimi de Conrado nostri.

Richerius Monachus Altahensis precipuus Cõsiliarius.

tus

tus Imperator Traiecti Frisiæ A. C. 1039. cuius corpus ad cœptam à Diuo Henrico, ab ipso autem absolutam Spiræ Cathedralem Basilicam delatum est, Henrico filio, raro pietatis exemplo, ad omnium templorum aditus, quæ toto itinere occurrerunt, sandapilam subeunte; nostris totò Imperio Conradum, vt patrem ac fratrem lugentibus, quorum gloriæ ad cumulum felicitatis illud cum Imperio tam chari Principis accessit, & hæreditatis loco æternum mansit: Franconum quoque Principum lectissimæ familiæ, vt Carolingæ, vt Saxonicæ, viam ad Imperium aperuisse, studia populorum conciliasse, ipsos Principes Imperio educasse ac formasse, coronam denique imposuisse.

Moritur Conradus.

Nostrorum luctus.

Translatio Imperij ad Franconia

Duces nostris debita.

HENRICVS III. IMPERATOR AVGVSTVS.

HVnc etsi Sanctissimorum ex Ordine virorum informatione, atque exemplis optimè institutum, adulantium tamen Cæsaream que supra quam fas sit, potestatem attollentium, suasio concitatioque ad ipsum salutis æternæ præcipitium adduxit, cum causis Pontificum cognoscendis alienum sibi negotium sumeret, & pessimè prodito posteritati exemplo, de summa in terris potestate, cui fasces submittere multo æquius fuerat, sententiam ferre, parum idoneus iudex, præsumeret. quo quidem scelere, incredibili calamitate seque orbemque vniuersum inuoluisset Henricus, nisi meritissimus de Ecclesia Pontifex, Sanctus Gregorius VI. nullo vitio electionis, quam quod se non rogatum Cæsar quereretur, creatus, cernens ea occasione grauissimum schisma conflandum, spontè sua Pontificatu cederet, similique, at multo illustriore exemplo ac merito, quam Nazianzenus ille item Gregorius, modestiam animi, ab omni ambitione alienissimi, summi honoris abdicatione tantæ tempestatis sedandæ causa, posteritati commendasset, cucullum denuo amplexus, & Cluniacensi se condens Cœnobio, multo maiorem inde gloriam ac felicitatem, quam quisquam Pontificum seu Regum imperando consequutus.

Henricus III. Imp.

Seducitur Henricus.

S. Gregorij nostri cognomine VI. PP. meritū.

Spontè summo Pontificatu se abdicat.

Mouit deinceps Henricum cùm ipsa perspectius cognita inno-

Penitet Henricus Imp. innocentia modestiaque Gregorij, tum exprobratione Sanctissimorum ex Ordine Pontificum, admissi à se sceleris fœditas, vt sanctius postea Christi in terris Vicarium coleret, demissius maiestatem reuereretur, & in id sedulo incumberet, vt quam violasse visus erat auctoritatem, præcipuè coleret atque eleuaret. *Meretur de Sede Rom. Hen.* Inde plurima in Sedem Romanam beneficia contulit, S. Leonem IX. contra Normannos insigni exercitu iuuit, ac propugnauit, S. Victorem II. honoris causa ad capessenda summi honoris insignia ipse deduxit, quocum saluti publicæ, & sacri præcipuè Ordinis corruptelis purgandis sanandisque diligentissimè inuigilauit; sua erga Romanos Pontifices obseruantia meritus, vt raro & Cęsaribus inconcesso ad eam diem fauore, in manibus denique Victoris eiusdem, & eodem qui natalis olim sibi fuerat die, animam efflaret.

Totum se nostris permittit Henr. Cæterum Henricus grauissimis beneficijs meritisque nostrorum captus, totum se eorum arbitrio deinceps permisit, S. Leonis inprimis Pont. Max. S. Hildebrandi Cardinalis postea Gregorij VII. S. Petri Damiani item Cardinalis, S. Odilonis, & qui ipsi successerat Magni Hugonis, aliorumque Antistitum, & Sanctorum nostrorum consuetudine, consilio exemplisque *Monachus sub diademate.* tantopere concitatus, vt Monachum sub diademate agere videretur, corpori suo admodum rigidus, vt in illud persæpè, Da- *Flagellis se cedit.* mianum imitatus, flagellorum actiore vsu religiosissimè desęuiret, nullaque re magis, quam Monachorum exercitijs delectaretur; nihil tamen interea eorum negligens, quæ Reip. commoda, & salutem populorum spectare viderentur; bello, vt pa- *Diuos adiutores habet.* ce, clarissimus, ad quod prodigiosa è cœlo ope cælites subinde ipsi adfuere.

SS. Gerardus, & Vdalricus de ipso meriti. Ita meruere de ipso grandi, & stupenda ex Vngaris parta victoria Diui Gerardus Canadinensium, & Vdalricus Vindelicorum Pontifex, quorum ille Ouoni sceleratissimo Vngarorum Tyranno meritam imprecatus cladem, cum ab ipso coronari expeteret, post triennium disertis verbis interitum prædixit, iste autem ad inferendum, Henricum Cæsarem concitauit, adeo *Prodigiosissima Diuis ope victoria.* prodigiosè animatum adiutumque, vt cum sex millibus, ducenta Vngarorum millia non aggrederetur solum, sed triumpharet, caligine hostibus grandi miraculo offusa, & concitato in oculos

sabu-

ſabulo, noſtris vtriuſque mali adeo immunibus, vt innumerabilem Vngarorum cædem ferè impunè facerent, & memoranda inprimis ad omnem poſteritatem victoria, eius tamen gloriam omnem, auctoribus eius pugnæ Cœlitibus merito tranſcriberent. Profuſiſſimus proin in ſacras ædes ac Religioſos viros liberalitate Cæſar, Religioſior cum quotidie conuictu noſtrorum fieret, minus ſe ſatisfeciſſe pro meritis ratus, niſi noſter omninò eſſet, Imperio ſe abdicare omnino ſtatuit, abdicauitque ſola obedientiæ virtute iuſſus coactuſque, vt inuitus reſumeret, quod tam promptè reiecerat calcaueratque.

Imperio ſe abdicare ſtatuit.

Sanctum Richardum noſtrum, Virdunenſem S. Vitoni Abbatem, ſanctitatis celeberrimum fama inuiſere ſtatuerat, cum creſcente Imperij faſtidio, abruptis moris remotiſque ingreſſus Clauſtrum in hæc ipſa ſtatim erupit: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Contendit dein enixiſſimis à S. ncto Abbate precibus, vt ſe in collegium diſcipulorum ſuſciperet, quæ humillimi deberent ſolerentque, humillimè facturum, ad nutum omnem promptiſſimum futurum, exequuturum denique omnia, quæ Sanctiſſima Regula, maiorum inſtituta, & conſuetudines requirerent Monachorum. Non potuit, non, euictus feruore precum, Richardus, ſupplicis audire vota, conuocatiſque Fratribus, ſolemnius, vt eſſet, quod vterque ageret, denuo ſciſcitatus eſt Cæſarem, an in petitione ſua perſiſteret, *& Monachus eſſe deſideraret?* Quo in lachrymas reſoluto, & id maximè appetere, reſpondente; reſpondit Abbas: (verba ſcriptoris vitæ S. Richardi ponimus) *vt quandoquidem Monachus eſſe cuperet, ſibi promitteret obedientiam. Promiſit Imperator. Cui Abbas: ſe quidem eum in Monachum recipere, ſed ipſi in DEI nomine præcipere, vt ad regendum Imperium reuertatur.*

S. Richardi Abb. ſanctitas.

Henricus Imp. cucullum exābit.

Solemniter ad Ordinē ſuſcipitur.

Ex obedientia imperare cogitur.

Ita reuertit ad Imperij onus Imperator noſter, noſtrorum deinceps cumulatiſſimis meritis, longè, quam Imperio, ditior, Sanctis, quos in terra dilexerat, & ſociari optauerat, æternum in cælis ſociandus, quiritantibus grauiter poſt obitum Henrici, quaſi ſuper iniuria ſibi intoleranda, malis genijs, quod vetulus quidam Abbas (ita Sanctiſsimum Patriarcham noſtrum cognominabant) animum eius in Iudicio defendiſſet, & tanquam

A Sanctiss. P. N. Benedicto liberatur

Hæc ipsa falso nonnulli S. Hērico II adscripsere

Obijt Henricus Imp.

ſuam repetere auſus eſſet, & abduxiſſet. quæ omnia intueri, & audire Religioſus quidam Bonæ vallis Eremicola meruit, deque morte Imperatoris, & ijs, quæ concedente Numine viderat Sanctum Richardum inſtruxit, Richardo quamprimum Henricum ſuum Fratribus commendante, multaſque preces pro anima ipſius vniuerſis iniungente, ampliſſimis in pauperes eleemoſynis diſtributis. Obijt feliciſſimus Imperator noſter A. C. 1056. cuius funus magna pompa Spiram delatum, & communi deinceps Cæſarum Mauſolæo illatum eſt.

HENRICVS IV. IMPERATOR AVGVSTVS.

Henricus IV. Imp.

Connitūtur Sāᶜti noſtri mereri.

Sed fruſtra.

Mater Hērici viſa Draconem parturire.

Eū adorant noſtri tēporis Hæretici.

DE Henrico hoc, ſi quo mortalium vllo, innumeri ferè ex Ordine noſtro mereri ſtuduerunt, Monachi vniuerſi enixiſſimis precibus ſanam eidem mentem à Numine precati, Epiſcopi Sanctiſſimi, monitionibus, rationibus, correptionibus, obteſtationibus, lachrymis, minis, quantum poterant connixi, ſummi denique Pontifices S. Gregorius VII. S. Victor III. B. Vrbanus II. S. Paſchalis II. Monachi omnes, & quidem admiranda vitæ ſanctitate conſpicui, auctoritate, & poteſtate ſumma vnius hominis ſaluti intentiſſimi, nihil in ſceleſtiſſimum potuere, triſti iam pridem omine, matri Imperatrici in ipſo vtero cognitum, cum Draconem ſibi, non hominem parturire videretur, de quo ſperari in vita omni nil mitius poterat, mendacijs, periurijs, ſacrilegijs, infandis, & inauditis ſceleribus ſacra profana omnia miſcente; quem tamen, quia Pontificibus Romanis aduerſum, dignum perfidia ſua, moribus ac vita congruentiſſimum ſibi Numen noſtri temporis Hæretici, religioſiſſimè, ſcilicet, adorant, ac venerantur.

De Imperio merētur noſtri.

Lectiſſimū par Epiſcoporum.

Et ſanè quamuis, oleum, vt aiunt, ac operam in Henrico ad meliorem frugem adducendo noſtri perderent, de Imperio nihilominus ſtrenuè, & immortaliter meruerunt, quamuis lectiſſimi quiuis Pontifices, quo meliores erant, peius à ſceleratiſſimo Principe haberentur; Sanctus Gebhardus inprimis Conſtantienſis Epiſcopus, ex Monacho Hirſaugienſi, Bertholdi

Ale-

Alemanniæ Ducis frater germanus, & Beatus Thiemo Salisburgensium Archiepiscopus, velut alter Athanasius vterque exagitati, quod pro domo DEI se murum opponerent, & Germaniæ populos, in fide, & obsequio S. Petri continerent. Quo ipso tempore, Magnus ille Sanctissimi Hirsaugiensis Cœnobij Abbas Vvilhelmus floruit, Imperiumque acorbem vniuersum fama, & virtute implens, iactatos grauissimi schismatis procella procerum Germaniæ animos adeo succendit, vt potentissimi quiuis Principes certatim cucullum exambirent, humillimaque Cœnobij seruitia amplexi, stupore atque admiratione orbem percellerent; singulari Numinis prouidentia per nostros id maximè agente, vt quanto magis impietas sub spurcissimo Imperatore prædominari satageret, tanto magis Sanctorum numerus inualesceret; inexplicabili inde fructu in Ecclesiam vniuersam redundante.

Magnus Vvilhelmus claret.

Infelicissima Ecclesiæ tempestate mira Numinis gratia.

Mortuus est nefandi nominis Imperator, dolente mortalium nemine, ne filio quidem, quamuis minimè degenere atque æquè impio, plaudente orbe vniuerso, repentina morte ex insperato sublatus A. C. 1106. *cum summæ execrationi omnibus esset*, verba Vrspergensis ponimus, *tanquam archipirata, hæresiarcha, & Apostata, ac persecutor plus animarum quam corporum, nec non eatenus inauditorum, adeoque incredibilium scelerum, auctor atque inuentor.* Hucusque omnium inspector, testis oculatus Vrspergensis.

Mors Henrici Imp.

Panegyris Henrico digna.

RVDOLPHVS RHYNFELDENSIS IMPERATOR AVGVSTVS.

RVdolphus religiosissimæ vitæ parentibus editus, Religiosissimus, & ipse, inter manus, inque sinu Monachorum adoleuit, quibus omnes maiores eius adeo addicti fuerunt, vt nullus ferè esset, qui non suis ipse sumptibus Cœnobium moliretur. Ipse præter institutionis, aliaque ingentia accepta à Monachis beneficia, iisdem illud inprimis debuit, & in acceptis gratè retulit, quod Sanctissimorum Pontificum nostrorum opera integerrimam Sancto Petro fidem seruasset, nostrorum concita-

Rudolphus Rhinfeldensis Imp.

Nostrorum opera fidelis S. Petro.

tione factus gloriosissimus Schismaticorum osor ac profligator; quorum opera, deiecto Hæretico Cæsare, ad Eminentissimam Romani Imperij euectus est dignitatem, agente inprimis, meritissimo de Romana Ecclesia Sigefrido nostro, Moguntinensium ex Monacho, & Abbate Fuldensi Episcopo, pro meritis postea à Gregorio VII. Summo orbis Pontifice confirmatus. Vt hic etiam Cæsar summam in terris partam gloriam, quin, & in cœlo coronam Monachorum studijs iure merito adscribat, in vita æquè ac morte gloriosus; quem tamen fauentes Henrici causæ plerique eius æui Historici, alij ab alijs seducti, pœnituisse tradunt, quod contra Henricum insurrexisset, confessumque esse, dexteram, qua ipsi iurauerat, iusto DEI iudicio abscissam se pati. Verum longè aliter scriptores DEO, & Ecclesiæ fidi, qui, si quem vllum alium ritè, & iure electum, à Sanctissimo Pontifice confirmatum, de domo DEI optimè meritum, alterum Iudam Machabæum, eadem qua iste fortuna in ipso triumpho suo cæsum, summa animi exultatione viuis excessisse asseuerant. Cuius longè alia, quam illis fingere placuit, verba suprema, audito lætissimo victoriæ nuncio, hæc ipsa nimirum referuntur: *Nunc, ait, lætus patior: siue viuens, siue moriens, quidquid voluerit Dominus*. Cui, & multo digniore, vt veriore Epitaphio parentatum, quod subijcimus:

Nostri ad summũ Imperij culmẽ euehunt.

Mors eius plena gloria.

Alter Machabæus Iudas.

Suprema eius vox.

Rex hoc Rudolfus, patria pro lege peremptus
Plorandus merito, conditur in tumulo
Qua vicere sui, iacet hic sacra victima belli,
Mors sibi vita fuit: Ecclesia cecidit.
Rex illi similis, si regnet tempore pacis
Consilio, gladio, non fuit à Carolo.

Epitaphium dignissimũ.

Vt mirari satis non possimus, qui à Vindonissæ, & Alteburgi Comitibus Austriam familiam deriuare nituntur, tantum Principem tam strictim præterire, nec primam ei quam meritus fuisset, inter Augustos eius gentis gloriam tribuere, ad nostros nihilominus, vt iam ostendimus, tanquam Principes promotionis eius auctores referendam. Quamuis de origine Austriorum Principum nos longè aliter, & altius sentiamus.

Censura opinionis de Orig. Aust.

HENRICVS V. IMPERATOR AVGVSTVS.

HEnrico Henrici sacrilegi filio, simillimum patris ingenium fuit, iuuenilibus tamen annis paulo mitius, cum summa Sanctissimorum ex Ordine nostro virorum industria, à sceleribus patris auersus, virtutis amorem aliquem imbiberet, & Pontificiæ maiestatis concepta reuerentia, schismatis grauissimi ac pernitiosissimi agnosceret fœditatem. Meruere proinde multo promptius de melioris spei Principe lectissimi quiuis Pontifices, & Abbates nostri; præ omnibus tamen Beatus Gebhardus Constantiensis Episcopus, Sedis Apostolicæ per Germaniam Legatus, & Richardus, siue Ruthardus Moguntinus ex Monacho Erfurdensi Archiepiscopus, qui profusis lachrymis patris Hæresim detestantem Proceribus Imperij, adeo commendarunt, vt patris pessimè meriti intuitu meritò simul abijciendum, vnanimi consensu Imperatorem eligerent, & contra patrem iuuare, & propugnare pollicerentur.

Hēricus V. Imp.

Nostrorum studio virtutis amorem imbibit.

Patris scelera detestatur.

Verum immemor paulo post tanti accepti beneficij, præceps in omnem licentiam & ipse ruit, donec vlciscente Numine, absque hærede vitam abrumperet, sæpè à nostris summa fide, & zelo flagrantissimo, at frustra interpellatus. Nec defuere tamen Imperio nostri, S. Paschalis I I. præcipuè Cluniacensi, ex Monacho B. Gelasius I I. ex Casinensi, S. Calistus I I. ex Cluniacensi item, Pontifices Maximi, qui frequentissimis Consilijs, Legationibus, litteris, præcipitem reuocare conati, cum nihil proficerēt apud obstinatum, fidelium tamen animos, tantis procellis atque iniurijs iactatos atque obtritos mirificè confirmarunt. Collaborarunt strenuè Cluniacensis, Hirsaugiensis, & Cistercienſis Sanctissimæ Ordinis nostri Congregationes, vt nouo feruore inter se certantes, sic sanctorum virorum integris manipulis locupletissimæ, quorum opera exemplisque plurimi nutantes, in fide retenti, alij ab interitu vindicati sunt. Sed & Diui Chunonis præcipuè S.R.E. Cardinalis Comitis de Vrach, Monachi Sanctissimi virtus enituit, qui Apostolicæ Legationis functus munere, de patria sua mereri plurimum studuit, & admira-

In præceps ruit Henricus Imp.

Reuocare frustra conantur nostri.

Congregationum Ord. diuersarū labores.

S. Chuno Comes de Vrach S.R.E. Card.

mirabili feruore ac fructu Schismaticos expugnauit. cui proximus Beatus Conradus noster Salisburgensis Episcopus, & ipse ALTERIVS ATHANASII magno cognomine, ab Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus celebrari meruit. Sanctis Brunone nostro Signiensi, Otthone Bambergensi, Gebhardo Constantiensi alijsque Apostolici meriti viris, pari felicitate desudantibus, Diuo Bennone inprimis Misnensium Episcopo, etiam à morte grandibus prodigijs perfidiam, & scelera schismaticorum confundente, ac profligante.

S. Cõradus Archiepisc. alter Athanasius.

S. Benno etiã à morte cũ schismat.

LOTHARIVS II. IMPERATOR AVGVSTVS.

LOtharius Secundus primi nomine atque omine æmulus, parum sacra illa ab ambitione absuit, qua & ipse cucullum exambiret. Monachum nihilominus sub purpura egit, eiusque partes omnes absolutissimè explens, fortissimum iuxta Imperatorem se præstitit, sollicitus quæcumque in Henricis antecessoribus desiderabat Ecclesia, summa fide diligentiaque adimplere, auctoribus ad præcipua quæque Sanctissimis ex Ordine nostro viris, quorum arbitrio duci, quam imperare se malle, pulcherrimis exemplis orbi demonstrauit. Huic fidelissima nostrorum opera Imperium confirmatum est, cum potentissimi competitores Fridericus Sueuiæ Dux, & Conradus frater, Leopoldus Austriæ Marchio, & Carolus Flandriæ Comes illud summis conatibus exambirent.

Lotharius II. Imp.

Monachus sub purpura.

Nostrorum opera eidem Imperium confirmatũ

Seductus nihilominus propria postea libidine, an adulantium scelere Princeps optimus, optimis Sanctorum consilijs minus credens, Melliflui Doctoris nostri grandi merito, vt opera resipuit, cum in Concilio Generali Rhemis celebrato, importunius pro restituendis sibi Inuestituris instanti, ad eius petitionem expauescentibus Romanis, murum pro domo DEI Bernardus se opponeret, verbum malignum Principis mira libertate redargueret, & metuenda Cæsari ipsi auctoritate libidinem compesceret, atque ab eodem, in quod Henrici duo Cæsares præcipites se dederant, præcipitio reuocaret.

Præceps à S. P. N. Bernardo ab interitu vindicatur.

Ordini,

Ordini, vt superius dictum, addictissimus cum esset, præcipuo tamen cultu atque amore ipsum Sanctissimum Patriarcham nostrum prosequutus est, cuius Archisterium Casinense, Sacratissimi Corporis eius Beatum exuuijs, adeo suspexit, tantopere coluit, vt magis non posse videretur; cui iratissimum Innocentium II. Pont. Max. (quod Anacletum competitorem eius legitimis suffragijs electum existimantes Monachi Casinates, in schismate venerati essent) cum submissis procerum Aulicorum, nec non sacrati Ordinis lectissimis quibusque, quin & Rachiza denique Augusta, quam in Italiam secum duxerat, nullis precibus flectere ac mitigare posset, ipse demum adijt, obstinatoque animo sua etiam vota auersantem, indignabundus, in hæc denique prorupit: *Quoniam quidem*, inquit, *Ego tam multis incommodis atque laboribus, pro salute Italiæ, pro defensione sacrorum, pro communi Christianæ Reip. bono ac pace perfunctus, non sum apud vos tanti, vt religiosissimis viris, tam grauiter seuerèque multatis piaculi moderationem, ac reditum in gratiam à vobis exorem; apertè edico atque denuncio, me itidem cum Ecclesia Casinati posthac, à vobis dissensurum.* Ad quam Imperatoris vocem, cum vniuersus exercitus, qui circumstabat succlamasset, tum Pontifex, vel periculi metu, vel postulati æquitate, vel acriore Cæsaris oratione doloreque permotus, ex eiusdem sententia atque arbitrio, Casinensium causam humaniter atque honorificè transegit. Vt vel vno exemplo hoc satis constet quantum Monachis hic Augustus detulerit, quorum rationes adeo cum suis coniunctas esse voluit, vt, quem vnicè, & sanctissimè coluerat, summo in sacris Principi tam apertè denunciaret.

Addictissimus ordini. Præcipuo cultu S. P. Benedictum veneratur.

Mirũ erga Casinates Imperatoris studium.

Exprobrat Papæ Imp.

Inimicitias denunciat propter Casinates.

Flectitur Pontifex.

Quantũ detulerit Monachis Lotharius.

At verò eximiæ pietatis Lotharij apud Casinum hæc præsertim argumenta referuntur. Cænobij templa (quatuor numerabantur) nudis pedibus de nocte inuisebat: quotidie mane (quod solemne illi ac perpetuum in Imperio fuit) ternis sacris intereat; singulas Monasterij officinas solus accuratè perlustrans, sedulo prouidebat, ne Sanctissimarum Legum decreta temerè à quoquam violarentur. vt non tam obseruantem Monachorum, quàm disciplinæ Monachicæ Restitutorem tam in hoc quàm alijs Imperij Cœnobijs, Cæsarem, hoc etiam nomine

Eius pietas cum Casini ageret.

Restitutor disciplinæ Mon.

nostrum,

noſtrum, deque meritiſſimo Ordine in vicem meritiſſimum, ſuſpiciamus, & tanto poſt veneremur. Eum etiam in expeditione conſtitutum, tribus quotidie ſacris de quibus ſupra, interfuiſſe, Petrus Diaconus deprædicat, & ſummo quidem diluculo, Miſſam pro Defunctis, dehinc pro exercitu alteram, tertiam, quam Feſti vocant ſiue Feriæ, audijſſe. cuius, & alias laudes proſequens, ſingularem animi demiſſionem, & erga pauperes pietatem in eo præcipuè commendat, adeo quidem, in orphanos, viduas, egentes propenſi, vt in illis Chriſtum verè adorans, eorum pedes cum Auguſta coniuge lauaret, &, quod de Magdalena ſola Chriſto ipſi factum legitur, crinibus tergeret, & oſcularetur, cibumque illis ac potum largè diſtribueret; & quæſtiones atque oppreſſiones Eccleſiarum prius releuans, vltimo in loco res Imperij poneret: numquam à conſortio Epiſcoporum, & Abbatum auelleretur; Sacerdotes honoraret, vt patres, pauperes foueret, vt filios, viduas, vt matres; orationibuſque peruigil eſſet, lachrymaſque creberrimas contriti cordis DEO offerret. Ita Petrus. Mortuus eſt tantus Imperator noſter in ſuo ex Italia reditu A.C. 1138. & in condito atque à ſe cognominato Lutherenſi Cœnobio, quod vnicè dilexerat, & fortaſſe viuens eo ſe abdere parauerat, ſepultus eſt.

Laudes eius.

Miranda in pauperes pietas.

A Sanctis numquam diuellitur.

Apud noſtros ſepelitur.

CONRADVS III. IMPERATOR AVGVSTVS.

Conradum mille modis demeriti noſtri ſunt, Sanctiſſimi nimirum ex Ordine Epiſcopi, & Abbates diuerſi, quorum ille Conſilijs, vt anteceſſor plurimum nitebatur. Duos ſolummodo Abbates de Cæſare, de Imperio, de vniuerſo meritiſſimos, obiter attingimus, S. Petrum nimirum, vulgo Venerabilem Cluniacenſis ampliſſimæ Congregationis, & Bernardum Ciſtercienſis Sanctiſſimos Antiſtites, quorum ille cum Monachis ſuis tanti ab Imperatore, & Principibus factus eſt, vt CVRIA ſimul, & CVRA orbis terrarum Cluniacenſi Cænobio immigraſſe, & incumbere videretur, iſte autem tantopere merita ſua commendauit, vt fimbriam veſtimentorum contingere ſummi

Conradus III. Imp.

Noſtrorum merita.

S. Bernardi quanti faciat Imp. & Princ.

summi Principes exambirent, gratum animum, & reuerentiam tanto Tutelari debitam testaturi. Certè Bernardus Vvelfonem potentissimum eumdemque infestissimum Conradi Cæsaris hostem, adeo flexit permouitque, vt coniunctis armis, datisque manibus cum eodem in Palesthinam vsq; ad debellandos Christi hostes proficisceretur. Sed & Petrus, pari merito Rogerium Siciliæ Regem, iuratissimum item Conradi hostem, ab eodem infestando auertit, pacemque Italiæ, ac Germaniæ reddens, grauissimo metu ac periculo amplissimas Prouincias liberauit. Illud singulare Bernardi, pestilentissimo schismate, non Imperium solum, sed orbem terrarum vniuersum eripuisse; Victore III. anti-Pontifice, eius hortatu, depositis Pontificatus insignibus, Innocentio Legitimo Ecclesiæ capiti se submittente. Vt nihil de grauissimis Hæresibus, Henricianorum, Apostolicorum, Gilbertinorum, Abailardi, ab ijsdem magnis Abbatibus felicissimè profligatis, præreptisque infero tot animorum millibus, memoremus. Decessit amantissimus Monachorum Cæsar A.C. 1152. inter eosdem, vt flagitauerat, in Monasterio Laureacensi tumulatus.

S. Bernardus cōciliat pacem Imperatori.

Similiter S. Petrus Cluniac.

Vterq; plurimum meretur Hæresib. oppressis.

Obijt Cōradus Imp.

FRIDERICVS I. BARBAROSSA IMPERATOR AVGVSTVS.

FRidericum magnis sublimem virtutibus, militaris tamen gloria, & Imperij maiestas, tumidiorem fecere, quam vt vel iugi patiens, vel modestiæ, vt par erat Christianæ semper memor esset. Ea hominem non semel præcipitem egere. Laborarunt reuocando, & siquidem nollet cogendo periturum Principem Maximi orbis Pontifices, Anastasius IV. Adrianus IV. & Gregorius VIII. frustra plerumque, eo ipso, quod Maximi essent, apud maximi se facientem suspecti, atque odiosi; quamuis importunitate ipsa, & demonstrata causæ æquitate euincerent, & disciplinæ, ac correptionis intolerantissimum, Sanctorum ex Ordine item virorum interuentu, nonnihil emollirent.

Fridericus I. Imp.

Laborarunt pari industria ac contentione Sanctus Eberhar-

S. Eberhardus Archiepisc. Salisb meritissim°. S. Petrus Archiepisc. Tarentasiẽsis similiter.

dus Salisburgensis Episcopus, Monachus Biburgensis, Friderico ipsi sanguine iunctissimus, & S. Petrus Archiepiscopus Tarentasiensis, quorum ille cognati Cæsaris nec amore seductus, nec minis atque iniurijs motus *IMMOBILEM VERITATIS COLVMNAM* Baronio teste se exhibuit, erroresque refractario constantissimè obiecit ac demonstrauit, iste palam, & in faciem resistere ausus, reuerentiam nihilominus, & cultum meruit, cum illum velut è cœlo missum Augustus veneraretur, eius amorem sollicitè exambiret, inque precibus tam Sancti viri plurimum confideret. Sed, in quo DEI magnalia inprimis admireris, potuit plurimum in inuincibile cæteroquin pectus obstinatissimi Imperatoris, mulier vna, ob admirabilem tamen vitæ sanctitatem toto orbe spectatissima, Diuinissima Hildegardis nostra, ad quam cum velut ad Oraculum, Reges Principesque Maximi, sed & Pontifices Germaniæ vniuersi, imò ipsi Summi Christi in terris Vicarij Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. Alexander III. multo tempore recurrissent, & super grauissimis Ecclesiæ negotijs responsa eius, singula à Numine dictata, exquisijssent, eam sibi etiam consulendam ratus Fridericus, Spiritum in ipsa Diuinum agnouit, & mirè mutatus, vidensque durum sibi contra stimulum calcitrare, manus dedit, in potestate Numinis deinceps futurus. Verum à morte magnæ Prophetissæ nostræ solutior, cum trahente ingenio ac genio rursum impingeret, à S. Conrado denique nostro Altæ-cumbæ Monacho S. R. E. Cardinale, & Summi Pontificis in Germaniam Legato mirè triumphatus, adeo verbis, & rationibus captus est, vt seria prioris vitæ, & temeritatis detestatione, ex contumacissimo hoste, obedientissimus S.R.E. factus filius, pœnitentiæ ergo Crucem ipse susciperet, grauissimisque longi ac difficillimi itineris susceptis laboribus, plurimis perfunctus periculis, in Orientem vsque peruaderet, Christique ac Ecclesiæ hostes grandi clade afficeret. Adeo nostris, quos benè monentes, pessimè oderat, iam addictus, atque deuotus, vt inter FRATRES CONSCRIPTOS apud Religiosissimam Cistercienfium nostrorum Reformationem admitti enixissimè contenderet, & quorum monita olim contempserat, iam suffragia imploraret. Epistolæ partem, quia longior est, inseramus; ex qua

S. Hildegardis magnũ Oraculum orbis.

A Pontificibus Rom cõsulitur.

Meritissima de Friderico Imp.

S. Cõradus Card. Imperatoris seruator.

Pœnitentia Frid. Imp.

Frater conscriptus fit.

qua de meritis Monachorum, & obseruantia tanti Cæsaris ominetis.

Venerabilibus in Christo Patribus, & Amicis dilectissimis, omnibus Abbatibus Cisterciensis Ordinis, Fridericus D. G. Rom. Rex semper Augustus, &c.

Eiusdē Epistola.

SI iuxta veritatis vocem, vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine Domini nostri IESV Christi, ipse in medio eorum est: quid credendum est, vbi non solummodo duo, vel tres, sed tot nobiles athleta Christi, tot excelsa columna (NB) Ecclesia sua, in nomine suo, imò ad honorem nominis sui, de diuersis mundi partibus coadunati sunt, & congregati: nisi quod ipse in medio vestrum habitat, & Spiritus suus, quem in vos ipse transfudit, & Sanctissima pectora vestra seipso inflammauit. De qua igitur re, succensi flamma charitatis consenseritis, certissimè obtinebitis, & fiet vobis, &c.

Credimus enim, imo verò scimus, quod tanta est sanctitas huius Reuerendi Ordinis, tamque est placens, tamque suaue, & acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod ei quotidie offertis sub carnis vestra maceratione, & mortificatione: quod omne id, quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cum pius ipse sit, & promptus ad benefaciendum obtinebitis à multitudine miserationum suarum.

Mundū seruari precib. monachorū.

Est etiam fides nostra (NB) non vtique parua: quod hic mundus, qui lubricus, & immundus est, & in maligno positus; orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi Iudicis, cuius iram peccatis nostris accendimus, defensatur, auertendo suam, quam meremur indignationem.

Cum igitur, firmissimè hoc credamus, quod ab ipso Patre Misericordiarum pijs orationibus vestris impetretis, quidquid ab ipso in nomine Vnigeniti Filij sui humiliter postulaueritis: Nos, qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse, omni humilitate, omni deuotione, ab vniuersis vobis, & singulis, qui in nomine Christi hic conuenistis, petimus & obsecramus, omnium precum instantia, quatenus in fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium Sanctissimum Orationum vestrarum

nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini, vt gratia sua misericorditer in nobis deleat, & emendet, quidquid hactenus commisimus, humanæ carnis infirmitate, & in his, quæ sibi placita sunt, nos conformare dignetur: & licet peccatores simus, cum tamen per ineffabilem misericordiam, Rom. Imperij gubernacula susceperimus, det ipse nobis, Vestro pio interuentu, Spiritum Iudicij, & Veritatis: vt sic sub Nobis regatur Imperium, & disponatur, vt ad laudem, & gloriam Nominis sui, Sancta sua Ecclesia, quam in ara Crucis Sanguine suo redemit, pacis gaudeat optata tranquillitate. Et nos post decursum temporalis huius Imperij, vna vobiscum ad Imperium sine fine mansurum peruenire possimus, &c.

Ecce quid per nostros speret Imp.

Hactenus Imperator in suis litteris. è quibus facilè aduertas, quanti, & tunc, & alias Imperij, & Imperatorum interesset, disciplinam Monachicam, suo in vigore conseruari, à qua tantum fructus, & gratiæ, adeò manifestè semper in omnes, & Principes, & populos comprobabatur deriuari.

Prodigiosi eius triumphi.

Retulit admirandos prorsus de hostibus Ecclesiæ triumphos, vt pro quo iam pœnitente cælites pugnare visi sint, Sancto Georgio Martyre non semel ordines ducente, cum incredibilem fermè quadringentorum millium equitum exercitum ipse vix equos sexcentos ducens prostrauisset. Decessit denique miserabili prorsus casu gloriosissimus Saracenorum triumphator, cum in partibus inferioris Armeniæ in flumine quodam nando se exerceret, inopinato casu repentè, spectante, & complorante vniuerso exercitu submersus. cuius obitum non Occidentales solum, sed & Orientales, ipsi quoque æmuli Græci, haud leuiter planxere.

Miserando casu submergitur.

DE STATV IMPERII POST OBITVM FRIDERICI I.

FRiderico Salutis Anno 1190. vt diximus extincto successit Henricus Filius, huic Philippus Frater, Philippo Ottho IV. Dux Brunsuicensis, tum Fridericus II. Henrici Filius, Philippi ex fratre Nepos, læsæ Pontificiæ Maiestatis rei omnes,

sacri-

facrilegi, excommunicati, pessimæ notæ Principes; de quibus benè mereri Sanctissimi ex Ordine viri, multum, at frustra conati sint, Otthone excepto, qui exauctoratus Numinis denique manum agnouit, sacris viris se totum permisit; adeoque scelerum pœnituit, vt more nostrorum seruiliter tractari, & virgis cædi, quin & à vilissimis lixis pedibus proteri voluerit, exquisitissimis modis de se ipso dum viueret sumens vltionem, nequid vlciscendum à morte ad æquissimi Tribunal Iudicis secum ferret. Exauctorato Friderico, improbissimi ingenij Principe, plures de Imperio contendere, diuersorumque studijs miserè aliquandiu iactata Germania fuit, eousque, vt dum alter alteri nemo concederet, ad externos postremò, contra Germanicæ nationis decus, & dignitatem, Imperijque instituta, ac leges sese per contentiones conuerterent, alijs Richardo Cornubiæ Comiti, Henrici Anglorum Regis fratri, alijs Alphonso X. Castellę, & Legionis Regi Sceptrum, ac diadema offerentibus, donec Richardo mortuo, pertæsi tam longas decennij moras, quibus Alphonsus Imperio aberat.

Frustraneo nostrorum apud pessimos Principes labor.

Otthonis IV Pœnitentia.

Pessimus status Imperij.

Externi eliguntur Imperatores.

RVDOLPHVM I. HABSPVRGIVM.

Rudolphus I. Imp.

Eligerent, Romani Germanique Imperij, longa Principum dissensione afflictissimi, futurum restauratorem. Quo quidem in sui generis ac sanguinis Principe, cum tanto post Anicia familia, & Sanctissimus Archidux atque Imperator noster BENEDICTVS sepositos interea Imperij fasces, gratulante orbe vniuerso receperit, in recensendis posteris Cæsaribus, nostrorumque de ijsdem meritis, conquiescimus, postea cum de Austriæ Archiducibus agemus, cætera narraturi. Contenti interim, redditum Sanctissimi Legislatoris nostri seris Nepotibus, tanto cum plausu fructuque Ecclesiæ vniuersæ Summum Imperium, idemque præter omnem Rudolphi expectationem à Sanctis nostris vatibus promissum, & disertè prænunciatum. Illud præ cæteris memorandum de eo, posterisque eiusdem Vaticinium, quod Farensis, Tigurum inter, & Aquas, Monasterij sanctimonialis, & ea quidem Rudolphi cognata; edidit, ab illustri

Anicia familia Imperium tanto post restituitur.

Austriaci seri Nepotes S.P.N.

Vaticinium sanctimonialis Ord. nostri.

iuxta

iuxta tanti Principis pietate commendandum. Cum enim Rudolphus venationi incumbens in Sacerdotem incidisset, qui Sacrosanctam Synaxin ad ægrum delaturus torrentem quendam transuadare parabat, repentè ab equo in genua procidens, adorato Numine equum Sacerdoti obtulit, quo aquas transmitteret; quem cum restituere ille vellet, Comes abnuit, quod indignum diceret, equum se illum inscendere, quem Dominum, & Conditorem suum gestasse certum haberet.

Rudolphi pietas.

Mira res! Postero diè cum ad sanctimonialem prædicti Cœnobij propinquam, & grandem ætate inuiseret, vultu sereno, contenta, & futuris secura voce, his ipsis exceptus est: *At tibi ego*, inquit, *hesterna luce superos placatos, & beneuolos denuncio, proque pietatis, & liberalitatis officio, rerum tibi posterisq; summum, & supremum in terris honorem, & opulentia fastigium affirmo, læta, fausta; incredibilia promitto*. Vt merito ad tantæ vatis, & cognatæ præsagium, atque Oraculum cum optimo Principe, nostrorumque primo Cæsare toti obstupescamus, & Vaticinij veritatem, Vatis cognationem, seris BENEDICTI Rudolphique Nepotibus, Orbis terrarum Dominis, Diuorum sanguine natis, festiuissimo plausu adgratulemur.

Ad cognatā inuisit.

Mira salutatio.

Felicitas, & potentia Domus Austr.

Sed iam Augustarum item, & Cæsaribus natorum, accepta à monachis seu cucullo beneficia, obiter numeremus.

IMPERATRICES, ET FILII, COGNAtique Imperatorum BENEDICTO Patri obstrictissimi.

NVmeremus, inquam; nequis singula nostrorum de singulis merita explicari hoc loco existimet, cum sola Principum Augusto sanguine, & coniugio illustrium nomina recenseamus, qui Sanctissimo Imperatori nostro BENEDICTO cæteris obstrictiores, cucullum purpuræ præferentes, feliciores tanti Patris adoptione ac patrocinio, sed & spectatiores, quam summo Imperio fuere.

Felicitas adoptatorū à S.P.N.

Circumfluxit totus ea cognatorum, liberorum, atque maiorum

iorum felicitate Magnus, & Primus Occidentalis nostri Imperij Moderator Carolus, vt nisi è tam copiosa fertilique Sanctorum Monachorum familia, singulari Numinis voluntate, Summo Imperio, Imperijque ac orbis Christiani bono, natus destinatusque fuisset, eamdem procul dubio, quam tot maiores, fratres, cognati, filijque in cucullo quæsijssent, ac inuenissent solidam felicitatem, & ipse non consectari atque amplecti non potuisset. Lineam maiorum rectam seu ascendentem hanc habuit Magnus Imperator: Pipinum patrem, Auum Carolum Martellum, Proauum Pipinum cognomento Herstallium, Abauum Ansegisum, Atauum Sanctum Arnulphum, tritauum Arnoldum siue Arnualdum Comitem Palatinum, quartauum Ansbertum Palatio Regio præfectum, Clotharij Regis generum; quos solos, ne vlterius ascendamus, paulum atque obiter, pro fine atque intentione nostra, lubet inspicere.

Caroli Magni familia plenissima Sanctis Monachis.

Seruatur Imperio Carolus.

Linea recta siue ascendẽs Caroli.

Ansbertus, primus Maior-domus Regiæ in Francia, quartauus Caroli, vti cognatione atque affinitate proximus Galliæ Regibus fuit, sic, vt & illi, Monachorum innumeris meritis atque beneficijs obstrictissimus, omnem generis felicitatem ijsdem post DEVM liberrimè adscripsit, vel inde quidem Sanctissimo Patriarchæ BENEDICTO præcipuè deuotus atque obligatus, quod tot è nepotibus posterisque, quos in cucullo ille adoptauerat, Sanctitate Illustrissimos, supra omnem Regum atque Imperatorum famam ac gloriam cœlo terraque spectatos, parens felicissimus edere meruerit.

Ansbertus Caroli Magni quartauus.

Ansberti posteri cucullo plus quã regno illustriores.

Sed & gloria cognatorum Regum, felicitas eorumdem, & pietas, Sanctissimi Patris nostri Mauri, & discipulorum operæ, institutioni, & precibus ab ipsis Regibus transcripta, ad Ansbertum proximè pertinuit, ex qua vnica Merouęorum gente incredibile ferè est, quanta Principum copia, ad BENEDICTI Archiducis nostri castra transierit, quos, ne nimium in vno Carolo nostro nos effundamus, consulto prætereundos duximus, contenti Socerum Ansberti Clotharium Regem, ex obliquo obseruasse, qui matre sua Sancta Clothilde Regina Clodouæi Magni coniuge beatissimus, eamdem cucullo, quam diademate spectatiorem, è Turonensi Cœnobio, verè Illustrissimam tantos sanctitatis radios spargere vidit, vt Regnum, vt Ecclesia, vt orbis

Merita nostrorum de Ansberto.

Ingens numerus Regiæ familiæ S. P. N. dat nomen.

Socer Ansberti Rex Clotharius S Clothildis nostræ filius.

orbis vniuersus inde resplendesceret, maior autem in se, in familiam vniuersam gloria ac felicitas, à matre sola, quam ab amplissimo Imperio redundaret.

S. Tichildis soror Clotharij.

Huius tantæ Reginæ nostræ filiam, insigni pietate coniugem Blithildim Ansbertus meruit. Neque hic solum fortuna, & beatitas Ansberti, & Clotharij constitit, quando ipsa soror huius Tichildis, sanctissimæ matris propositum sequuta, & ipsa admirabili sanctitate è cucullo exsplenduit. Sed & vxor Clotharij Sancta Radegundis Regina, diadema abijciens, cucullum Pictauis amplexa, celebrari in hodiernam vsque diem toto terrarum orbe meruit. Ingertrudis item, & Iugunda Regis eiusdem filiæ, Andouera Chilperici filij coniux, & horum filia Basina, cucullo quam purpura cultiores, hæ etiam proprio sanguine religiosam vestem purpurarunt, ingensque atque ęternum decus Regiæ familiæ conciliarunt. Et ecce opulentiora hæc tota hæreditate decora ac munera ab Ansberto patre, à Blithilde matre, ab Auo Clothario, auia, matertera, amita, cognatis, quos minimè numeramus omnes, vnus Arnaldus siue Arnualdus Princeps suscepit, qui propria, vt propiore beatitate felix, magnum illum, & Sanctissimum Austrasiæ Ducem Lirinensem postea Monachum, & Metensium Pontificem, Diuum Arnulphum genuit. Arnulphus è Sancta coniuge Doda, (quacum in sæculo etiamnum vitam Monasticam exercuit) pari felicitate filios Ansegisum Ducem tam beati generis propagatorem, Sanctum Clodulphum nostrum, ex Lirinensi item Monacho, proprij patris in Episcopatu successorem, & Vvalgisum Principem, Sancti Vvandregisili nostri parentem procreauit.

S Radegunda nostra, coniux Clotharij. Eiusdem filiæ, & neptis.

Arnaldi à nostris felicitas.

S. Arnulphus noster Metens. Episc.

S. Clodulphus noster ibidem Episcopus.

Ansegisi felicitas. Eius coniux S. Begga nostra.

Ansegisus tantorum parentum filius, patruorum nepos, dignissimam tam Sancto genere coniugem sortitus, Sanctam Beggam Pipini I. Hasbaniæ Principis filiam duxit, quæ si quis mortalium vsquam seu vspiam Sanctissimo Patriarchę nostro Benedicto obstrictissima, celeberrimam illam, vt genere sic sanctitate, sororem, Diuam Gertrudem Niuigellensem Abbatissam habuit; nec impari sanctitate matrem Diuam Idubergam, Sancti Modoaldi nostri Treuerensium Pontificis, & S. Seuerę Abbatissę Horrei sororem, & ipsam meritis, & gloria nostrorum circumseptam atque excultissimam, quę mortuo

Huius mater, & cognati.

lectissi-

lectissimo coniuge, Sanctissimum tot maiorum suorum consequuta propositum, in eodem, quo filiam Gertrudem vixisse diximus, Cœnobio, Monasticen professa, admirandis ibidem virtutibus enituit. Sed & amitæ Sanctæ Amelbergæ exemplo, & sorte felix Begga, eamdem, Vvitgero coniuge Sanctissimo Principe defuncto, è cucullo similiter Malbodiensi in Cœnobio velut lucidissimum solem, orbi illucescere conspexit, in cuius sanctissima sobole Sancto Emeberto siue Ableberto, S. Rainelde, S. Pharailde, S. Ermelinde, Sancta Gudila tam felici generis propagine, omnibus similiter DEO consecratis, dici non potest, quantum Beatissima Princeps recreata sit, eo vno, vt putabat, infelix, donec, & ipsa moras rumperet, & in Andennensi Cœnobio purpuram cucullo permutaret.

S. Amelberga nostra. Begga amita.

Felicissima progenies.

Tali parente, tali cognatione Pipinus, quem Heristallum vocant verè beatus, verè gloriosus, pari felicitate liberos Grimoaldum, Drogonem, & Carolum Martellum habuit; qui affinitate, cognatione, educatione Sanctissimorum ex Ordine nostro virorum atque Virginum, longè, maioribus suis, fortunatiores, integris eorumdem circumsepti manipulis, ab hac magis, quam omni belli gloria, & Principatus amplissimi potentia celebrari meruerunt. Inter quos S. Hildulphus inprimis Treuerensium ex Monacho Vosagi Pontifex, S. Basinus ex Mon. S. Maximini eiusdem Sedis Antistes, S. Romaricus Abbas, S. Adelphus Abbas, S. Licinius, S. Aia, S. Gegoberga, S. Gebertrudis, S. Doda, S. Bona, S. Bertha, cucullo omnes quam purpura illustriores, & multo his plures, quos in Austrasiæ Ducibus suo loco numerabimus, affinitate, & cognatione Carolo Martello proximi, enituerunt.

Pipini Heristalli beatitas. Item Caroli Martelli.

Sancta cognatio.

Sed præ omnibus commendandus primogenitus Martelli filius Carolomannus, duodecim Regnorum potens, Princeps verè maximus, qui vt fortuna primum, ac belli gloria vniuersum perculit, sic admiranda animi in cucullo demissione, miraculo fuit, ex tanto Rege inter Casinates Monachos lixa factus, tantum vt Monachorum felicissimo ordini, quamuis postremus omnium, accenseretur.

S. Carolomannus Rex celebratur.

Pipinus Carolomanni frater, Martelli filius, non fratre solum tam Sancto beatus, Landradam etiam Abbatissam sororem habuit;

Pipinus Rex felicissimus.

buit; fratres autem consimili sorte illustres, & diuites, Hieronymum magni illius Abbatis nostri Fulradi patrem, & Bernardum Sanctissimorum item filiorum parentem Diui Adelhardi Corbeiensis Abbatis, B. Vvalachi ibidem Monachi, & successoris, S. Bernerij Lirinensis asceta, Gundradæ Pictauiensis ad S. Radegundem Monialis, & Theodradæ Suessionensis Antistitæ. Vt de ipsa Pipini sobole Ægidio Montis Soractis Monacho, Gilla Abbatissa, Ada Treuirensi Moniale, S. Simperto ex Symphoriana filia nepote, alijsque pluribus pigeat referre, nedum quanta à Monachis beneficia Pipinus ipse, eaque inter Regnum ipsum, primus à S. Zacharia nostro Pontifice Maximo Galliarum Rex renunciatus, & à Magno Germanorum Apostolo Bonifacio, consecratus, acceperit enumerare.

Fratres Pipini.

Nepotes Sanctissimi.

Pipinus Regnũ nostris debet.

Tanto genere, tot Sanctorum, quot Monachorum, primus ille, & à S. Leone nostro electus, & inauguratus Occidentis Imperator MAGNVS CAROLVS prodijt, tam posteritate eiusmodi, quàm maiorum serie felix, inde solum minus ipse Monachus, quod licet pareret Monachis, orbi tamen imperaret, cæterum, vt superius diximus, Monasticis in ipso Imperio exercitijs non minus Monachus, quam Augustus, imo inde Augustissimus, quia pro vita tam Sancta, tamque religiosa inter Diuos relatus, promouentibus vtique tot Sanctorum, & quidem Cognatorum meritis atque exemplis, à quibus, quanta, velut hæreditate, & Numinis atque Sanctorum propria benignitate, in primum Occidentis Imperatorem tantum, adeoque in Imperium ipsum, felicitas redundarit, quanta gloria, quantus fructus, haud immerito, quid dicto sit opus ambigimus, faciliusne sit ominari, an difficilius pro dignitate æstimare.

Recollectio felicitatis Caroli Magni.

Eius virtus & Imperiũ vnde?

Felicitas Imperij à tot Sanctis.

Sed breuius deinceps Caroli, & successorum cum cucullo Sanctissimi Legislatoris nostri cognationem memoremus. Carolus Magnus, fratruelibus Adelhardo, Vvernario alijsque, vt intelleximus, felix, liberis proprijs multo felicior extitit, Drogone inprimis Luxouiensi à prima ætate Monacho, Sanctissimo demum Metensium Pontifice, cuius aliàs de Imperio merita grauissima celebrauimus. Alter è filijs Hugo fuit, qui Aquitaniæ, vt nonnulli tradunt, Regno præfectus, tantum Principatum

Caroli Magni liberi Monachi.

Drogo Episcopus.

Hugo.

tum

m fastidijt, & in S. Bertini Cœnobio saluti consulens suæ, ntis virtutibus effulsit, vt ex Monacho Archiepiscopus Rotoagensis eligeretur. Pipinus, cognomento Gibbosus, ex Hi eltrude natus, rebellis primum in patrem, ac in Cœnobium trusus, quam inuitus primùm induerat Sacram vestem, sum- a postea voluntate amplexus est, in eadem illustrior multo, iam futurus in eo, quod immaturè ambierat, Regno, euasit. amdem vitam professæ Gisala, & Theodora dulcissimæ filiæ, ec etiam Argentoliensi Cęnobio præfici meruit, vtraque beaor exigua cellula, quam pater Imperator tanto Imperio fuit. nma Eginhardo marito desponsata, eumdem cucullo post in- gniorem quam domi clarum habuit; sed & Bertha Angiberti rincipis coniux Monasticam vitam in sæculo exercuit, quam morte eius statim professus Princeps optimus, Abbas po- a S. Richarij Cœnobium rexit. Vt cæteros affinitate, & gnatione Carolo, & filijs iunctos, Cœnobitica vita illu- issimos plurimos, nimiæ prolixitatis metu, studiosissimè præ- eamus.

Pipinus.

Gisala, & Theodora.

Emma, & Bertha.

Secundus Occidentis Imperator Ludouicus Pius, eorum os celebrauimus frater, quam vnicè dilexerat cognatam, & niugem Iuditham, Monialem ipse vidit, improbitate quidem iorum, in Monasterium primùm detrusam, regno restitutam rumque deiectam, donec amantissimo reddita marito, eo num mortuo, cucullum amplexa, priuignorum odia ac pu- as, è securissimo asylo intueretur, & degustata vitæ religiosæ lcedine, spontè iam acquiesceret, cui inuita atque reclamans m deuouebatur. Carolus eiusdem Imperatoris nepos Aqui- niæ Rex, à Carolo Caluo primùm coactus apud Corbeiam llicam cucullum induit, inde Fuldam elapsus, ita deinceps am instituit, vt dignissimus haberetur, qui Sanctissimo, celeberrimo Moguntinensium Archipræsuli Diuo Raba- nostro in honore succederet. Sed & Religiosissimis nepti- Luitgarde, Hildegarde, & Bertha felix omnes pro exi- s meritis diuersorum Cœnobiorum creatas Antistitas intue- eruit.

Ludouici Pij felicitas.

Iuditha Imperatrix.

Carolus Ludouicus nepos.

Neptes lectissima.

Ludouici filius natu Maximus Lotharius, tertius Occiden- Imperator, ipse demum, vt supra vidimus, stupente vni-

Lotharius Imp. Mon.

uerso, factus Monachus, supra fortunam Cæsarum Diuus euasit, eoque nomine illustrius multo decus, quam Augusto titulo, familiæ addidit. Eius vxor prima, incertum quam ob causam, ab ipso repudium passa Angelpirga, Ethelvvolphi Angliæ Regis filia, plurimum cucullo debuit, in quo plus felicitatis, quam in Imperio reperit, in fertilissimo Sanctissimarum Principum, & Imperatricum S. Iuliæ Brixinensi Cœnobio, viuens, & mortua tumulata.

Angelpirga I. coniux.

Sed & Hermingarda Saxonica coniux eiusdem Lotharij altera, mariti propositum, digno, vt rarissimo ad omnem æternitatem exemplo æmulata, purpura similiter, ac diademate abiectis, vilem lacernam prætulit, & in eodem S. Iuliæ Cœnobio Deo se deuouens tantopere se eximia animi demissione lectissimis Christi sponsis ibidem probauit, vt Coadiutrix Amalbergæ Abbatissæ adiungi meruerit.

Hermingardis Augusta.

IVDITHA GVELPHICA IMPERATRIX .Augusta Ludouici Pij coniux.

Imperatrices Moniales.

ANGELPIRGA ANGLICA; Imper. Lotharij I. Imp. coniux.	*HERMINGARDIS SAXON. altera Lotharij coniux Imperat.*

Sed & Gisala Lotharij item ex Angelpirga lectissima filia, matri se addidit, eiusdemque voti, & habitus particeps effecta, in eodem Diuæ Iuliæ Cœnobio multo tempore superuixit. Vt nihil de cognatis harum Principum dicamus, quorum plurimi cucullum item amplissimis Prouincijs, & opibus prætulerunt, Iudithæ inprimis frater germanus Ethico Princeps potentissimus, qui Ambergauij Monachum cum duodecim Palatinorum suorum præcipuis professus, Diui Altonis Ascetis se adiunxit, qui postea mutato loco Vveingarttenses appellati sunt. Angelpirga autem tanta Sanctorum Monachorum cognatione beata fuit, vt vix talis in orbe familia fuerit, quæ illius beatitati valeat comparari.

Gisala S. Lotharij filia Mon.

Principes cognati cucullo insignes.

Lvdovicvs II. Quartus Occidentis Imperator, Sancti

Lud II. Imper. coniux Mon.

cti Lotharij nostri filius, patre ac matre Monachis beatissimus, nequid deesset ad felicitatem generis, vxorem etiam Angilbergam religiosissimæ vitæ coniugem habuit, quam licet ille indignius tractaret, & à se repelleret, illa nihilominus mala prius omnia perpeti, quam fidem semel marito datam frangere maluit; & ad conditum à se S. Resurrectionis Placentiæ Cœnobium secedens ibidem ieiunijs, & orationibus intenta permansit, donec mortuo marito, coniugij soluta vinculis Christo se manciparet, abiectisque Imperialibus vestimentis cucullum indueret. In quo quidem tantos in virtutibus maximis progressus fecit, vt eiusdem Cœnobij sui non multo post Abbatissa electa sit, quin, & ob eximiam famæ celebritatem, ad regendum insuper Brixinense S. Iuliæ postulata.

Angilberga Imp. Mon. promotio.

ANGILBERGA LVDOVICI II. IMP. Coniux Augusta, Monialis.

Carolus Caluus Imperator tres filios Monachos Lotharium Carolomannum ac Hucbertum, Hermentrudem filiam Monialem, ac demum pro meritis Abbatissam habuit.

Tres filij Caroli Calui Monachi.

Quarta ex Augustis S. Richarda Caroli Crassi Imperatoris coniux enituit, eo magis præ cæteris spectanda, quod illibata in Augustali thalamo Virginitate, flosculum puritatis integrum, ad Virginum sponsum attulit, & in condito à se Andlouensi Virginum Cœnobio cucullum induta, & sacrum vitæ rigorem professa, in eodem admirabili sanctitate refulsit. Eam postea Sacræ eiusdem Cœnobii Virgines Antistitam meruere, cuius solemni ritu, æterna Germanorum vniuersique Imperij gloria, nomen, inter Sanctos adscriptum est. Et quid Imperio, quid Germaniæ nostræ, ad splendorem maiestatemque, optatius, dignius, vtiliusque, quam tales, vt supra vidimus Cæsares, tales Imperatrices habuisse? imo etiamnum habere, & quidem eosdem è cœlo ipso, in ipsas etiam terras potentiores? Verè Augustos, verè Diuos, Magnos Imperij Tutelares, seruatores, promotores.

S. Richarda Imp. Abbat.

Virgo coniux.

SAN-

SANCTA RICHARDIS IMPERATRIX Augusta Diui Caroli Crassi coniux, Virgo Abbatissa Andlouiensis.

Henrici I. Imp. felicitas.

FElicissimus autem supra Augustos cæteros omnes in hoc genere Henricus I. Cognomento Auceps, fuit, qui vxorem, & binas filias, tres cognomines Mathildas, cucullo Augustissimas habuit, è quibus vxor post obitum Cæsaris mariti, ad Quedlinburgense Cœnobium se recipiens proiecto diademate talis in cucullo effulsit, vt terras cœlumque admiratione repleuerit. Ob rarissimam vitæ sanctitatem Diuorum albo inserta, & inter præcipuos Germaniæ Tutelares adoptata. Altera matris suæ tam sanctæ mater effecta, eiusdem Cœnobij prima Antistita, insigni miraculorum illustris gloria, similiter catalogo Sanctorum adscribi meruit. Tertia item Ringelheimensi Cœnobio præfecta, pijssimo zelo atque æmulatione cum Sanctis matre, & sorore contendit, singulæ singulare patriæ, & Imperatorij generis decus effectæ.

S. Mathildis Imper. Mon.

S. Mathildis secunda filia Imp. Mathild tertia Monial.

Hatteburga Tanquardi mater.

Sed & Hatteburga, quam ante Mathildam præter fas duxerat Henricus, & dimittere coactus erat, mater Tanquardi, Cœnobio se abdidit, & præter cognatorum copiam maximam professione Monachica, quam ipso genere illustriorem, è proximis multos, sororem Luitgardam Gandersheimij Abbatissam, Amitas, Haimodem, Gerbirgam, Christinam, moniales omnes, & sanctitatis insuper opinione celebres suspexit, vt & huic Augusto, eiusque Imperio, quantum solatij, quantum præsidij fuerit, facilè omineris.

Soror, & Amita Moniales.

Immisceamus etiam filium Imperatoris:

CAROLVS LVDOVICI IMPERATORIS FILIVS.

Carolus Galliæ Rex.

DE Ludouici Balbi, Imperatoris, filio Carolo Galliarum Rege quantum meruerit, quantum de Galliarum Regno, simul-

ſimulque Imperio toto, & Europa vniuerſa, cum diabolico ſuorum conſilio, pro ſtatu, vt ſuaſerant, & perſuaſerant, Regni conſeruando, (certam tamen in ruinam Orbis Chriſtiani) fœdus iam cum infidelibus pepigiſſet, & in Europam eoſdem pelliciens, portus eiſdem ſuos apertos voluiſſet: quantum, inquam, de peſſimè ſeducto Rege meruerit S. Fulco noſter Remenſis Archiepiſcopus, Regem ipſum opportunè importunè, arguens, obſecrans, obteſtans, donec tandem ab impia mente auerteret, nemo ſatis ac dignè explicauerit, quam qui mala orbis Chriſtiani, ex fidelium cum infidelibus coniunctione ſuis ipſe oculis contuitus ſit. Sed partem ſaltem Epiſtolæ alicuius æterna dignæ memoria inſeramus, vt ex hac noſtrorum adulari Principes neſcientium, magnanimitatem, & zelum penitius penetremus.

S. Fulco noster.

Quis enim, inquit, *qui vobis ſicut oportet, fidelis eſt, non expaueſcat. Vos inimicorum DEI amicitiam velle, & in cladem, & ruinam nominis Chriſtiani, pagana arma, & fœdera deteſtanda ſuſcipere? Nihil enim diſtat, vtrum quis ſe paganis ſociet, an abnegato DEO idola adoret. Nam ſi, vt ait Apoſtolus, mores colloquia praua corrumpunt, quanto magis corrumpitur caſtitas animæ Chriſtianæ inimicorum conſilijs, & ſocietate? Neque poterit non imitari, quod aſsiduè viderit: quin potius aſsueſcet paulatim, & quaſi vinculo malæ conſuetudinis trahetur ad facinus. Certè progenitores veſtri Reges, depoſito Gentilitio errore Diuino cultui ſe ſublimiter ſubdiderunt, & à DEO ſemper auxilium petierunt, propter quod, & feliciter regnauerunt, & Regni hæreditatem ad poſteros ſuos tranſmiſerunt. Vos è contra, nunc DEVM relinquitis, cum vos eius hoſtibus ſociatis. Vnde, & merito Prophetica illa vox, ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Iſrael ſimilia facientem directa eſt: Impio præbes auxilium, & ijs, qui oderunt me amicitia iungeris. Et certè cum deberetis malis præteritis terminum ponere, & rapinis, & deprædationibus pauperum renunciare, ac pro his omnibus pœnitentiam agere, nunc ad maiorem iram DEI prouocandam, ijs qui Dominum ignorant, & in ſua feritate confidunt, vos coniungitis. Credite mihi, quia nunquam ſic agendo ad Regnum peruenietis, imo velociter diſperdet*

Epiſtola Fulconis.

Scripturam allegat.

Neſcit adulari.

det vos DEUS quem irritatis. Hactenus quidem meliora de vobis sperabam: nunc vos video, cum omnibus consentaneis vestris periturum; si tamen hoc verè vultis agere, & talibus consilijs acquiescere.

Reuera, qui tale vobis dant consilium, non fideles, sed per omnia infideles comprobantur, quos si audire volueritis, terrenum simul, & aeternum Regnum amittetis. Deprecor itaque vos per Dominum, vt tale deseratis consilium, neque vos velitis in aeternum praecipitare interitum, & mihi, caeterisque, qui secundum DEUM vobis fideles sunt, aeterni doloris afferre dispendium. Melius enim fuerat vos non nasci (NB) quam Diaboli patrocinio velle regnare, & illos iuuare, quos deberetis per omnia impugnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, & in talibus consilijs acquieueritis, nunquam me fidelem habebitis. Sed & quoscumque potero à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis vos, & omnes vestros excommunicans, aeterno Anathemate condemnabo; quoniam cupio vos secundum DEUM, & secundum saeculum esse honoratos, & non Sathanae sed Christi adiutorio, ad debitum vobis conscendere Regni fastigium. Regnum enim, quod DEUS dat, firmum habet fundamentum. Quod vero per rapinas, & iniustitiam acquiritur, caducum est, & citò deciduum, nec diu poterit permanere, &c. Hucusque Magnus hic Fulco noster; de quarum litterarum effectu sic Papirius Massonus: *Peruicit Fulco, ne id foedus feriretur, qui Reges penè pro arbitrio fecerat, destitueratque, &c.* Recitat eamdem Epistolam Baronius, & digna haec quae subiungantur, è sua pharetra subijcit: *Haec & alia,* inquit, *Fulco, libero, ab humano affectu, pectore. Procul longè abest, vt eidem Regi suasissent ista politici Haeretici nostri, qui regnandi iure prosternunt omnia, fidem, iustitiam, ipsamque etiam Religionem, ita pessimè Regnis, & Regibus consulentes. Quam enim praestet, quamque proficuum sit in regnandi iure Religionis inprimis rationem habere, eamque caeteris humanis, & quas suadet prudentia carnis, rationibus praeferre, praeter innumera antehac recensita, satis docet praesens exemplum.* Ita Baronius. Sed in Caesarum liberis aliquot recensendis pergamus.

Digna sententia.

Cōminatio.

Regnum firmum si à DEO.

Heus Politici!

SAN-

SANCTA MATHILDIS IMPERATRIX Augusta Henrici I. Cognomento Aucupis, coniux, Monialis.

Otthonis I. par patri felicitas.

PRoximus patri felicitate Ottho I. ab illustribus factis Magni Cognomentum indeptus, cuius augustissima coniux Adelheidis Rudolphi Burgundiæ Regis filia, tanto marito felicissima, feliciorem tamen multo se credidit, quando eo mortuo, diadema ad S. P. N. BENEDICTI pedes proijcere, eiusque Imperio subdi, imo filia eiusdem adoptari potuit, in eo quod condiderat Sehlsensi Monasterio, cucullum amplexa. Matris exemplum sequuta Mathildis filia, sub cura amitæ suæ S. Mathildis Abbatissæ Quedlinburgensis sanctè educata, huic tandem succedere meruit, & labore tam digno annis 59. optimè perfuncta, ætate grandæua, & meritis cumulatissima ibidem decessit.

Eius coniux & filia moniales.

SANCTA ADELHEIDIS IMPERATRIX Augusta, Otthonis Magni Imp. coniux Monialis.

Rara Otthonis II. Imp. felicitas.

OTthoni Secundo præter tam Sanctæ Matris, parique sanctitate auiæ summum decus, illud iuxta obtigit, quod vix cuipiam alteri: quinque nimirum, vt filias Regum Regi in cucullo consecraret; quarum prima Mathildis Theophania Orientis Imperatrice nata Quedlinburgensi Sanctissimo in Cœnobio apud amitam educata, eidem in dignitate, vt pietate succesfit.

Prima filia Mathildis.

Altera Sophia Gandersheimensis Monasterij Antistita effecta, mirè è cucullo exsplenduit, quàm ob eximias virtutes, & merita magnus, & sanctissimus ille Hildesheimensium Pontifex Diuus Gotthardus, multum, & familiariter dilexit. Tertia Adelheidis priorum germana, raro exemplo, sorori Mathildi, vt in proposito vitæ, sic & in honore Abbatiæ Quedlinburgi succesfit. Quarta Felicitas, vnicè parentibus chara, & sum-

Secũda filia Otthonis.

Adelheidis tertia filia. S. Felicitas quarta filia monialis.

mis honoribus reseruata, contra nominis proprij rationem infelicem se credidit, nisi telas sæculi morasque omnes rumperet, & quam felicitatem sorores præripuissent, & ipsa consequeretur.

Pia proin simulatione, curiositate, vt putabant muliebri, parentes deludens, ad S. Saluatoris, quod Ottho pater à S. Maiolo conditum præclarè dotauerat atque ornauerat Monasterium, quasi visendum profecta, statim atque illuc applicuit, votum quod mente conceperat, opere compleuit, & contra parentum voluntatem Deo sacrata, sacrisque Religionis vestibus induta, à Religionis proposito, nec minis, nec blandimentis auelli vnquam potuit. Claruit admirabili vitæ sanctitate, ob quam à morte Sanctorum albo adscripta, maiorem supra omnem Cæsarum gloriam adepta, summo, & æterno etiamnum in honore habetur, cuius sacrum corpus in eodem Papiensi Cœnobio, quod mutato nomine hodie S. Felicis appellatur, religiosissimè colitur. Quinta Otthonis filia, ex Anna Austriaca altera coniuge nata, Iuditha fuit, quæ regia formæ præstantia cæterisque naturæ dotibus cultissima, ab ipsis pueritiæ annis Deo in Ratisponensi Cœnobio consecrata fuit, verum inde postea a Bisetislao Boemorum Duce abrepta, quod è re Regni videretur, sacris operante Helichardo Pontifice, eidem Principi legitimo matrimonio coniuncta, primi postea Bohemorum Regis Vratislai mater extitit.

Contra parentum voluntatẽ fit Monialis.

Quinta filia monialis.

Harum frater Ottho III. Imp. Augustus, quod ipse liberis careret, nec aliud quod dignius Deo offerret præter Imperium, & seipsum esset, vtrumque promisit, vt supra vidimus, quamuis præuentus morte, implere nequiuerit.

Ottho III. liberis caret.

Sanctus Henricus II. cognomento Claudus, & ipse liberis carens, Virgo maritus, Virginem coniugem, Sanctam Chunegundem habuit, quæ quod statuerat, & iam sanctè vouerat Henricus suus, & ipsa à morte eius propositum arripuit, atque in Confugiensi à se condito Cœnobio, quod suismet manibus operata fuerat tanta Imperatrix cucullum induit, in quo admirabili vitæ sanctitate vitæ reliquum, grandibus à Deo prodigijs honorata compleuit. Henricus multos è cognatis Sanctos Monachos, sorores duas Gerbirgam, & Sophiam, vtramque Monialem;

S Henricus II. Imp.

Vxor virgo monialis.

vtram-

vtramque Antiſtitam, illam Chiemenſis, alteram Paderbornenſis Monaſterij habuit; Chunegundis autem ex illo fertiliſſimo Sanctiſſimorum Monachorum Auſtraſiæ Moſellanicæ Ducum genere prodijt, de quo ſuo loco prolixius diſſeremus.

Vtriuſque à ſancta cognatione felicitas.

SANCTA CHVNEGVNDIS IMPERATRIX Auguſta, Virgo coniux S. Henrici Imperatoris, Monialis Confugij.

Conradus Salicus Henrico ſuccedens cognatione conſimili felix, reliquos inter S. Eberhardum primum Einſidlenſium Abbatem, & S. Brunonem noſtrum Herbipolenſium Epiſcopum, ſexus fœminei autem Antiſtitas, & moniales plurimas numerauit, cuius filius Henricus III. Imperator, votis ſe item Monachicis Sanctiſſimo Patriarchæ noſtro adſtrinxit, ſoloque Abbatis ſui iuſſu, vt ſupra dictum, obedientiæ ſtudio Imperium retinuit.

Conradi Salici conſanguinei SS.

Eius filius Hēricus III Imp. noſter.

Huius Auguſtiſſima coniux Sancta Agnes, Gulielmi Aquitaniæ Ducis filia, cum poſt obitum mariti, Imperium aliquamdiu ſanctiſſimè adminiſtraſſet, Auguſtalem denique maieſtatem in Fructuariæ Taurinatium Monaſterio exuens, pulla veſte purpuram, ſacro velo diadema permutauit, & in S. Petronillæ Cœnobio vitam ſanctè exigens, Sanctorum Catalogo poſt mortem adſcripta, illuſtrior cælo, quam in Imperio illuxit.

S. Agnes Imperatrix noſtra.

Sed & Gunildis prior Henrici vxor, falſo adulterij accuſata, & miraculosè erepta, Monaſterium tanti mariti coniugio prætulit, & ſacro tecta velamine, non multo poſt felici conſummata agone ad Coronam æterni Regni aſcendit.

Gunildis I. coniux Hērici III. Imper.

Tres item filias è Sancta Agnete Auguſta Henricus Imp. DEO obtulit, Giſelam Quedlinburgenſem monialem, & Adelheidem eiuſdem poſtea loci Antiſtitam fama ob virtutem celebrem, ac Sophiam denique apud Admontenſes Ordinem profeſſam, quæ nubere poſtea coacta, & ab Vladiſlao Poloniæ Rege ducta, poſtquam tredecim annis eidem religioſiſſimè conuixit, ad feliciſſimam, eo mortuo, Cœnobij quietem redijt, & in cucullo conſenuit.

Tres filiæ Hērici III. Imper. Moniales.

Tertia è Cœnobio ad Regnum extrahitur.

SANCTA AGNES IMPERATRIX
Henrici III. Imp. coniux Monialis.

S. Praxedis Imp. nostra.

HEnricus IV. quamuis deteſtandi nominis Imperator, ſanctam nihilominus coniugem Praxedem Iarislai Ruthenorum Regis filiam, habuit, quæ cum omni contumeliarum genere à proſcriptiſſimæ pudicitiæ marito affecta eſſet, à Sancto Vrbano II. noſtri Ordinis Summo Pontifice, vt Cœnobium ingrederetur perſuaſa, in Ruſſiam receſſit, & in Bergenſi Monaſterio Chriſto ſe ſe emancipans, ob vitæ tandem meritum Abbatiſſa eligi, & à morte Sanctorum ordinibus, & catalogo adiungi promeruit.

Lotharij II. & Friderici I. cognati noſtri.

Lotharij II. cognatorum plurimus numerus, Friderici I. maternus auus, itemque auia, filia Beatrix, alijque cognatione iunctiſſimi, magis in cucullo quam ipſi in purpura enituere. Vt nihil de ijs, quos ſola aliquamdiu ſuſpexit Italia, Imperatoribus referamus; quorum Hugo, Sancti Lotharij noſtri pronepos, poſtquam Italiæ annis viginti imperaſſet, in S. Petri Burgundiæ à ſe condito Cœnobio, prius eo tralatis Deoque conſecratis omnibus Regiæ theſauris, ſe ſe condidit, abiectaque purpura cucullum amplexus, eo felicior, quam Regno ipſo, ſub ſuaui Chriſti iugo conſenuit.

Hugo Imp. Monachus.

Arduinus Imp. Mon.

Sed & Arduinus Imp. in S. Benigni, quod ipſe ſtruxerat, Fructuariæ Monaſterio, Guilhelmum filium DEO obtulit, ad quod, & ipſe, grandi accepta bello clade, ſe ſe recipiens, mœrorem ſolatus cucullo eſt, bienniumque Monachus ſuperſtes, pro terreno Regno Cœleſte acquiſiuit. Bertha Berengarij primi filia, ab ipſa infantia ab eodem, Numini in S. Iuliæ Brixinenſi oblata, ſexta in ordine Abbatiſſa, ſanctiſſimis ibidem Virginibus præſtitit. Vvilla Berengarij II. coniux, Boſonis Tuſciæ Marchionis filia, propoſitum idem conſectata, mortuo marito Rege ad noſtros tranſijt, & diadema ſacro velo permutans, inter lectiſſimas Chriſti ſponſas Bambergenſi in Cœnobio, felici termino vitam concluſit.

Bertha Berengarij I. filia mon.

Vvilla Imper. noſtra.

NCTA PRAXEDIS Imperatrix Augusta Henrici IV. Imp. coniux, Monialis. | *VVILLA IMPERATRIX Berengarij II. coniux Monialis Bamb.*

Duæ rursus Imperatric. Moniales.

Ed neque ijs diutius immoramur, qui post Fridericum I. Imp. Imperio à Pontificibus nostris merito deiecti, vel ırbatissimis Germaniæ rebus, diuersis factionibus de rerum ımma contendentes, Imperij insignia aliquamdiu ad vsque Rudolphum I. vsurparunt, quorum plerique, & inter maiores ac posteros cognatosque, felicissimos quosque Monachos habuere, contenti demonstrasse, de omni familia Cæsarum, ita Sanctissimum Archiducem nostrum BENEDICTVM meruisse, vt etiam inuiti nonnulli immeritique agnoscerent, optimi autem quiuis acceptum referre tantum gratiæ non putarent, nisi vel liberos, vel se ipsos, pulcherrima grati animi significatione, tanto Imperij Imperatorumque Tutelari deuouerent, donec calcati olim ab ipso fasces, legitimis eiusdem hæredibus ac successoribus, in Rudolpho sero Nepote, primo Austriæ, & Aniciæ gentis tanto post Cæsare redderentur.

Plerique Cæsares præcipua sui generis decora à nostris habent.

Plurimi vel liberos, vel seipsos S. P. N. debent.

Qui quidem Rudolphus insolenti beatitate felix, cum præter omnium expectationem, sola, de qua superius, Farensi Sacra Virgine præuidente ac prædicente, omnium, præterquam Othacari Bohemi, Electorum suffragijs Imperator acclamaretur, eodemque conuentu, tres filias Palatino, Saxoni, Brandeburgio, dato in rem præsentem pignore spospondisset, lectissimosque Septemuirorum adeo memorabili exemplo, frendente Bohemiæ Rege, sibi obstrinxisset, quartam Euphemiam, feliciorem quam si quarto Electorum nuptam, DEO, & Sanctissimo Patriarchæ nostro deuouit, quam in Tulnensi Virginū olim nostrarum (quod ante memorabilem illam victi cæsiq; Othacari hostis victoriam, ea ipsa conditione DEO vouerat) Cœnobio obtulit, oblationis charissimæ, Trophæi, & ominis loco futuram, & Regis tam potentis prodigiosè triumphati, & Regni opulentissimi, Anicium Leonem argenteum scuto purpureo propria BENEDICTI insignia præferentis, ad suos hæreditario iure deuoluendi.

Rudolphi I. insolens beatitas.

Tres filias tribus electoribus spō det.

Quartā S. P. N. offert.

Victoria eius prodigiosa. Omen.

Sed

I. Aquilæ Rom. penna.

Sed iam primam, & supremam AQVILAE nostrę pennam, in qua robur alæ dextræ præcipuum, quatuor insigne scutis, Romani nimirum Pontificis, & trium è Septemuiris Archipræsulum, dispiciamus, & quantum quodque ex his, à Sanctissimi Imperatoris nostri sacra familia ornamenti, quantum emolumenti Imperium acceperit, distinctè, at breuiter describamus.

PRIMA AQVILÆ ROMANI IMPERII PENNA.

PAPA. MENZ. COLN. TRIER.

Quot Roma ni Pontifices nostri.

INitium à summo Orbis, Vrbis, & Imperij capite, Romano Pontifice, faciamus, paucosque nostrorum, qui grandi numero septingentis ferè annis Petri insederunt Cathedram (centum triginta, & vnum; plerosque è Romanis, Lateranensi, Vaticanis tribus, alijsque Vrbis Cœnobijs assumptos, numerat ex Ordine nostro Caietanus) obiter attingamus.

Veteres Monachi.

Habuit iam plurima, ante natalem Sanctissimi Legislatoris nostri annum, Occidens Monasteria, Monachosque diuersis Regulis, suomet nonnullos ductu arbitrioque viuentes, quorum plurimi, Hiberniam, Scotiam, Galliam, Italiam inprimis orbisque nostri caput Romam incoluere. Eorum omnium Reformator Institutorque publicis Ecclesiæ tabulis BENEDICTVS appellari ac celebrari meruit, *MVLTORVM MILLIVM PERFECTORVM MONACHORVM*, in viuis etiamnum agens, *PATER EFFECTVS*, cuius ob admirabilem vitæ sanctitatem, & stupendam prodigiorum multitudinem ac magnitudinem, cum toto orbe fama percrebresceret, Romam latere non potuit, ad quam à diuersis Pontificibus euocatus, plurima eorumdem opera cum noua instituens, tum vetera Monasteria reformans, Hormisda Papa, Lateranensi Archisterio septennium præsedit, ab eodem Sanctissimo Pontifice summa in veneratione habitus, cuius & Felicis, nec non Bonifacij II. temporibus, tantis incrementis, Magni Patriarchæ nostri Institutum

Restitutor Occidentis S.P. N.

S. Faustus in vita S. Mauri abb.

Fama S. P. N.

Lateranēsi Monasterio præest.

Roma tota Monachalis.

tum inualuit, *vt Romæ tunc*, verba Raulini celeberrimi Parisiensium Doctoris sunt, *vigente cælestis patriæ desiderio, omnes Ecclesiæ Titulatæ, atque Collegiatæ, Monachales factæ sint*. E quibus, ingens deinceps Romanorum Pontificum copia, è Lateranensi maximè cohors tota, summo cum vniuersæ Ecclesiæ emolumento prodijt, qui diuersissimis sæculis, grauissimis ijsdemque æternis meritis, & vrbem, & orbem, ac Romanum inprimis Imperium, sibi, sanctissimoque Ordini obstrinxerunt.

Lateranense Monasterium promptuarium Pont. Romanorum.

SANCTVS SILVERIVS PAPA, ET MONACHVS.

PRimus ex eorum numero, Andrea Bambergensi teste, fuit Sanctus Siluerius, S. Hormisdæ, de quo paulo ante superius, ex legitimo matrimonio ante Pontificatum filius, superstite etiamnum Sanctissimo Archiduce nostro, ad illud supremi in terris honoris fastigium euectus, dignus vtroque patre filius, ab illo-ne huic primum, pro singulari affectione atque oblatione commendatus, an motu proprio, incertum, tanti Patris factus, æternum Ordini, vrbi, orbi, & Romano cumprimis Imperio ac nomini decus conciliauit, quando egregia vitæ sanctitate, & Martyrij inprimis suprema gloria tantæ dignitatis functionem exornauit. Cum enim Anthimum Episcopum Hæreticum, ab Agapito antecessore depositum, restituere nollet, agente impia Theodora Augusta à Bellisario in exilium pulsus est, ad insulam Pontiam; sed reclamantibus totius orbis Episcopis, & ipso iubente Imperatore restituendus, cum in reditu ad insulam Palmariam deduceretur, à duobus Vigilij ministris detẽtus, ibidem ærumnis, & inedia confectus in custodia decessit, Deo Vicarij sui iniurias grauiter vlciscente, Bellisariumque è summo fortunę fastigio ad incitas redigente, sed & Hunnis quamprimum Europam vniuersam vastantibus, quibus inuictissimus antea Imperator Iustinianus, tributum pendere coactus est. Siluerius autem noster Sanctorum albo adscriptus, Martyris Pontificis titulo toto orbe celebratur.

S. Siluerius PP. & Mon.

S. P. N. discipulus.

Constantia eius.

Martyrio coronatur.

SANCTVS BENEDICTVS PRIMVS.

S. Benedictus prim⁹.

SAnctus BENEDICTVS eo nomine Primus, Augustissimum, & verè BENEDICTVM Sanctissimi patris sui nomen benè retulit, primumque ad Pontificiæ Summæ Maiestatis solium euexit, à multis deinceps eadem appellatione successoribus repetitum. Meruit cum de Ecclesia vniuersa plurimum, tum de Principe Imperij Prouincia Italia, & capite præcipuè eiusdem Roma, afflictissimis temporibus prodiga in omnes, pauperes maximè, pietate, enixissimis precibus, Tiberium, cui charissimus erat, Imperatorem, euincens, vt frumento ingentibus impensis atque labore ex Ægypto comportato, periturum fame regnum, aleret atque seruaret.

Fame Italiā liberat.

Arianā Hæresim profligat.

Fuit & illud ingens BENEDICTI Nostri meritum, multis mortalium millibus, amplissimisque Prouincijs ab interitu reuocatis, cum Ariana eousque hæresi late dominante, & nouis incrementis adolescente, vigilantissimus Pontifex, alios periculo, plurimos peste ea iam infectos liberaret. Decessit vir Sanctissimus A. C. 579. ab ipsis etiam Græcis, licet Romanus patria, plurimum laudatus, *qui, Cæsari charum, acceptum DEO, gratumque omnibus ciuibus suis, celebrarunt.*

Ab ipsis Græcis laudatur.

SANCTVS PELAGIVS SECVNDVS.

S. Pelagius II.

SAnctus Pelagius II. Romanus patria, & Monachatu, proximus BENEDICTO successit, & multo nomine de orbe meritus, ab eo inprimis, quod maximum Ecclesiæ Doctorem Sanctum Gregorium nostrum Cœnobio extraxerit, grauissimisque ōi bis negotijs adhibuerit, commendatus est. Schismaticis insuper trium Capitulorum illusoribus profligatis felicissimus, & summa Cathedra, dignissima vitæ sanctitate, exornata laudatissimus, sancto fine viuis excessit A. C. 590.

S. Gregoriū Magnum promouet. Schismaticos triumphat.

SAN-

SANCTVS GREGORIVS MAGNVS.

S. Gregorius Magnus. Duplici nomine S. P. N. debitus.

SAnctus Gregorius I. cognomento Magnus, duplici nomine sanguinis nimirum iure proximo; & adoptionis siue professionis, Sanctissimi Patriarchæ nostri proprius, ab eodem matri Siluiæ Octauiæ, cum ad Sanctissimum cognatum inuiseret, maternis etiamnum clausus visceribus, quantus futurus erat prænunciatus fuit. Ex Monacho, & Abbate S. Andreæ in Vrbe, S. R. E. Cardinalis electus, grauissimis statim meritis de Ecclesia meruit, Constantinopolimque ad Tiberium Cæsarem Legatus Eutichium Patriarcham Hæreticum ita conuicit, vt eius librum Imperator in ignem iniiceret, & Eutichius paulo post morbo confectus resipisceret, suumque ipse errorem damnaret.

Ante Pontificatũ meretur plurimum.

Mirè eligitur.

Summo omnium consensu Pontifex salutatus, cum vrbe profugeret, columnæ igneæ prodigioso indicio proditus, & retractus, non Imperij solum vtriusque Prouincijs, sed barbaris etiam extremi orbis Regnis, mirè profuit. Et primo quidem Pontificatus anno, de ipso Romani Imperij capite Roma meritissimus, pestilentissimam ab vrbe luem prodigiosè auertit, cum Litanijs, æterno vniuersi bono, primum compositis atque institutis, & deportata solemni, vt vocant in processione DEI parentis imagine, adeo superos flexit, vt percutiens Angelus spectabili forma visus, iussus sit ensem vagina recondere, cœlestibus genijs, admiranda musica, iucundissimam illam Antiphonam *REGINA CAELI* primum occinentibus, Gregorioque cum vniuerso populo in genua prouoluto, & supremum imponente versum: *Ora pro nobis DEVM*, & cœleste illud canticum in Ecclesiam statim vniuersam introducente. Proximum, de propiore Imperij Regno, Italia meritum fuit, quam comportato vndique frumento, eleemosynis quasi infinitis in pauperes distributis (quos inter, sola in vrbe tria Monialium millia aluit) extrema fame Italiam liberauit. Tum ad reliquas totius Imperij orbisque conuersus prouincias: Schismaticos Ecclesiæ Romanæ conciliauit; Episcopis per omnes vniuersi angulos, incredibili penè cura ac vigilantia intendit, & nequid offen-

Primũ eius de Imperij capite meritum.

Processiones instituit.

Secunda de Italia meritum.

Schismaticos reconciliat.

Sollicitudo de Pastorib⁹ Ecclesiæ. diculi ex negligentia eorum grex Christianus pateretur diligentissimè cauit. Rursum nouo merito Africam demeruit, in qua Donatistas, & Schismaticos mira dexteritate oppressit. In Hibernia etiam exerrantes populos, ad sinum S. Matris Ecclesiæ collegit. Tum Ioannem Rauennatem Episcopum, ac dein Dalmatiæ Pontifices correxit. *Hæreticorũ fulmen.* Mox ad Hæreses profligandas conuersus, ingenti passim fructu, in Sicilia inprimis laborauit; ex qua Manichæos expulit; Barbaricinos autem Gentiles, nec non Iudæos mira arte ac charitate, ad Sacra Christiana pellexit.

Orienti cõsulit. Postea Ioannis Constantinopolitani Patriarchæ audaciam, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi nomen sibi arrogantis, felicissimè fregit. Tum Hispaniæ Regnis consuluit, Vrbis templa, aliaque passim à Gotthis vastata restituit, atque exornauit. *Angliæ itẽ.* Missis in Angliam Augustino nostro, & socijs Edilbertum Regem cum omni familia conuertit, Ecclesias construxit, & per Regnum vniuersum Episcopatus, & Scholas publicas instituit. Agilulphum Longobardorum Regem, Vrbi atque Italiæ imminentem auertit. *Istriæ.* Schismaticos in partibus Istriæ ad vnitatem reduxit. Et quamuis lecto, ob afflictissimam valetudinem perpetuo ferè decumbere cogeretur, vniuersum tamen terrarum orbem litteris, velut Aquila pennis, circumuolando lustrauit. *Galliæ, Germaniæ.* Gallias simoniaca labe purgauit; Germanias missis eo discipulis iuuit. Concilia, quibus Ecclesiæ vtilius, esse & excogitari nil potest, diuersis passim Regnis in Hispania, Africa, Numidia, &c. coegit, & lectissimæ sanctitatis viros, ijsdem suo nomine præesse voluit. *Arianismũ pellit.* Arianos dein in Hispania, Agnoitas Alexandriæ &c. validissimis auctoritatibus, & importunis Legationibus compressit. Campaniæ rusticos à paganizandi ritu auertit. Ligures, Venetos, Hiberos à schismate vindicauit; *Romanum Imperium demeretur.* Romanum denique Imperium à grauissima bellorum clade, pace inter Imperatorem, & Agilulphum Regem composita, eripuit; Agilulpho ipso, ab Arianismo ad Romanæ Ecclesiæ gremium aggregato. Liceat & merita, quibus vniuersa etiamnum gaudet posteritas, paucis enumerare.

Merita vniuersalia. Debent Ecclesia, & sæcula deinceps vniuersa, Gregorio: Ordinationem Breuiarij, vt vocamus, Romani, & omne ferè

Officium

Officium Ecclesiasticum, stylo elegantiore, & compendiosiore renouatum, & compositum. Debent præterea Missæ Sacrificium ita auctum atque ordinatum, vt alter eius quasi Auctor habeatur. Debent eidem Antiphonarium ab ipso compositum, & tot sæculis, tanta cum fidelium recreatione, & fructu decantatum. Debent eidem Officia Festorum plurium, Circumcisionis, Commemorationis S. Pauli, & plerorumque Sanctorum Romanorum Pontificum, Dedicationis Ecclesiæ atque aliorum, summo, ipsorum etiam Cælitum, applausu, tanto temporum decursu, ab vniuersis fidelibus, tam vtiliter, tamque religiosè celebratorum. Vt de Orationibus Ecclesiæ plerisque, hymnis, atq; alijs ab eodem compositis nihil dicamus.

Instituta præcipua.

Ingens cumulus meritorum.

Debetur eidem insuper solemnis Institutio Ieiunij Aduentus Dominici, diei Cinerum, lotionis pedum die Iouis Sancto, Rogationum, Stationum, siue Indulgentiarum, &c. Vt nemo vnquam meritorum Gregorij nostri multitudinem numerare, magnitudinem æstimare valeat, & commendare. Quem proin haud immerito Angliæ Rex Edilbertus: *IMMENSVM THESAVRVM; qui generis humani maximam partem cælo lucrifecerit*, appellarit. Reliquit ingenij pulcherrima, & æterna monimenta, quæ dum moliretur Spiritus Sanctus candidissimæ columbæ specie, in aurem ipsi dictare visus est; fuit enim, vti de viuente etiamnum asseruit Magnus Isidorus noster Hispalensium Pontifex: *Organum SPIRITVS SANCTI, per cuius gratiam tantum scientiæ lumine præditus euasit, vt non præsentium modo temporum, quisquam Doctorum, sed nec in præteritis ipsi par fuerit vnquam*. Et Sanctus Ildephonsus noster: *Nihil ei simile antiquitatem demonstrasse: Nam sanctitate*, inquit, *vicit Antonium, eloquentia Cyprianum, Augustinum sapientia, & alijs virtutibus excelluit, &c.*

Insigne elogium.

Item aliud maximè obseruandū.

Quem proin haud immerito Synodus Toletana VIII. cunctis Ecclesiæ Doctoribus censuit præferendum. Qui denique miraculorum gloria Illustrissimus Pontificatus anno 13. mense 6. die 10. ad præmia æterna euocatus, ab ipsis etiam Græcis, ob immortalia merita, solemni quotannis memoria celebratur.

Cunctis Ecclesiæ Doctoribus præfertur.

SANCTVS BONIFACIVS IV. PAPA.

S. Bonifaci' IV. Papa.

Bonifacius IV. Ioannis Medici filius, Valeriensis Marsus, ex Monacho S. Sebastiani in Vrbe Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Cardinale ad Summum Pontificij supremi culmen euectus, de Ecclesia vniuersa præcipuè meruit, Concilijs inprimis pluribus summa cum orbis Christiani vtilitate celebratis, & adhibitis ad curam Ecclesiarum perfectissimis quibusque, & excoctissimis in Cœnobio Monachis, quorum industria, primæuus fidei zelus ac feruor in fidelibus resuscitatus, iucundissimo cælitibus spectaculo mirè exarsit. Promouit idem Bonifacius, pro eximio suo in Augustissimam Dei matrem studio, eiusdem in terris cultum, & celeberrimum illud Deorum omnium templum, vulgo Pantheon vocatum, eiectis inde prophanis statuis, vniuersisque stultæ gentilitatis reliquijs, insigni celebritate, Deiparae honori nuncupans, S. Mariae ad Martyres appellauit, ad quod ipsa Dedicationis die, viginti & octo onustis curribus, plurima Sanctorum Martyrum corpora transtulit, 13. Martij A. C. 610. tanto deinceps ad anniuersariam Dedicationis memoriam concursu populorum facto, vt postea S. Gregorius noster, eo nomine IV. Dedicationis memoriam, ad Kal. Nouemb. quibus maior frugum copia in Vrbe esset, transferre coactus sit, cum ob peregrinorum copiam, ingens alias fames Vrbem flagellaret. Obijt Pontifex meritissimus A. C. 613. ob eximiam vitæ sanctitatem inter Diuos relatus.

Cõcilia plura celebrat.

Honorem Deiparæ promouet.

S. Mariæ ad Martyres dedicat.

Ingẽs populorũ concursus ad festũ Deiparæ.

BONIFACIVS V. PAPA.

Bonifacius V. Papa.

Bonifacius V. ex Monacho eiusdem Congregationis Pontifex Maximus, pari sanctitate Cathedram Principis Apostolorum exornauit, aliaque inter præstantissima merita, honori seruorum Christi Monachorum Clericorumque diligentissimè consuluit, & quod maximi referre putaret, si pastores suos fideles suspicerent, pronos autem ad Hæresim, qui minus Clerum æstimarent, eosdem maximis prærogatiuis ornatos emi-

Quãti referat Clerum æstimari.

nere

nere voluit, maximasque immunitates Ecclesijs concessit, ita vt ad eas confugientes extrahi nequirent. Mandauit idem, vt quouis loco sacrilegi Anathematis fulmine ferirentur. Propagandæ Fidei, multa industria institit, & Apostolico zelo, per legatos dignissimos Gentiles ad gremium S. Matris Ecclesiæ inuitauit. Quibus, alijsque præclarè gestis, spectatissimus, postquam ordinationes duas mense Decembri fecisset, Sancto fine decessit A. C. 622.

Vir verè Apostolicus.

SANCTVS ADEODATVS.

Sanctus Adeodatus, natione Italus, Iouiani filius, patria Romanus, ex Monacho S. Erasmi in monte Cælio Ordinis nostri, Pontifex Maximus Heraclio Imperante electus, admirabili vitæ sanctitate Vniuersæ Ecclesiæ, & Pontificij honoris Cathedræ decus æternum addidit; cuius tanti viri res gestas perijsse, haud immerito diligentissimus Historiæ Ecclesiasticæ scriptor Baronius lamentatur. Cæterum vniuersis gratissimum extitisse, Anastasius commemorat, &, *in tanta*, inquit, *magnitudine fuit mitissimus ac benignissimus, vt omnem hominem, à maiore vsque ad minimum, libenter susciperet. Peregrinis compassionem exhibuit, vt etiam vnusquisque, quod postulauit sine dubio impetraret, &c.* Mortuus & cęlo receptus est A. C. 676. cuius mortem elementa lugere visa sunt, exortis, qualia nulla hominum ætas meminisset, pluuijs, & tempestate.

S. Adeodatus.

Eius acta periere.

Laudes ei⁹.

Elementa ipsa lugent.

SANCTO AGATHO PONTIFEX MAXIMVS.

Sanctus Agatho Pannonij Amonis filius, Aprutinus, ex Monacho S. Hermetis Panhormi, Congregationis Siculæ, Pontifex Maximus, primo statim Pontificatus anno, de Ecclesia vniuersa, Pontificia inprimis Sede, supra maxima quorumuis merita, præclarissimè meruit, quando datis ad Imperatorem litteris, pessimam illam consuetudinem sustulit, qua pro confirmatio-

S. Agatho Pont. Max.

Pontifices Rom. omnes demeretur. matione Romani Pontificis, Imperatori Constantinopolitano; summa pecuniaria soluebatur. Tanta ab indignitate vindicati, æternum Agathoni nostro debent Romani omnes Pontifices, longè pluribus nominibus eidem aliàs plurimum obligati.

Plurimas Synodos celebrat. Illo orbem terrarum vniuersum sibi obstrictissimum reddidit, cum diuersissimis toto Occidente Concilijs, in Anglia, Gallia, Italia, Hispania congregatis, ad pestilentissimam Monothelitarum Hæresim proscribendam tantopere incubuit, contra quam denique Sextam Generalem Synodum, Constantinopolitanam III. solemnissimè indixit, tantamque pestem felicissimè profligauit. *Monotheli-tas obterit.* Cuius tantæ rei insignis memoria depicta, atque his ipsis verbis inscripta visitur in Bibliotheca Vaticana, quinto interfenestrio ad dextram:

Inscriptio Vatic. *SANCTO AGATHONE PAPA, CONSTANTINO POGONATO IMP. MONOTHELITAE HAERETICI, VNAM TANTVM IN CHRISTO VOLVNTATEM DOCENTES, EXPLODVNTVR.*

Vt amplius ad commendationem Agathonis nostri excogitari non posse videatur, quam eius meritis deberi CONCILIVM GENERALE SEXTVM, ad Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitana duo adiectum, *Quantū meritū istud?* quibus SVMMA FIDEI CHRISTIANAE FVNDATA EST. Vt de alijs eius meritis nihil dicamus, viris, maximè, Apostolicis ad conuersionem gentium destinatis, quos inter magnus ille Vvilfridus noster de Germania meritissimus in Frisiorum inprimis conuersione strenuè desudans, multa eorum millia ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ congregauit. *Fidem propagat S. Agatho.* Exuit mortalitatem Sanctissimus Pontifex noster Agatho A. C. 682. ob egregiam vitæ sanctitatem inter Diuos relatus, & miraculorum gloria à Numine illustratus, cuius illud inprimis viuentis celebratur, cum occurrentem sibi leprosum verè Apostolico ac paterno affectu exosculatus, solo eo attactu, prodigiosè curauit, & incolumem dimisit. *Eximium miraculū.*

SAN-

SANCTVS LEO SECVNDVS PAPA.

SAnctus Leo II. natione Siculus Mylensis, Congregationis nostræ Siculæ Sanctissimus Monachus, humanis, & Diuinis litteris, Græcè, & Latinè doctus, Musicis etiam eruditus fuit, quo nomine æternum de Ecclesia meruit, hymnosque, & Psalmos, ad concentum, & modos meliores reduxit.

S. Leo II. Papa.

Idem acta sextæ Synodi Constantinop. comprobauit, & in Latinum transtulit. Superbiam præterea Antistitum Rauennatum fregit, qui Exarchorum freti potentia, Sedi Apostolicæ obedire detrectabant. Idem, ne ad Archiepiscopatum assumptus pro vsu Pallij aliorumque officiorum, quidquam Ecclesiæ persolueret, sanctè, & præclarè instituit, grandique, & ea perpetuo ab Hæreticis aspersa, auaritiæ nota curiam Romanam liberauit, & scandalum orbis longè maximum sustulit. Ipse etiam, vt in celebratione PAX populo daretur, sanxit, multaque alia breui Pontificatu præclarissimè gessit, ita quidem, vt ob eorumdem multitudinem atque præstantiam, longè quam præfuerat diutius, Ecclesiæ vniuersæ præstitisse videatur. Paupertatis Monachicæ summo in honore numquam oblitus, vt contemptor opum præcipuus fuit, sic liberalissimè easdem distribuens, verus pauperum pater extitit, neque pecunia solum, sed opera, labore, & consilijs, egentium viduarum, & pupillorum, inopiam ac solitudinem subleuauit. Eius mortem adeo luxerunt vniuersi, vt communibus lachrymis, communem omnium parentem mortuum, effusissimè testarentur, cuius festiuam memoriam, Semiduplicis, vt vocamus, officio, pro tanti viri meritis, Ecclesia vniuersa concelebrat.

Merita eius.

Grandi infamia & pe[illegible] *sic Curiam Rom. liberat.*

Diutius præfuisse ultimus ob meritorũ multarum.

Pater pauperum

Anniuersaria solẽnis eius memoria.

SANCTVS BENEDICTVS II. PAPA.

SAnctus Benedictus II. Romæ ab infantia Monasticæ vitæ consecratus, doctrina, & exercitatione rerum Diuinarum in tantum excelluit, *vt obinde ADMIRABILIS, & singularis ab omnibus haberetur*. Pontifex creatus, multis modis Ecclesiæ vniuer-

S. Benedict. II Papa.

Admirabilis titulum meretur.

vniuersæ consuluit, quem pro eximia vitæ sanctitate Constantinus Imperator, plurimum suspexit, & deuotissimè coluit, memorabili deuotionis exemplo capillos filiorum Iustiniani, & Heraclij Cæsarum ad eumdem dirigens, quo, solemne veteribus erat adoptionem consignare, cum per capillorum exhibitionem quis alicui in filium offerretur, & qui eos accepisset, Patris nomen consequeretur. Potuit plurimum apud eundem Imperatorem Benedictus noster, & grandi atque æterno merito, sicut S. Agatho, de quo supra, pecuniariam summam ab Electo Rom. Pont. Imperatori pendendam sustulit, sic & ipse ne deinceps in electione Pontificis, Imperatoris assensus expectaretur impetrauit, pristinamque Ecclesiæ libertatem recuperauit. Mortuus est altero statim Pontificatus anno tantus Pontifex, *cuius eminens virtus*, inquit Hieron. Platus, *ostensa est potius Ecclesiæ, quam data*; *sublatus cum omnium dolore ac lachrymis* A. C. 685.

Maximi fit à Cæsare.

Adoptiuus Pater Imperatores.

Ingens & æternū meritum.

SANCTVS SERGIVS PRIMVS PONT. MAX.

S. Sergius I. Pont. Max.

Sanctus Sergius Primus, Panhormitanus Monachus, vir doctissimus æquè ac Sanctissimus, Diuino Spiritu Clerum populumque permouente Summus Orbis Pastor electus, prima statim inaugurationis die, mirè de Schismaticis triumphauit, grandique peste Romam, & orbem vniuersum liberauit, cum Theodorus, vno consensu Cleri ac populi permotus, tantique Pontificis reuerentia captus, ipsum illico Papam salutaret, & adoraret; sed & Paschalis, inuocato Exarchi auxilio nihil prorsus efficeret, imo Exarchus cum exercitu Sergium deturbaturus adueniens, repentè mutatus, & ipse Pastorem agnosceret, & coleret. Neque minus ad commendationem Sergij nostri, quod tanta constantia sancitis Pseudo-Concilij Constantinopolitani se opposuit, ipsique Imperatori id primum enixè petenti, dein extorquere paranti, adeo imperterritus obstitit, vt prius mortem oppetere, quam de auctoritate Pontificia, & iure Ecclesiæ cedere statueret. Cuius æterna admiratione dignissima,

Schismatici statim electū adorāt.

Exarchus mirè mutatus.

Constantia Sergij.

ſima, in atrociſſimum hoſtem pietas paulo poſt enituit, cum protoſpatarium Imperatoris eiuſdem ad ſe capiendum miſſum, à furore militum populique, Patrem, & Paſtorem ſuum impenſiſſimè colentium, & propugnantium, in lectulo ſuo, ne occideretur, occultauit, fouit, & incolumem poſtea cum occaſione remiſit. Exuit mortale hoc corpus magnus reuera Pontifex A.C. 701. ob inſignia ſanctiſſimæ vitæ merita inter Diuos relatus, & Martyrologio Romano adſcriptus.

Admirabilis in hoſtē pietas.

Inter Diuos refertur.

IOANNES VI. PAPA.

IOannes VI. Paterni ſiue Petronij filius, Græcus quidem patria, ſed minimè vita, profeſſione Monachus, meritis maximus, ea inter grandi periculo, imo certo exitio Italiam liberauit, quando populum contra Exarchum furentem compeſcens, Imperatorum Orientis indignationem auertit, multiſque modis Occidenti conſuluit. Idem Giſulphum Principem, comminata Omnipotentis ira atque vindicta, à Campaniæ, & Hernicorum prouinciæ inuaſione non ſolum remouit, verum adeo percelluit, vt omnia, quæ iam ceperat oppida reſtitueret, & vnde venerat, obedientiſſimè ſe reciperet. Meruit etiam Ioannes effuſiſſima ſua in omnes liberalitate, captiuis maximè vniuerſis per totum Samnium conquiſitis, & grandi pretio redemptis.

Ioannes VI. Papa.

Italiam liberat.

Hoſtem vt compeſcat.

Inſignis liberalitas.

Sancti Pauli Cœnobium noſtrum, & Baſilicam extra vrbem, ſummè coluit, exornauit, & locupletauit, & poſt multa alia præclarè geſta, feliciſſimo, & qualem ſemper optauerat, *facili exitu*, vitam hanc clauſit; quem nonnulli (incertum, quo genere Martyrij) Martyrem occubuiſſe contendunt. A. C. 705.

Martyrio coronatū nonnulli volūt.

SANCTVS GREGORIVS II. PAPA.

SAnctus Gregorius II. Primi, & Magni Gregorij, profeſſione, & ſanctitate, nec non meritis digniſſimè æmulus

S. Gregorius II. Papa

ex humili Monacho Pontifex verè maximus, etiam ante collatum summæ potestatis honorem, de Ecclesia meritissimus, legatione Constantinopolim suscepta, admirabili triumpho de Græcis, ac Schismaticis triumphauit, inque ipsa facie Orientalis Ecclesiæ eorum errores Summo omnium cum stupore manifestos fecit, ac confutauit. Vix adito Pontificatu, de Vrbe illico atque orbe mereri studuit, bonisque Ecclesiæ è hostium manibus vindicatis, muros Romæ restituit, & Ecclesias restaurauit. Mox tribus Romæ Concilijs coactis, pijssimum SS. Imaginum cultum religiosissimè asseruit, & contra Orientales acerrimè defendit. Leonem Imperatorem Iconomachum, constantissimè corripuit, exiliumque ac fortunam Martini Papæ minitanti, his ipsis, alia inter, verbis rescripsit: *Atque vtinam DEI munere nobis contingat, vt per Martini viam incedamus, tametsi ob plebis vtilitatem viuere volumus, & superuiuere: &c. Verumtamen per Dominum te obsecramus, à iuuenilibus, & puerilibus factis auertere &c.*

Mirus eius triumphus.

Merita de Vrbe.

Imo de orbe.

Miranda eius constantia.

Luitprandum Longobardorum Regem, qui suadente Leone in necem ipsius cum Exarcho conspirauerat,& iam cum exercitu in campo Neronis consederat, pari, qua Leo Magnus Sanctissimus Pontifex Attilæ occurrerat libertate, eidem vltro obuius, adeo flexit commouitque, vt ad eius se pedes non solum prosterneret, & neminem à se lædendum promitteret, verum, quæ indutus fuerat arma atque ornamenta, ante corpus Apostoli poneret, & Exarcho veniam rogaret, eam non solùm facilè concedente Gregorio, sed iuratissimum hostem auxiliaribus etiam copijs iuuante.

Alter Leo Magnus.

Hostes supplices.

Contumacem exin Isauricum Imp. & Hæreticum Anathemate execratus, Romanos Italosque (quos eousque in officio pessimè de se meriti Cæsaris continuerat) ab eius obedientia absoluit, & ab eodem recedere fecit. Multa præclarè instituit, eaque inter, illicita cumprimis toto orbe coniugia proscripsit. Obijt A.C. 731. cuius Sanctissimum nomen, anniuersariæ memoriæ cultu in Ecclesia perseuerat.

Imperator Italia, & Occidentis Imperio deijcit.

Eius si scripta extarent, ait Baronius, *resque ab eo gestæ diligentius scriptis mandatæ essent, Gregorio Magno haud minorem æstimares*. Vt huius quoque tanta MAGNITVDINE PONTIFICIS,

Insigne elogium.

TIFICIS nomine, Imperium, Ordo noster, imo Ecclesia orbisq; vniuersus, haud immeritò ęternum glorientur; Meritis in eiusdẽ nominis Pontificibus, quasi cum nomine transfusis ac perennantibus, vt postea videbimus.

Alter Gregorius Magn.

SANCTVS GREGORIVS III. PAPA.

SAnctus Gregorius, eo nomine Tertius, in ipso Summo orbis Pontificatu, Monachum numquam exuit, quin & paupertatem Monachicam, vt in ipso Cœnobio sanctè coluit, amplissimas autem opes, in solos Christi pauperes, orphanos, viduas, & Ecclesias transfudit. Is non de Imperio solùm, sed orbe vniuerso præclarè meruit, & plurimis coactis Concilijs, Hæreses, & pessimas quasque consuetudines per Regna diuersa sustulit.

S. Gregorius III. Papa.

Merita grauissima.

Germaniam inprimis nostram multis modis iuuit, cuius lectissimum Apostolum S. Bonifacium nostrum Sedis Apostolicæ Legatum constituit, eiusque conatus plurimum promouit, & Concilio Germanico præesse iussit. Idem potentissimum Germaniæ Principem Carolum Martellum Brabantiæ Ducem, primus *Christianissimi* perillustri titulo ornauit, qui ab illo, & filijs ad Thronum postea Regni Gallici summa cum Germaniæ gloria subuectis, Regibus ijsdem ad hanc vsque diem perpetuus mansit. Idem Sanctarum imaginum, & Reliquiarum cultum miro zelo propugnauit, & asseruit, & DEIPARAE cumprimis, cui erat addictissimus, venerationem, & honorem commendauit. Denique de cœlo ac hominibus bene meritus, neque vlla ex parte Gregorio II. minor, primo virtute ac meritis proximus, collachrymantibus vniuersis tanquam communi patre orbatis sancto fine decessit A.C. 741. pro eximia sanctitate, & ipse inter Sanctos adscriptus.

Vnde Titulus Regis Christianissimi?

Sanctarum Imaginum cultum promouet.

SANCTVS ZACHARIAS PAPA.

SAnctus Zacharias, ex absolutissimæ perfectionis Monacho absolutissimus, & verè Sanctissimus Pontifex haud impari

S. Zacharias Papa.

virtute ac gloria, quam prædecessor Gregorius Pontificatum gessit, *cui*, inquit Anastasius, *tantam gratiam contulit omnipotens Dominus, vt etiam pro salute populi Rom. suam ponere animam non dubitaret*. Euicit, vix adito Pontificatu Luitprandi Longobardorum Regis animum, adeo potenter, vt Sancti viri admonitionibus, quatuor, quas iam occupauerat, ciuitates reddere promiserit; quod cum differret, ipsum Interamne agentem conueniens Zacharias, non eas solum impetrauit, sed & Sabinense S. Petri patrimonium, quod triginta ante annos ablatum fuerat, insuper Narniense, Auximanum, Anconitanum, vt Principi Apostolorum redderet effecit; tanta Regis in ipsum propensione, vt captiuos etiam omnes diuersarum prouinciarum ipsi donauerit: à quo etiam pacem, & quietem ac libertatem Italiæ æterno cum merito impetrauit. Dehinc ad alias etiam iuuandas prouincias conuersus, Germaniæ multis modis adfuit, eamque Diœcesium finibus distinxit, & Episcopatibus auxit atque excoluit.

Elogiũ insigne. *Mirè flectit barbarum Regem.* *Patrimoniũ S. Petri recuperat.* *Germaniã multis modis iuuat.*

Pipinum dein Brabantiæ Ducem, ad culmen Regni Gallici euexit, eademque opera, & Germanorum honori, & Galliæ vtilitati mirè consuluit. De Cleri populique Christiani disciplina, & moribus multa præclarè sanciuit, Basilicas plures collabentes restaurauit, Bibliothecam Vaticanam, æterna cum Ordinis gloria confecit, construxit atque instruxit, Sanctitate denique vitæ, Pontificiæ Cathedræ æternum decus addidit. Reliquit non pauca præclari ingenij monimenta, eaque inter S. P. N. BENEDICTI vitam Græco sermone conscripsit, eiusque Basilicam Casinensem præsentibus Archiepiscopis vndecim, Episcopis sexaginta octo solemnissimè dedicauit. Mortuus est A. C. 752.

Pipinũ Germanũ Principẽ Galliæ præficit. *Bibliothecã Vaticanam condit.* *Moritur 752.*

STEPHANVS II. PONTIFEX MAXIMVS.

STephanus II ex Monacho item creatus Pontifex, vir animi maximi, spei summæ, ostensus Ecclesiæ potius quam concessus, paucissimis diebus præfuit, ante consecrationem tantis fide-

Stephanus II. Pont. Max.

tis fidelium votis præreptus; quem licet nullo alio merito, quam quæ orbis sibi vniuersus promiserat, celebrari legamus, hoc nihilominus loco inserendum duximus, quod plurimi scriptores ipsum omnino prætereant.

SANCTVS STEPHANVS III. PAPA.

S. Stephan. III. Papa.

SAnctus Stephanus III. alijs secundus, Constantini filius Romanus ex Monacho Archisterij nostri Casinatis, & S. R. E. Diacono Cardinale, ad oues Christi pascendas assumptus, præclarissimè gestis orbi vniuerso innotuit, quibus se tamen Imperio præcipuè, Italiæ, & Germaniæ nostræ commendauit. Ea inter propagandæ apud Germanos Fidei præcipuè intendit, qua in functione Princeps Germanorum Apostolus S. Bonifacius noster profuso sanguine vitam impendit, & primum Stephani annum, tantæ purpuræ pretio gloriosissimum reddidit. Sed & Stephanus ipse pro Ecclesiæ libertate, & communi populorum ac Regni Italici salute, nequicquam deprecantibus Clero ac populo, & pastori suo metuentibus, omne vitæ discrimen vltro adijt, & iuratissimum Ecclesiæ hostem Aistulphum Longobardorum Regem vltro conuenit, apud quem cum nihil efficeret, ad sollicitandam apud Pipinum opem, ipse in Gallias contendit, vbi grauissimo oppressus morbo, ab ipsis Apostolorum Principibus ac S. Dionysio visitari, ac prodigiosè curari meruit. Illic Pipini filios Carolum, & Carolomannum Reges inunxit, Imperauitq; Gallis, ne quem deinceps Regem alium, nisi ea ex familia legerent. Pipini ope, vniuersum S. Petri Patrimonium recepit, & Italiæ Regnum graui à seruitute vindicauit. Eumdem Regem Casinum cum filijs deducens, ad Sanctissimi Patriarchæ nostri Benedicti tumulum supplices, magno Patri, plena feruoris oratione specialissimè commendauit.

De Germania meretur.

Pro libertate Ecclesiæ omne discrimen adit.

Prodigiosè sanatur.

Italiam liberat.

Concilio Romæ celebrato orbi vniuerso prouidit, & rara inprimis sanctitate, fidelium oculos perstringens, dignitati tantæ sedis, decus dignissimum addidit, grauissimorumque meritorum manipulis locuples, collachrymante vrbe, & orbe ad supera abijt A. C. 757.

Orbi vniuerso consulit.

SAN-

SANCTVS STEPHANVS IV.

S. Stephanus IV.

SAnctus Stephanus IV. alijs III. Olybrij Rosamirani filius, Syracusanus Siculus, ex Monacho S. Chrysogoni Romæ Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Cardinale T. S. Cæciliæ, Cathedræ S. Petri impositus, & ipse eamdem mirabili sanctitate impleuit. Obstrinxit, nostrorum more, grauissimis beneficijs vniuersam Rempubl. Christianam, celeberrimo inprimis Romæ Concilio celebrato, in quo maximis cum Italiæ, tum orbis totius malis occurrit, abrogatis ante omnia Constantini Pseudo-Pontificis Comitijs, omnibusque eius Conciliabuli actis combustis; & ne qua deinceps eiusmodi pestis Romanam Sedem inuaderet, sequuturis quoque sæculis cauens, statuit: ne quis imposterum, nisi Diaconus, aut Presbyter Cardinalis ad Pontificatum assumeretur: vt omnia Constantini acta irritentur, præter Baptisma, & Chrysma; vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, cæterique ab eo consecrati, iterum consecrarentur. Seuerissima item censura in Pseudo Pontificem eumdem animaduersum: *sicque* Baronio teste, *omnibus innaforibus Apostolicæ Sedis, occlusus est aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum esset à sacro diuisum &c.* Decessit, multis profligatis erroribus gloriosissimus Pontifex, & acerrimus Sacrarum Imaginum propugnator A. C. 772. cum admirabili vigilantia, & constantia inter impetuosissimos temporum fluctus, nauem Christi annos tres, menses quinque felicissimè gubernasset.

Concilium celebrat.

Schisma tollit.

Aeternum meritum.

Insigne elogium.

Propugnator SS Imaginum.

SANCTVS LEO TERTIVS PAPA.

S. Leo III. Papa.

SAnctus Leo III. Azzupij filius Romanus, ex Canonico, Ordinis nostri Monachus, ex Monacho, Presbyter Cardinalis Tit. S. Susannæ ad duas domos, mortuo Adriano primo, ipso obitus die, vno & miro omnium consensu Pontifex salutatus, postridiè, summa vniuersorum gratulatione acclamatione applausuque consecratus est.

Et hic est meritissimus ille supra omnes, de Germania, Italia,

lia, Gallia, vniuerso Occidente, omnique ad hanc vsque diem Imperatorum successione ac posteritate, Romanus Pontifex, qui frendentibus vsque hodie super tanta auctoritate potestateq; Petri Successoris inferis, iustissimis ex causis, Imperiũ ab Oriente in Occidentem transtulit; & immortali cum Germanorum gloria, Germanum genere atque origine, sed & educatione Principem, Carolum Pipini Brabantiæ nostræ Ducis, postea (opera item nostrorum) Galliarum Regis filium, Caroloburgi in Bauaria natum, Ingelheimij à Paulo Diacono educatum, Vvormatiæ in Regni prima Sede collocatum, inde à S. Stephano nostro, patris in Regno Galliarum successorem declaratum, & consecratum, Principem præclarissimè gestis, eruditione, pietate, magnanimitate incomparabilem, PRIMVM, restituto Occidenti Imperio, eiusdem IMPERATOREM ipsis Natalitijs Christi Ferijs, incredibili populorum omnium applausu A. C. 800. renunciauit, ac consecrauit, eiusque similiter filium Regno Italiæ donatum ea ipsa die solemniter inunxit. acclamante tertium populo vniuerso: CAROLO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PIISSIMO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Vt Leoni nostro Germania vniuersa, quin & Gallia Germano hoc Rege suo beatissima, Occidens vniuersus, sed & Respubl. Christiana toto orbe diffusa, debito inæstimabili atque æterno longè obstrictissima, primum ac Principem, suæ gloriæ ac felicitatis auctorem, nulla satis grati animi significatione, tantique depredicatione meriti, queant venerari.

Germaniā, Italiā, Galliam simul demeretur.

Inæstimabile meritum, & æternum.

Primus Occidētis Cæsar. patria Germanus. Carol⁹ Magnus salutatur Imp.

Acclamatio populorum.

Occidentis Princeps gloria à S. Leone.

Comprobauit dignum tanti honoris maiestate se se Carolus noster, & Leonem omni Aquila perspicaciorem, præsago mentis intuitu, absque comparatione omni aptissimum tanto muneri Principem destinasse, factis ostendit, ob ea, non occidenti solum mirandus, sed & Orienti metuendus, vt collata tanti tamque Sancti Pontificis auctoritate Carolo potestas, velut solidissima in petra consolidata, stupentibus insolentia facti Orientis Cæsaribus, inconuulsa in hanc vsque diem felicissimè subsisteret.

Primi Cæsaris virtus in Leonem redundans

Obstupescit Oriens.

Tan-

IMPERIVM ROM. ET GERMANICVM S. Leone III. debetur.

Atque meretur de honore Pontificio Leo.

TAntùm tamque immensum de Imperio nostro meruit Sanctus Leo noster, non minus de Sacratissimo illo Petri solio, summaque in terris meritus maiestate, cuius ipse suscepti honoris initia, generosissimo suo sanguine consecrauit, prodigiosissimo atque inaudito ad eam vsque diem miraculo, tantis rebus gerendis, Imperio atque Ecclesiæ, propensissima Numinis voluntate reseruatus.

Coniuratio sceleratorũ.

Agente siquidem inuidentiæ genio, tanti ab omnibus æstimatum tam Sanctum Pontificem, implacabili prosequuti odio Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, adscitis in societatem sceleris proscriptæ audaciæ nonnullis, eo deniq; amentiæ prouecti sunt, vt sacrilegis in Leonem iniectis manibus, in terram deiecto, & fœde conciso, oculos eruerent, & linguam radicitus præscinderent, idque in ipsa sacri muneris functione, inter expiatum per Litanias ritu solemni populum. Sed & Sacrilegia sacrilegijs cumulantes, Sanctissimo Pontifice rursus in Ecclesia ante Altare iuxta Confessionem tracto, tantum repetiuerunt flagitium, & semiuiuum ante Altare suo reuolutum in sanguine dimisere. Veriti autem, ne à fidelibus inde eriperetur, abstractum in Monasterio S. Erasmi in arcta custodia recluserunt. Stupenda res! Restitutus prodigiosissimè Ecclesiæ gementi atque afflictæ sanus, & incolumis, eadem nocte grandi prodigio oculos ac linguam recepit, ereptusque è custodia, & in Gallias ductus, honorificentissimè à Carolo exceptus, & digno comitatu pompaque reductus in vrbem, mansuetudine supra miraculum omne excelluit, dum, ne supplicio capitis aut mutilatione quauis in nocentissimos reos, parricidas tantos animaduerteret Carolus intercessit, & impetrauit.

Felix Imperij initium.

Fuit auspicatissimam translati in Occidentem à Leone Imperij initium, reperto Mantuæ inæstimabili Sacrosancti Dominici cruoris thesauro, quem eo iam olim secum ex Oriente transuexerat, Magnus Mantuanorum Apostolus Sanctus Longinus Centurio, à se ipso, grandi Mysterio, ex ipso IESV Christi Ser-

ſti Seruatoris in Cruce pendentis pectore, haſtæ cuſpide elicitum, quemque paulo ante quam, & ipſe ſuum profunderet dignisſimus Martyr, epigrammate in arculæ plumbo profundè exarato terræ crediderat, *DONEC VERIS CVLTORIBVS ſuis* (ipſiuſmet verba ſunt) *DEVS DIGNETVR REVELARE*. Patuit prodijtque cum NOVO IMPERIO ſummus Mundi Theſaurus, ſpeciale Legatum, Eccleſiæ Artha, ſuper cuius veritate, vt accuratè inquireret, rogatus à Carolo Leo, Mantuam ipſus conceſsit, ipſam veritatem agnouit, VERVM IESV CHRISTI SANGVINEM, adorauit, & adorandum vniuerſis fidelibus præcepit, tantique Theſauri reperti ac comprobati feliciſsimum nuncium, ipſus etiam ad nouum Imperatorem perferre voluit.

Ipſe S. Leo in veritatē inquirit.

Cuius poſtea immenſi Theſauri, ſumma Hiſtoriæ celebritate, irrefragabili Sanctiſsimorum teſtium veritate, Pontificum Rom. auctoritate, nec non miraculorum perpetuitate, probatiſsimi, partem tertiam, Leone IX. & Henrico III. Eccleſiam, & Imperium moderantibus, iiſdemque præſentibus, & diuidentibus, Germania noſtra meruit, quæ Magno Imperij Germanici ſolatio, & firmamento etiamnum in noſtro Vveingartenſi Cœnobio religioſiſsimè aſſeruatur.

Translatio tertiæ partis in Germaniam.

Monaſteriū Vveingartenſe.

Nec plura de Leone, cætera etiam, de vniuerſo terrarum orbe, pluribus maximè Concilijs celebratis, & præclarè ſancitis meritiſsimo, quod aliàs pro translati Imperij tanto beneficio diutius eidem ſimus immorati. Quieuit in pace feliciſsimus Pontifex A. C. 816. pro tantis Sanctiſsimæ vitæ meritis inter Diuos relatus.

Moritur S. Leo 816.

SANCTVS STEPHANVS V. PAPA.

SAnctus Stephanus V. Iulij Marini filius, nobili genere natus, profeſsione Monachus, ex Monaſterio ad ſummos Eccleſiæ labores extractus, etſi paucis menſibus præfuerit, æternum tamen Pontificiæ Cathedræ decus eximia vitæ ſanctitate reliquit, ab ipſa ſtatim conſecratione illuſtribus à DEO miraculis honoratus. Deceſsit A. C. 817. Pontificatus menſe ſeptimo.

S. Stephan' V. Papa.

Miraculis claret.

SANCTVS PASCHALIS I. PAPA.

S Paſchalis I. Papa.

SAnctus Paſchalis I. Maximi Bonoſi filius Romanus, ex Monacho Sancti Stephani, iuxta Sanctum Petrum Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Presbytero Cardinale vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor creatus Occidentem non ſolùm, ſed & Orientem grauiſſimis meritis obſtrinxit, quæ digna oratione Sanctiſſimus vir, & Encomiaſtes digniſſimus, Theodorus Studita ſummis laudibus celebrauit. Idem eximiam denique ab omni ſæcularium Magiſtratuum poteſtate Pontificis Romani electionem, ęterno de ſucceſſoribus beneficio, & merito impetrauit. Idem plenum Diui Petri Patrimonium, à Longobardis ereptum, vt integrè reſtitueretur effecit. Idem apparente ſibi S. Cæcilia corpus eiuſdem ſolemniter eleuauit, & multa Sanctorum corpora tranſtulit. Idem ſtipendia Clericis auxit. Idem captiuos, in ipſis etiam tranſmarinis regionibus diligentiſſimè perquiſitos, viros & mulieres, ſicut verè bonus Paſtor, redemit. Idem plurimas Eccleſias, Tituloſque Cardinalium, partim condidit de nouo, partim reſtaurauit. Idem de vniuerſo terrarum orbe meritiſſimus Concilia plurima, Romanum, Altinenſe, Aquiſgranenſe, Arelatenſe, Turonenſe, Cabilonenſe, Moguntinenſe, Rhemenſe, Theodouillanum, Nouiomenſe, vnus celebrari fecit, eiſdemque optimos Præſides dedit, plurima ingenti cum Imperij, tum Regnorum diuerſorum vtilitate decreuit, & inſtituit. Idem denique digniſſimo ſanctitatis titulo, ſummam in orbe poteſtatem ac dignitatem mirificè exornauit, & æternum poſteris exemplum reliquit. Obijt Pontifex lectiſſimus A. C. 824. cuius anniuerſaria memoria Martyrologio Eccleſiæ Romano adſcripta, toto orbe legitur, & pro dignitate tanti viri recolitur.

Orientem demeretur. *Romanæ Sedi conſulit.* *Iterum.* *Ecce verum Paſtorem.* *Quot vnus Papa Concilia celebret?* *Titus ſancti-tus.*

SANCTVS VALENTINVS PAPA.

S. Valentinus Papa.

SAnctus Valentinus, Leontij filius, Romanus, S. Paſchalis lectiſsimus diſcipulus, Monaſticis diſciplinis ab ineunte ætate innutritus, tantæ virtutis, & ſanctitatis fama celeber fuit, vt mi-

vt miro totius Cleri, ac Senatus, populique consensu, cum vix vna die ab Eugenij obitu, Sedes Rom. vacasset, inuitissimus licet, Pontifex acclamatus sit. Qui cum vix quadraginta dies præfuisset, mœrore ne ab tanti oneris in humeros suos impositione, an alia ex causa, & inuidente terris tantum virum cœlo ipso, meritis hominum, qui tunc erant, ita exigentibus, immatura morte ablatus est, conquerentibus vniuersis, cum hominem sibi abreptum, QVO STANTE, LABEFACTARI ROMANAM LIBERTATEM, ET CHRISTIANAM RELIGIONEM VIX POTVISSE omnes persuasissimum habebant. Obijt 10. Cal. Feb. A. C. 828. vel quod alij habent A. C. 827.

Insigne Elogium.

SANCTVS GREGORIVS IV. PAPA.

SAnctus Gregorius IV. patria Romanus, genere clarus, ex Monacho Fossæ-Nouæ, & S. R. E. Cardinale Tit. S. Marci ad summi honoris apicem euectus, cum frustra Magni, & primi Gregorij exemplo latebras quæreret, orbem moderari coactus est. Fuit Diuinis humanisque litteris apprimè eruditus, pietateque misericordia, atque alijs omnibus virtutibus adeo insignis, vt quartus iam eo nomine Pontifex, pari sanctitatis laude, illud ipsum nominatissimum redderet. Hic ipso Pontificatus sui initio, clades tam multas Italiæ à Saracenis illatas miseratus, eiusdem quibuscumque posset viribus muniendæ consilium suscepit, aliaque inter Ostia Tiberina communiens, rudera eruderans, nouam è collapsa vrbem condidit, & muris cinxit, conatuque minimè ambitioso, successoribus eadem audendi exemplo, & incitamento, vt esset, à se Gregoriopolim cognominauit. Mox suam de Imperio vniuerso sollicitudinem testatus, feruentibus Principum odijs, & ad diuturnum bellum, imo prouinciarum omnium interitum vergentibus vniuersis, ipse ad Ludouicum Imperatorem, & filios, fœdissima dissensione distractos, periculosissimum iter suscepit, eosque inter se componere, tantumque Imperij totque Regnorum malum auertere laborauit. Pari industria Galliæ, & Germaniæ Episcopis consulens, data ad eosdem Epistola, nunquam

S. Gregorius IV. Papa.
Eius humilitas.
Munit Italiam contra Saracenos.
Gregoriopolis.
Imperij curam habet maximam.
Galliæ, & Germaniæ mala auertit.

ſatis celebranda, grauiſsimas turbas, & ex his naſcentia innumera mala anteuertit.

Neque terras ſolum demereri ſatis habuit Gregorius noſter, niſi & cælum ipſum eiuſque feliciſsimos incolas omnes demereretur: quo proin ſtudio tam digno, in capite Calendarum Nouembrium Feſtum SANCTORVM OMNIVM à fidelibus per totum mundum celebrari præcepit, officioque proprio, quòd ipſe compoſuit, decorauit; vt quidquid humana fragilitas per ignorantiam vel negligentiam, in ſolemnitate ſingulorum Sanctorum, minus plenè ſeu dignè peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur. Suſpexit meritum hoc haud leuiter, paulo ante per Apoſtolos noſtros conuerſa Germania noſtra, ſolemnitatemque tantam ſoluta oratione, & verſu S. Rhabanus noſter celebrauit. Illud, maxima inter, Gregorij noſtri longè maximum: Vnum, tanto cum fructu vniuerſi, tot Concilia celebraſſe, è quibus potiora, Pariſienſe A. C. 829. Compendienſe 833. Metenſe 835. Theodoniſuillæ 835. Aquiſgranenſe A. C. 836. & eodem anno Lugdunenſe, Cabilonenſe A. C. 839. Aquiſgranenſe alterum, anno 842. eodemque anno Conſtantinopolitanum, multaque alia à ſcriptoribus referuntur. Tantis celeber factis ad felicem immortalitatem conſcendit A. C. 847.

Feſtum omniũ Sanctorum.

Germani Magni faciunt Feſtũ.

Quot vnus Cõcilia celebret.

SANCTVS LEO IV. PAPA.

S. Leo IV. Papa.

Sanctus Leo IV. Rudolphi filius, Romanus, ex Monacho Sanctorum Siluestri, & Martini Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Presbytero Cardinale Tit. SS. quatuor Coronatorum, ad generalem Chriſtiani gregis curam vocatus, haud minore Chriſtianæ Reipubl. bono ſuoque merito, plurima paſsim Concilia coegit, quam anteceſſor Sanctiſsimus eoque nomine meritiſsimus Gregorius IV. memorabili Regnorum fructu congregauerat. Ex ijs tria omnino Moguntiam indixit, & Germaniæ noſtræ multis modis præclariſsimè conſuluit, Pariſienſe item, Turonenſe, Regiaticinum Ticinenſe, Sueſsionenſe, Romanum, Conſtantinopolitanum Valentinum, Tici-

Tria in Germania Cõcilia celebrat. Item plurima alia.

Ticinense alterum conuocauit, ijsque salutaria quamplurima instituit, orbique introduxit, vt sola hac, tanti tamen momenti, industria, suum æternitati nomen mirificè commendarit.

Illud rarius, quo vix adito Pontificatu, euidentissimo eximiæ sanctitatis argumento, Principem Imperij, & orbis Vrbem, grauissimo metu, & peste liberauit, cum enim pestilentissimi animalis afflatu, basilisci nimirum cuiusdam veneno, infecta Roma, haud immerito contremisceret, indicta solemni supplicatione, verus Pastor Leo ad specum animalis pestiferi solus accessit, sublatisque in Cœlum manibus, orationis virtute bestiam extinxit, tantamque grandi miraculo pestem consopiuit.

Peste vrbem liberat.

Item graui incendio.

Nec impari prodigio fidelibus commendatus, pari felicitate incendium per ædes Saxonum ac Longobardorum Diui Petri Basilicæ imminens, solo adhibito Crucis signaculo, furentium flammarum impetum illico dissipauit atque extinxit, vt facilè constaret ciuibus quanti patrem hunc suum facere deberent, cuius in vota adeo facilis DEVS ipse, & paratus esset. Illud de Imperio beneficium haud vulgare fuit, quo Lothario, & Ludouico Regibus, suo & Successorum nomine promisit, *ILLIBATA IMPERII IVRA, ET NVNC, ET IN AEVVM CONSERVANDA &c.* cui illi vicissim, liberam eligendi deinceps Rom. Pontificis facultatem, à se aliquamdiu denuo affectatam, sed à Leone Romanis assertam, nulla deinceps libidine Cæsarum temerandam, sanctè polliciti sunt. vt hoc etiam nomine, successores sibi plurimum Leo noster obligarit. Ingens etiam illud fuit, quo grandi metu Italiam, imo Europam vniuersam liberauit: quando nimirum tribus coactis classibus, Neapolitana, Amalphitana, & Caietana in Vrbis subsidium, nulla re magis, quam DIVINIS MYSTERIIS armatas, in ferocissimos hostes, Mauros seu Saracenos immisit; cuius tam piè administrati gestique belli ille exitus fuit, vt ijdem non sine Numine, admirabili atque inprimis memorabili victoria, ad Ostia Tiberina felicissimè vincerentur, insigni miraculo, nauibus hostium dissipatis atque confractis, captiuisque plurimis Romam abductis, qui quam euertere decreuerant, in eiusdem munitione,

Magni fit.

Imperium sibi obstringit.

Item successores Pont.

Ecce qualiter muniendi exercitus.

Prodigiosa victoria.

tione, & Nouæ vrbis (qua S. Petri Basilicam incluserat Leo) molitione, Christianis structoribus collaborarent. Eam à se conditam Leoninam appellari Sanctus vir voluit, pluresque alias per Italiam vrbes restaurauit, & struxit, è quibus centumcellense oppidum, Leopolim item cognominauit. Et plurimis alijs sanctè, & præclarè gestis, ad præmia denique æternitatis emigrauit A. C. 856. inter Sanctos in tabulas Ecclesiasticas relatus. Fuit Cultor Deiparæ præcipuus, cuius Assumptionis Octauam primus ipse instituit, & in Ecclesiam introduxit.

Leoninã vrbem condit. *Item alias plures.* *Deipara cultor.*

IOANNES IX. PAPA.

IOannes IX. Rampoaldi filius, patria Tiburtinus professione Monachus. Huius breui Pontificatu maxima tamen fuere de orbe Christiano merita. Ea inter fœdissimo, & pestilentissimo Alberti, & Sergij Romanæ Sedis peruasorum Schismate Ecclesiam liberauit. Sed & de Imperio æquè atque Ecclesia meritus, eidem sedulo inuigilans, multa pro eius vtilitate statuit, & Berengarium, qui coronationem violenter extorserat, summa cum æquitatis, tum constantiæ atque auctoritatis Pontificiæ comprobatione exauctorauit. Eum ipse etiam Orientis Imperator suspexit, coluit, consuluit, quocum, Ioannes noster, & Augusta coniuge in quarto cognationis gradu dispensauit. Idem summo Reipubl. Christianæ bono, tria Concilia cum paulo supra biennium præfuisset, celebrauit, *vnde*, inquit Baronius, *summam sibi laudem comparauit: vtpotè, qui missus à DEO visus sit, ad destruenda, quæ à prædecessore Stephano malè ædificata fuissent &c.* Ita opportunè DEVS è Monachis plerumque substituit, qui afflictissimæ Ecclesiæ perturbatissimo rerum statu amantissimè occurrerent, & quæ negligentia Pastorum, incuria seu iniuria Principum damna illata essent, subinde resarcirent. Decessit tantus Pontifex A.C. 905. in Templo Diui Petri Vaticano tumulatus, & digno Epitaphio honoratus.

Ioãnes IX. Papa. *Schisma fœdissimũ profligat.* *Imperio cõsulit.* *Eum Oriẽtis etiam Imp. suspicit.* *Insigne elogium.* *Resarcit dãna ab alijs illata.*

B. LEO QVINTVS PAPA.

BEatæ memoriæ Leo V. è villa Priapi, agri Ardeatini, Monachus de Brandalo Congregationis primæ Benedictinæ, S.R.E. Cardinalis, demum Pontifex Maximus creatus, egregia sanctitate Sanctissimam Cathedram ornauit, & si nullo alio merito, hoc ipso tamen, multum Romano nomini addidit. Cuius promptissimam benè merendi de vniuersis voluntatem Christophorus ambitiosissimus Cardinalis impiè intercepit, & lectissimum Christi Vicarium, minimè exambitum munus abdicare coegit, & Cœnobio inclusit, ipse verò indignissimus tantum Thronum inuasit, & occupauit. Leo autem non multo post, afflictissimæ condolens Ecclesiæ mœrore contabuit.

B. Leo V. Papa.

Innocēs deijcitur.

STEPHANVS VIII. PAPA.

STephanus VIII. dictus VII. Theudemundo Patre genitus ex Ordine nostro ad Cathedram Petri euectus, annos duos, mensem vnum dies 15. Ecclesiam gubernauit, cuius res gestæ, etsi scriptorum inopia, an temporum iniuria interciderint, hoc saltem Elogij inter Rom. Pontifices meruit: *VITAM EIVS MANSVETVDINIS, ET RELIGIONIS PLENAM FVISSE.* Obijt 931.

Stephanus VIII. Papa.

SANCTVS GREGORIVS V. PAPA.

SAnctus Gregorius V. Otthonis Saxoniæ, & Sueuiæ Ducis ex Iuditha Lotharinga filius, Ludolphi nepos, Otthonis I. Imp. Cognomento Magni pronepos, Bruno antea vocatus, ex Monacho S. Viti Corbeiæ, Vverdensis primum Episcopus, inde Pontifex Maximus salutatus, Maximum, & Germani animi Principem, maximis factis ostendit. Cuius vix adito Pontificatu, tanta fuere de Romano Imperio, & Germania inprimis nostra, merita, vt nulla sæculorum æternitate, satis

S. Gregorius V. Papa.

Maxima eius facta.

Merita ingentia.

fatis illud ijſdem liceat demereri. Is primum Otthonem III. cognatum Imperatorem ſolemniter coronauit, vnde confeſtim Romanæ Eccleſiæ ab eodem Auguſto, cognato Pontifici gratiam referente, illud commodi obtigit, vt impijſſimi Creſcentij intoleranda Tyrannide liberaretur.

Romam à Creſcentij Tyrannide vindicat.

Gregorius verò viciſſim Imperio conſulturus (quo maiore poſt Sanctum Leonem noſtrum eo nomine Tertium Imperij translatorem, beneficio, nemo Pontificum Imperium, & Germaniam obligauit) collecto Epiſcoporum Romæ Concilio, de conſtituendis deinceps certis Imperij ELECTORIBVS ad Patres retulit, & ſeptem Imperij Principes, Eccleſiaſticos partim, partim ſæculares deinceps, Imperatorem electuros eſſe, & fore, perpetuo ſanxit, perpetuumque eligendi ius, penes ſolos Germanos eſſe conſtituit. Vt in hodiernam vſque diem, ijdem Maximi Germaniæ Principes, Gregorio noſtro, imo, & ſuo, acceptum tantum honorem potentiamque debeant, & merito referant, ſequuturis etiam poſthac ſæculis, tantum gratiæ grati animi gratiſſima memoria celebraturi.

Septemuiros Electores Imperij conſtituit.

Quantū illi Imperiū, & Germania debent.

Vt nihil de perpetuo gliſcentium, & ebullientium bellorum, exciſo fonte memoremus, Gregorio, hac lege condita, PATRIS PATRIAE Titulum merito, & indepto, quod tanta Electorum dignitate, & electionis æquitate, innumeræ ſeditionum, bellorum, & calamitatum Germaniæ, cauſæ ſublatæ videantur.

Deſignati ab eodem Gregorio ſex primum Principes, ſacri tres, ijdemque diuerſorum Regnorum Archicancellarij, Moguntinus Archiepiſcopus Germaniæ, Treuerenſis Galliæ, & Colonienſis Italiæ; ſæculares tres, Comes Palatinus Archidapiferi Imperialis, Saxonum Dux Mariſcalli, & Brandeburgius Marchio Camerarij munere, & titulis inſigniti. Quibus ad tollendam diſcordiam ſeptimus Boemiæ Rex, Imperatoris pincerna eſt additus, vt ad quam ipſe inclinaret partem ea potior haberetur.

Qui Electores deſignati.

Munera Electorum.

ELE-

ELECTORALIS DIGNITAS GREGORIO V. DEBETVR.

HIs alijsque præclarissimè gestis Pontifex noster, illud tituli Elogijque planè perinsignis singularisque meruit, vt ad Magni illius, & primi, item nostri, distinctionem GREGORIVS ipse MINOR appellaretur.

Titulus planè Illustrissimus.

Migrauit ex hac vita Romæ A. C. 999. maximo omnium, atque inprimis pauperum luctu, quorum reuera PATER fuerat, summo cum honore in Basilica S. Petri conditus, & digno Epitaphio celebratus.

SILVESTER II. PAPA.

SIluester I I. olim Gerbertus siue Gilbertus, Agilberti filius, Aquitanus, Gallus, ex Monacho Floriacensi Rhemensis primum, dein Rauennas Archiepiscopus, iam pridem de Gallia meritissimus, Rhemensibus nimirum Scholis, propter incomparabilem scientiam præfectus, de quarum præstantia sic inter alia Massonus in Hugone Capeto Rege: *Rhemensis Schola*, inquit, *cæteras antestare videbatur, propter Gerberti authoritatem præstantiamque, cui ob eam causam Ottho, & Robertus in disciplinam sunt dati &c.* Vir siquidem fuit Gerbertus, omnium longè doctissimus, Philosophicis, & Mathematicis scientijs prorsum admirandus, vnde factum, vt propter insolentiam doctrinæ, Magus vulgo putaretur, quam vulgi opinionem, proni in obtrectationem bonorum, nostri temporis aranei, Hæretici omnes, tanquam profuturum sibi contra Romanam Ecclesiam virus, auidissimè insuxerunt, eoque, si possent, mundum vniuersum inficere, nequicquam conati sunt; longè aliter sentientibus de Gerberto, viris Sanctissimis, vtpote tanquam de iuratissimo sceleris illius infandissimi hoste; quemque Pontificiæ Historiæ scriptores, *natura prudentem, præstantem pietate, fide insignem, constantia mirabilem, consilio prouidum*, titulis summo Ecclesiæ capite longè dignissimis extollant.

Siluester II. Papa.

Incomparabilis eius eruditio.

Hæreticorũ calumnia.

Laudatissimus Siluester.

Eius insignes inter laudes retulit Baronius: *Cultorem fuisse Sanctorum virorum tunc viventium, cupidumque Monasticæ obseruantiæ, atque malorum acerrimum correctorem, nec non egregium (NB) Defensorem iurium Ecclesiæ. Denique ipsum planè primum extitisse* (ingens reuera meritum!) *qui Sacræ militiæ Classicum occinuerit*, vt amplius quid dici, & prædicari de Romano Pontifice, non posse videatur, constetque facilè, vnde sibi tantum apud Romanæ Ecclesiæ hostes, odium tantus Pontifex compararit.

Primus Sacræ militiæ Classicū occinit.

Gilberto, alia inter, ante Pontificatum merita, debetur inuentio Horologij, & Organi Aquatici, aliaque plurima, præstantissima cumprimis, & varia ingenij inexhausti monimenta. Sed & Regnum Vngariæ eidem Coronam debet, quam cum iam Poloniæ Duci pro meritis destinasset, diuinitus moneri meruit, eam Stephano Vngarorum Duci deberi, quam & cum Crucis insigni eidem dono misit, & primum Vngarorum Regem Stephanum declarauit, quę in hodiernam vsque diem Crucis insignia, priscis Vngarorum adiecta, acceptum à Numine, & Syluestro nostro honorem ad omnem posteritatem profitentur. Obijt Syluester A. C. 1003. à Sancto Sergio successore pro meritis insigni Epitaphio celebratus.

Inuentor Organi Aquatici.

Corona donat Vngarorum Ducē.

Aeterna apud Vngaros Syluestri memoria.

SANCTVS SERGIVS IV. PAPA.

Sanctus Sergius eo nomine IV. Buccaporcinus, ex castro Lunæ oriundus, Monachus lectissimus, si nulla re alia, ipso eximiæ Sanctitatis splendore, de sublimissima Petri Cathedra meritissimus. Is alia inter præclarè facta, Syluestri II. studia imitatus, de liberanda tantis terroribus, & tristissimæ seruitutis metu Europa cogitauit, & Italorum Principum animos, ad Saracenos è finibus procul pellendos; & è Sicilia cumprimis eijciendos concitauit permouitque, quo quidem conatu cum de Italia, tum de Imperio vniuerso meruit plurimum, cui præcipuè fauisse ex eo etiam comprobatur, quod multorum opinione, electionis per Septemuiros Auctor habeatur, cum tamen potius confirmasse, quam instituisse credendum

S. Sergius IV. Papa.

Sacra expeditio.

De Imperio benè merit.

dum sit. Obijt A. C. 1012. insignibus elogijs in gestis Rom. Pontificum celebratus.

IOANNES XIX. PAPA.

IOannes XIX. Gregorij Tusculani Comitis filius, Benedicti VII. dicti VIII. frater, ex Monacho S. Anastasij in Vrbe Congregationis Cluniacensis, & S. R. E. Cardinale Episcopo Portuensi, Summus Pontifex renunciatus, alia inter merita tria Concilia celebrari instituit, è quibus Francofordiense plurimum Germaniæ nostræ profuit.

Ioãnes XIX Papa.

Tria Cõcilia celebrat.

℣ Idem Conradum II. Salicum Imp. coronauit, qui & Ioanni gratiam retulit, grauissimis Romæ seditionibus compositis. Obijt Ioannes A. C. 1032. cum præfuisset annos 8. menses nouem, sepultus in Vaticano, *cuius vita*, inquit Craconus, *MIRIFICE LAVDATVR.*

Elogium.

SANCTVS GREGORIVS VI. PAPA.

GRegorius VI. Romanus, Ioannes Gratianus antea dictus, eximiæ nobilitatis, & summæ perfectionis Monachus, ex S. R. E. Cardinale Archipresbytero Tit. S. Ioannis ante Portam Latinam, Christi in terris Vicarius salutatus, æternis beneficijs Ecclesiam orbemque vniuersum obligauit, *cui*, inquit Cæsar Baronius, *tunc temporis afflictissimæ admonitionibus, censuris, & armis PACEM restituit.* Vt paucissimis his verbis amplissima dixisse videamur, nisi longè maius illud, admiratione defixos, in stuporem ageret, quod in Gregorio Nazianzeno vnius vrbis Episcopo olim admiratus Oriens in Gregorio nostro Vniuersi orbis Pontifice, tanti honoris contemptore, vniuersa in sæculorum æternitates, mortalium ad Occidentem æquè ac Orientem posteritas obstupescens deprædicabit. Cum enim eidem Henricus Imp. quod absque assensu suo electum diceret, instaret; vt Summo se Pontificatu abdicaret, nulla is quidem malè delusi Regis formidine, verum solo

S. Gregorius VI. Papa.

Insigne elogium & meritum.

Alter Gregorius Nazianzenus.

Ecclesiæ, & pacis amore, cernens ea occasione, nisi pareret, pestilentissimum denuo schisma conflandum, Nazianzeni factum æmulatus, magnitudinem transgressus, summi honoris Sedem maiestatemque libenter deferens, ad Archisterium Cluniacense secessit, ibique vitæ reliquum securius feliciusque sanctissimè transegit; ea tanti honoris tam pacifica resignatione spectatior multo, quàm illa, de qua supra, tantorum meritorum in ipso Pontificatu deprædicatione.

Imo maior ille.

SANCTVS LEO IX. PAPA.

S. Leo IX. Papa.

Sanctus Leo IX. Hugonis filius Comes de Dagsburg, & Egisheim, Germanus, Bruno antea vocatus, ex Monacho Tullensi Congregationis Cluniacensis, eiusdem loci, Tulli Leucorum Episcopus, inde ad Cathedram Petri, auctoritate Henrici III. Imperatoris promotus, habitum Pontificium, quo iam indutus Romam petebat, suasione S. Hildebrandi nostri (qui postea Gregorius VII. appellatus est) memorabili pijs consilijs parendi promptitudine, statim deposuit, liberamque eligendi potestatem, à Cæsaribus toties præreptam, Clero populoque Romano restituit, ab ijsdem, instituta quamprimum electione, magno applausu Pontifex salutatus, & voce de Cœlo delapsa, insigni prodigio in tanta frequentia populi recreatus, qua ipsi à Numine his ipsis verbis auxilium desuper promittebatur: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Vnde facilè vniuersis quantum tanto Pastori credendum, fuerat ominari.

Liberū eligēdi ius Romanis restituit.

Vox de celo delabitur in electione.

Cæpit Pontificatum ingentibus statim meritis, eodemque ipso anno, insolenti sanè vsu, at fructu immenso tria Concilia, Papiæ, Rhemis, & Moguntiæ celebrauit, labique Simoniacæ, toto orbe nimium grassanti, funestissimum bellum indixit, carnis vitia longè latèque exscidit, & miraculorum gloria à Numine illustratus Ecclesiæ Romanæ honorem, & decus perpetuum addidit. Nec minore merito in exscindenda pestilentissima Berengarij Hæresi postea laborauit, multaque alia, cum ex hac, tum alijs causis Concilia indixit. In auertendo à ceruicibus Chri-

Hæresum profligator.

Christianorum, iugo barbarorum totus fuit, à quibus aliquando interceptus, tantum abest, vt quidquam mali seu iniuriæ passus sit, vt omnibus potius summæ admirationi, & venerationi esset, multoque cum honore dimitteretur.

Item Barbarorum.

Illud singulare de ipso Imperio meritum fuit, quo ipsusmet tantus Pontifex difficillimo itinere in Germaniam contendens, vt Cæsarem inter Regemque Vngarorum pacem componeret, miserandum iam imminens Regno vtrique periculum exitiumque auertit, seruatæ patriæ Titulum apud Germanos suos meritus, eoque tam illustri paternæ sollicitudinis, & charitatis argumento, ad omnem posterorum eiusdem nationis successionem, merito commendandus.

Imperium demeretur.

Impensissimo studio Sanctissimum Imperatorem Archiducem, & Patrem suum BENEDICTVM coluit, à quo iuuenili etiamnum ætate, cum pestilenti laboraret vlcere, spectabili forma visitatus, & prodigiosè curatus est; ad cuius tanti patris Sepulchrum, iam Orbis Pontifex creatus, altera vice inuisit, & Fratrum ibidem pedes, suis ipse manibus lauit. Decessit vir sanctissimus A. C. 1054. quem insignibus elogijs B. Victor III. Pont. Max. ipsi familiariter charus commendauit: *à quo*, inquit, *OMNIA ECCLESIASTICA STVDIA RENOVATA, AC RESTAVRATA, nouaque lux mundo visa est exoriri &c. Qui per Apostolicam viam semper gradiens, Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus &c.* Vt de hoc ciue suo Germania, atque Ordo noster haud immerito æternum sibi gratulentur.

A Sanctissimo P. N. Benedicto prodigiosè curatur.

Mira in tanto Pontifice humilitas.

Insigne encomium.

SANCTVS STEPHANVS IX. PAPA.

Sanctus Stephanus IX. alijs X. appellatus, olim Fridericus, Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius, ex Monacho, & Abbate Casinense, & S. R. E. Card. Tit. S. Chrysogoni, mirifica totius Sacri Senatus gratulatione Pontifex salutatus est. Verum vsque adeo inuitus reluctansque, vt per vim ex hospitio, ad Basilicam S. Petri ad Vincula educendus fuerit; postridiè Summo vniuersorum applausu Stephanus IX. appellatus.

S. Stephanus IX. Papa.

Quam obnixus sit ne Pontifex fieret.

latus. Is quamuis breuissimo Pontificatu, & infirmo semper corpore, plurimum tamen de Ecclesia meritus, pro eiusdem tranquillo statu assiduè laborauit.

Imperiū curæ habet. Imperium curæ inprimis habuit, in eoque à Simoniaca Hæresi perpurgando multum desudans, Henricum denique Imperatorem, aggredi non veritus, cum is aperta sacrorum nundinatione, Sacerdotia, Abbatias, Episcopatus venalia haberet, nec prohiberi vellet, piorum demum cætu prohibuit, & sacris interdixit. *Orientē ad gremium S. Matris vocat.* Idem de ipso etiam Oriente sollicitus, & meritus, in eo à schismate vindicando, plurimum operæ insumpsit. S. Petrum Damiani Cœnobio extrahens Ecclesiæ plurimum profuit, cui Damianus, incredibile dictu est, quantum præstiterit. *Miraculis claret.* Obijt Stephanus altero Pontificatus anno, multis à funere nobilitatus prodigijs, & insigni fidelium concursu ac veneratione celebratus.

SANCTVS GREGORIVS VII. PAPA.

S. Gregorius VII. Papa. SANCTVS GREGORIVS VII. Bonicij filius, Tuscus patria, è familia Comitum Petiliani, Hildebrandus ante Pontificatum dictus, in ipsa pueritia admirandus, nihil pueros inter puerile admisit, eam ipsam ob causam Sancto cuidam viro piè suspectus, cum infantili molitione, ædiculas è lignorum segmentis struerent alij, ipse discessione facta, ignorante etiam manu, in arena littoris segmenta longo ordine poneret, & quas *Mirāda in puero res!* legere non poterat, litteras formaret, hoc ipso versu structione sua absoluto: *DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE*. Ab eodem seruo DEI iam tunc quantus futurus esset Pontifex agnitus, proditusque est. Monachum postea Cluniaci professus, in omni ætate admirabilis omnibus visus, meruit non multo post Prioris munere Sanctissimo ac frequentissimo Monachorum Collegio præfici, iam tunc prodigijs à Numine *Ignem è cucullo excutit.* commendatus, cum de more cucullum manibus excuteret, inde scintillis pro puluere exilientibus. Et reuera igneus totus erat, ita vt quæ ore proferret, velut ignis vniuersos inflammarent, & medullas quasi ipsas depascerent. Prædicationis munere stre-

nuè

nuè functus, eo tantopere excelluit, vt Henricus III. Imper. disertè fateretur: *Numquam se audisse hominem, cum tanta fiducia Verbum DEI prædicantem*. A quo Romam abductus, cum inde se rursum subducere pararet, trina Apostolorum Principis apparitione, vlterius progredi prohibitus est. A Leone IX. Subdiaconus ordinatus, dein Monasterio S. Pauli extra Vrbem Prælatus, & ab apparente Gentium Doctore confirmatus, Cœnobium illud insigniter reformauit. Mox Archidiaconus creatus, & grauissimis quibusque Ecclesiæ negotijs adhibitus, innumeris se meritis, & grandibus miraculis vniuerso commendauit. In Gallias directus, prodigiosissimo felicissimæ Legationis successu, ita Ecclesiam perpurgauit, vt vno in Consessu, præter viginti septem alios Prælatos, quadraginta quinque Episcopi per Simoniam ingressi, suo se honore spontè abdicauerint; cum mira eorumdem probatione, GLORIAM SPIRITVI SANCTO, etiamsi conarentur, dare non posse prædiceret, & solemni precatione: *GLORIA PATRI, ET FILIO*, pronunciato disertè, ad reliqua, qui ex illis innocentiam probaturi erant, statim obmutescerent.

Quantus Prædicator.

A S. Petro Romæ retinetur.

Miraculis illustratur.

Stupenda res!

Pontifex postea Alexandro II. mortuo admirabili consensu, applausu atque acclamatione salutatus, cum vniuersi in has voces *HILDEBRANDVM ARCHIDIACONVM BEATVS PETRVS ELEGIT*, erumperent, reclamans obnixusque rubea Chlamyde indutus, & Mitra Pontificia redimitus, mœrens lugensque eminentissimæ in terris Cathedræ impositus est. Præfuit afflictissimis, si vnquam ante vel postea, temporibus, inque immani fluctuum tempestate, qua mare hoc magnum repentè in immensum intumuit, Nauiculæ Petri, vt peritissimus, sic imperterritus rector, tantis fluctibus constantissimè obnixus, præter Reges, ac Principum potentissimos, quos liberrimè correxit ac castigauit, Orientis, Occidentisque eodem tempore, (miranda res!) Imperatoribus, se se vnus opposuit, deque iisdem gloriosissimè triumphauit; Nortmannos, & Saracenos compescuit, inque tanta rerum perturbatione, ac negotiorum, & fluctuum mole, sibi constans semper, Concilia plurima summo cum Reip. Christianæ bono, celebrauit, innumeras penè Legationes expediuit, fidelibus vndequaque consuluit, diuersissima Re-

Mirè salutatur Pontifex.

Tēpus Pontificatus eius tēpestuosissimum.

Orientis Occidentisque Imperatoribus vnus obnititur.

Grauissima & maximè memoranda merita.

ma Regna iuuit, Gentiles conuertit, Hæreses obtriuit, Græcos ad communionem pellexit, Croatiam, & Dalmatiam titulo Regni insigniuit, Patrimonium S. Petri auxit, Romam ab incendio prodigiosè seruauit, Clerum reformauit, Monachorum studia accendit, præclarissima multa per Ecclesiam instituit, vt nec numerare quidem, nedum describere seu expendere, tantorum liceat immensitatem meritorum. Meritus idem verè Maximus Pontifex, insolentissimum planè amorem Virginum Virginis, & fauorem singularem, ac ferè maternum affectum, quo in imagine etiam sua, quam frequentius, & impensius colebat Gregorius, eidem arridere per quam familiariter, lachrumanti autem, piè condolere, & collachrumari visa est, quem summo Ecclesiæ solatio, eadem benignissima MATER, prodigiosè curare dignata, incolumem esse iussit, cum vehementissima æstuans febri, periculosè decumberet. Eius celebrantis dextro humero, candidissima cœlo descendens columba insidere conspecta est, vt in eo primi Gregorij Spiritum requieuisse nemo ambigeret.

Deipara quã charus extiterit.

A Deipara curatur.

Defunctus est tot ærumnis atque laboribus Pontifex verè prodigiosus A. C. 1085. etiam à morte, ob seruatum Pontificiæ maiestatis decus, & probatissimam Petræ Romanæ firmitatem, Hæreticis sæculorum omnium (præeunte mendaciorum Architecto Bennone Pseudo-Cardinale, iuratissimo Gregorij hoste) & Inferis ipsis inuisus, metuendus, intolerandus; cuius Virgineum corpus ætate nostra, post annos à morte quingentos, Sacris amictum, & ferè integrum repertum est, & digniore tumulo exornatum, nomen autem Martyrologio Romano inter Sanctos adscriptum, toto terrarum orbe anniuersaria memoria dignissimè recolitur.

Moritur 1085.

Hæreticorũ odium, & mendacia.

SANCTVS VICTOR III. PAPA.

SAnctus Victor III. Dauferius in sæculo, Monachus, & Abbas mutato nomine Desiderius appellatus, Samius patria, Beneuentani Principis filius, familia Epiphania, paratis iam sibi nuptijs, & opulentissimo renuntians Principatui, Mo-

S. Victor III. Papa.

nachum

nachum apud Casinates professus, tanta enituit vitæ sanctitate, vt Sanctissimo illi Ordinis Archisterio Abbas præfici meruerit; quem honorem, vt admitteret, multum deprecatus, & nimium obluctans, vix tandem feruentissimis suorũ lachrymis permotus acquieuit. Pari desiderio post obitum admirandi illius sanctitate, & constantia Pontificis Gregorij VII. ab vniuerso Clero ac populo Romano, successor expetitus, cum nullis precibus flecti posset, inuitus demum, reclamans, renitensque Christi anno 1086. Pontifex salutatus, & coronatus Victoris III. nomen accepit, vniuersa vrbe de tanti capitis electione plaudente, & triumphante. Verùm Victor, inaudito ad eam diem contempti summi honoris exemplo, post dies quatuor Roma egressus, insignia Pontificatus Tarracinæ dimisit, & cucullo contentus suo, Casinum se recipiens, rigidus, & sanctè obstinatus, nullis omninò precibus, lachrymis, rationibusque, illa vt resumeret, persuaderi potuit. Quoad denique altero post anno, Ecclesia, quasi de nullo alio, quam Desiderio suo, vnicè sibi desiderato cogitante, Sacrati Præsules vniuersi, cum Iordane Capuano Principe, ac Rogerio Calabriæ Duce, ad eius pedes prouoluti: *ne rem Christianam grauioribus incommodis affectam vellet, nevè totius Cleri ac tot procerum, infimas supplicationes frustrari pergeret, quibus omninò deliberatum ac constitutum esset, neminem alium, ipso quidem superstite, ad id honoris euehere*: victus tandem Victor noster, manus præbuit, & cum metueret Numinis resistere voluntati acquieuit, & breui licet Pontificatu, multa tamen præclarissimè gessit: Roma nimirum, Summo totius orbis Christiani bono, & gaudio, grauissimo Schismate liberata, profligatisque in Africa Saracenis felicissimus, immatura tamen morte, summæ omnium expectationi summisque conatibus præreptus: quem nonnulli Martyribus accensent, veneno, vt aiunt, à Schismaticis propinato extinctum A. C. 1087. Insignia eius inter ingenij monimenta celebrantur inprimis libri quatuor, quibus Sanctissimi Archiducis sui BENEDICTI discipulorumque eius Casinensium res gestas est prosequutus, ipse à Petro Damiani nostro viro Sanctissimo, & oculato teste, MONACHORVM ARCHANGELVS appellatus.

Sanctitas eius.

Eligitur Pontifex.

Pontificatũ summum deserit.

Ecce preces Sacrorum Præsulum.

Quantum enitantur vniuersi tantum Pontificem vt habeant.

Victus demũ dat manus Victor.

Merita eius.

Libri eiusdem.

BEATVS VRBANVS II. PAPA.

B. Vrbanus II. Papa.

Beatus Vrbanus II. olim Ottho de Castellione, Milonis filius, natione Gallus, ex Monasterio Lateranensi, strictioris vitæ desiderio ad Cauense transiens, inde non multo post Cluniacum admissus, inter præstantissima Sanctissimi loci sydera præcipuè eluxit. Inde postea extractus, & S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis renunciatus, iam tum maximis meritis orbi innotuit, grauissimisque Legationibus dexterrimè perfunctus, in Guibertina maximè Hæresi profliganda plurimum meruit, adeoque Sanctissimis Pontificibus Gregorio VII. & successori eiusdem Victori III. se probauit, vt vterque dignissimum iudicarent, qui sibi in summa Reip. Christianæ cura, & vniuersi orbis regimine succederet, eoque nomine S. R. E. Cardinalibus enixius commendarent.

Legationes eius.

Quāti fiat.

Eligitur Papa.

Mortuo proin Victore, summo omnium consensu applausuque Pontifex renunciatus, in primis curis habuit, ad Sanctissimi Patris sui BENEDICTI tumulum Casini inuisere, ipsique susceptum onus commendare: vbi grauissimo laterum dolore penè exanimatus, ipsomet opitulante, & apparente BENEDICTO prodigiosè curatus est.

A S. P. N. Benedicto prodigio curatur.

Mox præclarissimè de Ecclesia mereri aggressus, ante omnia, Sanctissimi antecessoris sui Gregorij VII. acta approbauit, & Schismaticis se se constantissimè opposuit. Concilia plurima (quorum sedecim, grandi sanè, sub vno scilicet Pontifice, numero, enumerat Binius) inæstimabili cum vtilitate ac dignitate Ecclesiæ celebrauit; Guibertum Antipapam vrbe expulit, Henricum Imp. ob immania flagitia excommunicauit, primus CRVCIATAE, memorabili item merito, contra infideles auctor, admirabili felicitate, Palæsthinam, & Ierosolymam recepit, & Saracenos plurimis bellis proterens, gloriosissimè triumphauit. Fuit cultor ADMIRABILIS MATRIS VIRGINIS præcipuus, cuius ipse *OFFICIVM* æterno cum merito fructuque (*CVRSVM B. M. V.* vulgo appellant) toto terrarum orbe promulgauit, & à Monachis etiam ad Clericos transtulit, sed & vsum eiusdem sæcularibus commendauit; vt ad ipsum, cùm

Ingētia sanè merita.

Cruciatæ primus auctor.

Cursum B. M. V. toto orbe promulgat.

cùm publica tot Ecclesiarum Collegiorum, & Ordinum vota; tum priuata tot millium Deiparæ deuotorum pietas, magna ex parte, tanquam ad Institutorem spectare videantur. Gratissimum præterea eidem Magnæ Matri nostræ, Cistercienfium nostrorum Institutum, perfectissimam Benedictini Ordinis Reformationem confirmauit, & summo studio propagauit. Quin & pulsum Matutinum, meridianum, & Vespertinum ad iuuandum exercitum Christianum toto orbe indixit; Hæreticos verbo, & exemplo, imo & scriptis doctissimis conuicit, & multo alio nomine, Imperium, Ecclesiam, orbem vniuersum sibi obligatissimum reddidit. Mortuus est A. C. 1099. rebus iam compositis, seditionibus sedatis, munitionibus Ecclesiæ recuperatis, ciuibus omnibus sibi conciliatis, paceque diu exule restituta, atque ipsa Catholica Ecclesia in tranquilliorem statum reuocata gloriosissimus felicissimusque.

Reformationem Ordinis nostri præcipuam fouet.

Hæreticorũ conuersioni intendit.

Insigne elogium.

SANCTVS PASCHALIS II. PAPA.

SANCTVS PASCHALIS II. Reginerius antea vocatus, Crescentij, & Alsatiæ filius, Tuscus, ex Monacho, & Abbate S. Laurentij, & Stephani extra muros Romæ Congregationis Cluniacensis, & S. R. E. Presbytero Card. Tit. S. Clementis, expetente populo, eligente Clero, ac collaudante Sacro Cardinalium Senatu, in Schismate contra Clementem III. Antipapam, verus Ecclesiæ Pastor constitutus, admirabili industria operam suam Sanctæ Matri comprobauit. Et quia in frequenti Conciliorum cum Generalium tum prouincialium celebratione, longè maximam ac præcipuam Ecclesiæ vtilitatem pendere non dubitabat, mirabili zelo, & inæstimabili fructu, solus ipse dum præesset, sex & viginti (celebrioribus solum computatis) Concilia indixit, iisque rei Ecclesiasticæ, & Regnorum vtilitati mirificè consuluit. Meriti incomparabilis, & ad æternitatem omnem inprimis memorabilis Syllabum solum memoriæ loco attexamus: Primum, quod celebrari instituit Concilium fuit Pictauiense anno Pontificatus primo, Christi 1100. 2. Lateranense A. C. 1102. 3. Londinense sub

S. Paschalis II. Papa.

Eius industria.

Sex & viginti Concilia celebrat.

idem tempus. 4. Londinense secundum. 5. Trecense primum; A. C. 1104. 6. Florentinum A. C. 1105. 7. Quintelinburgense. 8. Moguntinum. 9. Guastallense. 10. Hierosolymitanum A. C. 1107. 11. Trecense secundum. 12. Londoniense 1108. 13. Beneuentanum eodem anno. 14. Pictauiense A. C. 1109. 15. Rhemense. 16. Hierosolymitanum II. 17. Lateranense II. anno 1112. 18. Viennense. 19. Beneuentanum A. C. 1113. 20. Apud Cyperanum eodem anno. 21. Beluacense A. C. 1114. 22. Syriacum. 1115. 23. Troianum. 24. Coloniense A. C. 1116. 25. Lateranense III. 26. Romanum IV. Vt ex hoc solo tanto numero innumeram meritorum multitudinem Paschalis nostri omineris facilius, quam metiaris.

Syllabus Conciliorũ à Paschali celebrat.

Sed alia obiter attingamus: quorum illud inter præcipua eius numerandum: inconcussæ constantiæ virum de quatuor omninò monstris, summæ Cathedræ inuasoribus, Guiberto, Alberto, Theodorico, & Maginulpho, gloriosissimè triumphasse. Proximus triumphus, de Simoniaca, & Henricianorum Hæresi fuit: inde alius æquè insignis, de effrenata Clericorum libidine, concubinatu velut iure quodam in orbem introducto, atque vna cum infando fidelium scandalo, à Paschali nostro felicissimè proscripto ac profligato.

Alia merita.

Quatuor Antipapas profligat.

Hæreses euertit.

Sed & de infidelibus maximè in Oriente triumphos plurimos egit Sanctissimus Pontifex, cuius auspicijs feliciter res gestæ, & antiquis renouatis miraculis, innumerabiles hostium copiæ delatæ sunt. Idem Tyrannos varios oppressit, Romanorum insolentiam compescuit, Henricum Cæsarem ad obedientiam pertraxit, Ecclesiasticam ditionem à multis discerptam, restituit, & amplificauit; Schisma denique atrocissimum omninò dissoluit, ac sustulit, & pace orbi atque Ecclesiæ reddita, innumeris meritis diues ad triumphos æternos abijt A. C. 1118.

Prodigiosi de Saracenis triũphi.

Ingẽtia merita.

SANCTVS GELASIVS II. PAPA.

S. Gelasius II. Papa.

Sanctus Gelasius II. Ioannes antea vocatus, patria & familia Caietanus, ex Monacho Casinate, & S. R. E. Cardinale

dinale Tit. S. M. V. in Cosmedin omnium Patrum votis Pontifex Vrbis, & Orbis salutatus, primam statim electionis diem, innocentissimi sanguinis gloriosissima purpura insignem reddidit, à Cincio Frangipane, pugnis, & calcibus percussus, & tanquam brutum animal, intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentatus, per capillos, & brachia tractus, & captiuus ad domum nefarij Principis perductus; quem tamen mox ciues in libertatem vendicarunt; cum vix ereptus, à Cæsare Henrico pari scelere appetitus, ægrè in patriam Caietam euasit. Romam reuersus, iterum Frangepaniorum manus vix euasit, & quod vndique appeteretur, in Galliam se denique recepit, summa fidelium gratulatione ibidem exceptus. Meruit, breui licet Pontificatu, plurimum de Ecclesia Gelasius, & quatuor Concilijs celebratis, ea inter duo in Germania conuocari voluit, & afflictissimæ patriæ nostræ consulere laborauit.

Initiat Pontificatũ proprio sanguine.

Germaniæ consulit.

Demum Concilio Viennensi cum ipse interfuisset, & illud magno Ecclesiæ bono felicissimè absoluisset, ad Sanctissimum Cluniacense Archisterium delatus, postquam prouido mentis intuitu Ecclesiæ mira industria, & charitate prospexisset, inter perfectissimorum Monachorum agmina fortunatissimo obitu decessit, à sanctitate, continentia, doctrina, ac dicendi elegantia, quæ tunc temporis pro miraculo habebatur egregiè commendatus. Eum insigni Encomio honorat his verbis Cardinalis Baronius: *Post Martyres*, inquit, *qui fuso sanguine Martyrium consummarunt, haud facilè inter Romanos Pontifices, aliquem quis inuenerit, qui breuiori vitæ tempore, maiora sit passus, ob idque præclariori Corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconijs celebrandus &c.* Præfuit menses solum vndecim, diesque sex, & viginti, sepultus in Cœnobio Cluniacensi A. C. 1119.

Prouidus mentis eius intuitus.

Encomium dignissimũ.

CALLISTVS II. PAPA.

Callistus II. Guido anteà vocatus, Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, ex Monacho Monasterij Falleritani Congregationis Cluniacensis, & Archiepiscopo Viennensi, ad summam

Callistus II. Papa.

mam in terris Cathedram subuectus, sui electionem per visum quoddam mirè præcognouit, cum proxima electioni nocte, sibi à præpotente quadam persona, lunam sub chlamyde repositam committi vidisset, ne causa Ecclesiæ transitu Apostolici pericli- taretur. *Quod magis magisque perspicuum*, inquit Baronius, *euenta reddiderunt: siquidem diuturnum bellum ob Inuestituras conflatum, diu multumque Ecclesiam fatigans, & lacerans, cedente tandem Imperatore, ab eodem Callisto Papa felicissimè compressum est.* Vt hac vna re, si nulla alia satis celebratus tantus hic Pontifex noster videatur. Sed & ante Pontificatum, tanti idem est habitus, præsertim cum sub Paschali II. Legatione Apostolica fungeretur, vt MAGNVM TEMPORE SCHISMATIS CATHOLICAE ECCLESIAE FVISSE PROPVGNACVLVM celebretur.

Prauidet Pontificatū.

Encomium.

Aliud perinsigne.

Vix adita suprema dignitate, maximi animi statim indicia prodidit, & Rhemos indicens Concilium, de iuuando labente in præceps orbe, plurima vtilissimè decreuit; mox Ecclesiam magno, vt labore sic fructu perpurgare aggressus, grauissimos errores sustulit, Ecclesiæ rebelles compescuit, ipsum denique Cæsarem ad officium reuocauit, permouitque. Tum Concilium Generale Romę cogens Ecclesiasticam disciplinam restaurauit, sed & aliud eodem anno per Germaniam indicens, Vvormatiæ nimirum, sic demum Imperatorem flexit, vt electionibus Episcoporum sponte renunciaret. Eidem DEVS pro tantis meritis etiam in hac vita gratias plurimas contulit, easque inter, plurimis in Oriente contra Saracenos victorijs beauit. Decessit magnus reuera Pontifex A. C. 1124. *Cuius memoria*, inquit Cæsar Cardinalis, *summa cum benedictione in Ecclesia Catholica perseuerat. Vtpotè Sanctissimi Pontificis, cui DEVS dederit, tam breui tempore adeo gloriosa peragere, Ecclesiamque Imperatorum Tyrannide, seruitutis iugo depressam, VINDICARE IN PERPETVAM LIBERTATEM.*

Ecclesiæ Reformator.

Imperatores flectit.

Eius de Saracenis triūphi.

Encomium illustre.

INNO-

INNOCENTIVS II. PAPA.

Innocentius II. Papa.

INnocentius II. Gregorius ante vocatus, familia illustri de Papa, Ioannis filius, ex Abbate Sanctorum Nicolai, & Primitiui S. R. E. Cardinalis à B. Vrbano II. creatus, mortuo Honorio II. in B. Petri Cathedram euectus, eam maximis, & ipse meritis demeruit, & connitente inprimis Mellifluo Doctore nostro Bernardo, grauissimum schisma propulsauit, Lothariumque Germaniæ Regem, importunius pro Inuestituris sibi restituendis instantem, eiusdem Bernardi opera, magna cum Ecclesiæ, tum Germaniæ vtilitate, & Clero conciliata auctoritate deterruit; multaque in veneratione deinceps ab eodem Imp. habitus, cum ipso Generale colloquium de statu Ecclesiæ, atque Imperij in Roncalijs habuit.

Schisma profligat.

Imperio cõsulit.

Pari diligentia ác sollicitudine Galliarum Regnum iuuare aggressus, idem per seipsum lustrauit, & reformauit, ab omnibus summa veneratione exceptus, solis Nouiomensibus, derisorijs ipsum verbis contemnentibus, qui statim, vlciscente Numine, prodigioso incendio pœnas dederunt. Celebrauit plura Summo Ecclesiæ bono Concilia Innocentius noster, & præter atrocissimum schisma, Arnaldistarum pestilentissimam Hæresim orbe eliminauit. Obijt A. C. 1143. plenus meritorum, & reddita inprimis Ecclesiæ pace æternum celebrandus.

Vindicta cœlestis in eius contemptores.

Arnaldistarũ Heresim opprimit.

BEATVS EVGENIVS III. PAPA.

B. Eugenius III. Papa.

BEatus Eugenius III. ex Abbate S. Anastasij in Vrbe, Pontifex creatus, æternum sibi nomen, & Ecclesiæ decus præclarè gestis conciliauit. Eius Pontificatus initia, illustrissima, Armeniorum conuersio, reddidit. Sed & sacrum bellum, quod ipse ingenti molitione, concitatore Diuo Bernardo nostro, contra infideles indixit, maximum eius animum propagandæq; Fidei zelum orbi prodidit.

Armeni cõuersi.

Bellum sacrum.

Neque Sarracenos solum in Oriente appetere satis habuit, pari feruore aduersus Boreales Paganos populos expeditionem

susce-

suscepit, & quantis potuit modis, Christi, & Ecclesiæ ditionem augendo intendit. Concilia aliquot celebrauit, è quibus Rhemense inprimis Reipubl. Christianæ mirificè profuit, in quo Eudonis maximè pestilentissima Hæresis, & præstigiæ proscriptæ sunt; sed & Principum maximorum inter se grauissimè diffidentium causæ cognitæ, & plurimorum bellorum fœdissima incendia consopita. Decessit ingenti omnium cum luctu tantus Pastor Ecclesiæ A.C. 1153. insigni miraculorum gloria à Numine post mortem illustratus.

Cōcilio Rhemensi plurimū prodest Ecclesiæ. Pacis conciliator.

ANASTASIVS IV. PAPA.

Anastasius IV. Papa.

ANastasius IV. Conradus antea vocatus, Benedicti de Suburra Romani Nobilis filius, ex Monacho, & Abbate S. Rufi Veliternæ Diœceseos Orbis Pontifex salutatus annum vnicum, & menses insuper quatuor præfuit, quo tam breui tempore, si nulla re alia, vitæ tamen exemplo dignissimè præfuit, & plurimum profuit, cum ab alijs virtutibus, tum ab insigni liberalitate commendatus, qua verum se pauperum patrem comprobans, & verè Pastorem bonum, affligente maxima fame Europam, effusè egentibus subuenit, & dignissimo exemplo, quo conferendi thesauri Pontificij essent, omni successorum posteritati ostendit.

Egregio vitæ exēplo pluri mū prodest.

HADRIANVS IV. PAPA.

Hadrianus IV. Papa.

HAdrianus IV. Nicolaus Breackspeer antea vocatus obscurissimis parentibus editus, patrem Robertum habuit, Monachum postea in Diui Albani professum, quo cum ibidem aliquot annos degens, Abbas demum S. Rufi effectus, ab Eugenio III. Sacro Cardinalium Collegio adlectus, summum denique Pontificatum meruit, eumque præclarè gestis insignem reddidit. Fuit terribilis admodum Hæreticis atque Schismaticis, Apostolico zelo, iam ante Pontificatum, commendatissimus, quo Daniam ac Norvvegiam magna ex parte Christo, & Eccle-

Terribilis Hæreticis Schismat.

Ecclesiæ lucrifecit. Idem Romanam vrbem seditionibus pessimè agitatam, composuit, ciuesque in gratiam recepit. Idem Hæresiarcham nequissimum Arnaldum, Vrbis Orbisque perturbatorem, ab Imperatore (cuius castra sequebatur) extorsit, & flammis tradidit. Idem Græcos sæpè, scissura diuisos, ad Sacræ Rom. Ecclesiæ sinum, & communionem adducere multum laborauit. Idem Gulielmum Siciliæ Regem Ecclesiæ Rom. oppida diripientem, sacris interdixit, & cætu fidelium exclusit, nec non Regno deiecit. Idem Apostolicæ Sedis dignitatem magnopere amplificauit, & plurima alia præclarè gessit, plenusque meritorum Christi anno 1159. vitam hanc exuit, maximique nominis in terra memoriam reliquit.

Vir verè Apostolicus.

Merita eius perinsignia.

Pontificiæ dignitatis assertor.

ALEXANDER III. PAPA.

Alexander III. Pontifex Maximus, Senensis patria, olim Rolandus appellatus, Raynutij Bandinelli filius ex Canonico Cathedralis Pisanæ Ecclesiæ Monachus Claræuallis in Lombardia Cœnobij, cum & morum, & eruditionis laude præstaret, S. R. E. Cardinalibus accensus, ab Eugenio tandem tertio Cancellarij eminentissimo gradu sublimatus, Adriano mortuo, Summi Pontificatus apicem conscendit, quanto maiore temporum difficultate, tanto euidentiori maximi animi, & egregiæ virtutis comprobatione, toto orbe spectatus. Obnixus est, incredibili constantia immensis fluctibus Alexander noster, &, quod mirandum, de Cæsare demum, deque quatuor atrocissimis bestijs, Schismaticis nimirum Pontificibus, Octauiano de Monticello, Guidone de Crema, Ioanne à Strumia, & Laudo siue Lando gloriosissimè triumphauit; & supplice ac prostrato ad pedes Friderico Cæsari gratiam, orbi, & Ecclesiæ quietem tanto post reddidit.

Alexander III. Papa.

Eius spectatissima virtus.

Quatuor bestias profligat.

Romæ celeberrimum conuocans Concilium reformandæ Ecclesiæ diligentissimè intendit, & multa sanctè instituit. Fuit summo in honore longè humillimus, in egentes, & iuratissimos insuper hostes beneficus. Octauiani Antipontificis mortem, Dauidis exemplo multum deplorauit, & exultantibus Patribus

Concilium Romanum.

In hostes pietas.

purpuratis, haud leuiter succensuit, cuius mortem, & tempus mortis prophetico spiritu prædixisse memoratur. Et quamuis tantus esset, reperere tamen crudelissimi illi exactores Dæmones, quod rectam eidem ad cœlos semitam retardaret, nisi Apostolorum Principes, Diuique Gregorius I. & Isidorus nostri interuenissent, & exorata magnæ etiam MATRIS ope, rectà deduci ad superum gaudia Alexandrum suum ab æquissimo iudice impetrassent. Quod ipsum Beatæ memoria Marcus S. Isidori Legionensis Canonicus mira visione in Hispanijs conspexit, ipsaque die ac hora quibus decesserat Alexander Canonicis fratribus suis prodidit. A. C. 1181.

A Deipara mirè eripitur.

SANCTVS GREGORIVS VIII. PAPA.

S. Gregorius VIII. Papa.

GRegorius VIII. Albertus antea vocatus, natione Samnis patria Beneuentanus, familia de Mora nobili, & honorata ortus, summæ perfectionis eruditionisque laude celeber, ab Adriano IV. Cœnobio extractus, insignem statim operam Ecclesiæ nauauit, & Sacro Senatui accensus denique DEO benè iuuante Vrbano III. extincto Cathedræ Diui Petri insigni omnium gratulatione impositus, breuissimo, duorum solummodo mensium Pontificatu, magnanimitatem tamen suam, zelum ac pietatem, non vno argumento vniuersæ posteritati prodidit, à celeberrimi nominis scriptoribus summè commendatus, asserere non dubitantibus, eò acriorem diligentioremque Pontificem creari non potuisse.

Zelus & pietas eius.

Hierosolymam sub antecessore à Saladino recuperatam, vt reciperet, Sacrum summa contentione bellum indixit; efferuescentia passim inter Christianos odia, & metuenda admodum bella, composuit, pacem denique, & armorum depositionem tota Europa ad integrum septennium promulgauit. Decessit in medijs conatibus expeditionis Sacræ Pisis, quo se Ferraria relicta, ad negotia Cruce signatorum maturanda ipse contulerat; cuius morte CLARISSIMAM ORBIS LVCEM EXTINCTAM Ciaconius asseuerat, viri non tam ab eruditione singulari ac facundia, quam vitæ sanctitate plurimum

Hierosolymi recipere laborat.

Encomium insigne.

mum commendati. Mortuus est A. C. 1187. & in Cathedrali Pisana tumulatus.

BEATVS GREGORIVS IX. PAPA.

B. Gregorius IX. Papa.

Beatus Gregorius IX. olim Vgolinus ex Comitibus Signię oriundus, vti genus, longo quidem sæculorum decursu ad Sanctissimum Patriarcham nostrum retulit, sic eidem nouo iure in cucullo se se deuouit, ex quo, pro vitæ meritis ad summa Ecclesiæ negotia expetitus, ex Diacono Cardinale S. Eustathij, Episcopus Ostiensis, & Veliternus, summam denique Cathedram conscendere meruit, & orbem, vt maiestate, sic beneficijs maximis impleuit, & demeruit.

Pulsus ad SS. Sacram. & salutatio nē Angelic.

Paucissima è plurimis commemoramus: Eius primum iussu campanæ sonitus, cum ad consecrationem in SS. Missæ Sacrificio, tum ad salutationem Angelicam, per Ecclesiam, & orbem terrarum vniuersum institutus fidelium pietatem, & reuerentiam tam ad venerandum Christi corpus, quàm Admirabilis Matris electionem, & gratiam suspiciendam, & colendam mirè induxit, & concitauit. Idem Fridericum Imp. & reliquos Europę Principes ad sacrum bellum potenter erexit atque accendit. Eumdem Cæsarem, minus Ecclesiæ deuotum atque addictum admirabili constantia officij commonefecit, & surdum diris deuouit, & Imperio deiecit. Idem Perusinos aliosque inter se dissidentes amicè composuit, & magno periculo vicinos liberauit. Idem Hannibalinam Hæresim felicissimè oppressit; Vrbem ad officium reduxit. Idem perinsigni de sacris familijs merito SS. Dominicum, & Franciscum, illum Prædicatorum, illum Minorum Institutores, Beatos item, Antonium de Padua, & Elisabetham Reginam Sanctorum albo adscripsit, & Canonizauit. Factionibus item Guelphorum ac Gibellinorum inualescentibus obnixus, pessumeunti Romæ atque Italiæ occurrit, ad Sacrum potius bellum rebelles diffidentesque induxit. Decessit Romæ tantus Ecclesiæ Pastor A. C. 1241. ingenti apud omnes sui relicto desiderio.

Sacrum bellum.

BEATVS INNOCENTIVS IV.

B. Innocentius IV.

BEatus Innocentius IV. olim Sinibaldus Fliscus, ex Lauaniæ Comitibus oriundus, Obizonis filius, Genuensis, Ligur, ob egregiam Diuini humanique Iuris cognitionem ex Monacho S. Benigni Fructuariæ, Purpuratorum Patrum collegio adiunctus, & Presbyter Card. Tit. S. Laurentij in Lucina à Gregorio IX. creatus, cum eximia insuper emineret vitæ sanctitate, turbatissimis Reip. Christianæ temporibus, ad eam summa cum potestate gubernandam, Pontifex Maximus salutatus est.

Eum infensissimus licet Ecclesiæ Rom. Fridericus II. Imp. Cardinalem plurimum dilexit, & Pontificem reueritus est, de cuius electione cum audisset: Amicissimum se Cardinalem Sinibaldum perdidisse, iuratissimum autem hostem Innocentium nactum esse, disertè edixit; quod ipsum paulò post euentus docuit; cum Innocentius Iura Ecclesiæ maximo animo tueretur, & Cæsarem ijs cedere renuentem diris denuò deuoueret, & regno exueret. Concilio Generali Lugduni celebrato, multa æternum orbi profutura decreuit, & Sacrum denuo bellum indixit, cui Ludouicum Galliarum Regem præficiens, CHRISTIANISSIMI Titulum, iam olim à nostris ijsdem Regibus concessum, aliquamdiu intermissum, reddidit, eorumdemque successoribus perpetuum voluit. Galerum purpureum S. R. E. Cardinalibus attribuit, & pro insigni quasi assignauit, cuius sanguineo colore notare se asserebat: *PARATOS ESSE DEBERE, PRO REPVBL. CHRISTIANA, ET LIBERTATE ECCLESIASTICA AD SVVM ETIAM SANGVINEM PROFVNDENDVM.*

Purpureum Galerũ Cardinalibus tribuit.

Idem Regnum Neapolitanum Pontificij solij Imperio adiecit, & tanta accessione Patrimonium S. Petri adauxit. Idem Tartaros, ad communionem Fidei, & Christiana Sacra vocauit, suaque industria omnes orbis prouincias lustrauit atque curauit. Idem Cruciferorum Ordinem approbauit, Edmundum Cantuar. Vvilhelmum Briocensem, & Stanislaum Cracouiensem Pontifices Sanctorum albo adscripsit. Idem Deiparæ ho-

Neapolitanum Regnũ Ecclesiæ adijcit.

ræ honorem summo studio promouit, cuius Octauam Natiuitatis per Vniuersam Ecclesiam instituit. Ordines Prædicatorum,& Minorum, multis modis demeruit, propagauit, iuuit, ac fouit. Summa in orbis cura, de studijs nihil remittens, ijs orbi vniuerso mirè consulere laborauit, & consuluit; Commentarios in Decretalium libros, vulgo Apparatum Sacrum, Nouellas, aliaque vtilissima scripsit, & edidit, Titulo longè dignissimo, PATER IVRIS, iure merito appellatus. Decessit multis alijs meritis longè meritissimus Pontifex A. C. 1254. ab vniuersis fidelibus diu multumque deploratus.

Deiparam colit.
Ordines diuersos fouet.
Pater Iuris appellatur.

ALEXANDER IV. PAPA.

Alexander IV. olim Raynaldus Comes Signiæ Philippo patre natus, ex seris Sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI, sanguinis Anicij nepotibus, Monastica autem professione, & virtutis æmulatione eiusdem filius, ob insignem, & virtutis, & eruditionis famam à Gregorio IX. Sacro Cardinalium Senatui adscriptus, mortuo demum Innocentio IV. successor designatus, maximo quamprimum animo arduos Ecclesiæ labores aggressus est, constantia inprimis, & vigilantia enituit. Manfredum Siciliæ Regem Friderici II. filium, paterni sceleris impiè æmulum, à rapina rerum Ecclesiæ abstinere monuit, contemnentemque publica in concione Anagniæ Sacris interdixit; & quamuis variè vexatus, alios tamen etiam tyrannos animosè persequi non dubitauit. Verus fuit pauperum pater quibus liberalissimè subuenit; Hæreticorum osor iuratissimus, libros eorumdem proprijs manibus exussit; & vt erat vigilantissimus, pestilentissimam *de statu gratiæ* Hæresim quandam in ipso ortu felicissimè extinxit.

Alexander IV. Papa.
Ex sanguine S.P.N.
Constantia eius.
Pauperum pater.
Pestilentissimã Hæresim obterit.

De litterarum item studijs meritissimus, litteratos plurimum coluit ac promouit; Vniuersale studium in Regno Nauarræ Tudelensi in oppido, magno eius Regni commodo instituit. Ipse etiam à studijs quibus cultissimus erat numquam ne Pontifex quidem omninò remisit, verum ingenij semper aliquod monimentum relinquere laborauit. Vitæ tamen maximè san-

De studijs litterarum meretur.

ctitate

ctitate Petri Cathedram exornare contendit. De diuersis sacris Ordinibus, benè meruit; Eremitarum S. Augustini Institutum confirmauit, eidemque alias quasdam Eremitarum Congregationes adiunxit. Pacis conciliandæ studiosissimus fuit, & factiones Guelphorum ac Gibellinorum nouis incrementis auctas diligenter consopiens, Venetos demum Liguresque inter se grauissimè diffidentes, per seipsum componere conatus, tam sancto conatui immortuus Viterbij decessit A.C. 1261.

Italiā graui periculo liberat.

VRBANVS IV. PAPA.

Vrbanus IV. Papa.

VRbanus IV. Trecis humili natus genere, patrem Panthaleonem sutorem veteramentarium habuit. Verum ingenij acumine cum mirè excelleret, Parisios studiorum gratia missus, omnium artium cognitione instructissimus, Theologicis Canonicisque studijs exercitatissimus euasit. Inde ad varios honores expetitus, præter omnem ex humili emergentium consuetudinem, honorum omnium contemptu enituit, Monachumque in Monasterio Fossæ Nouæ professus, magnæ eruditioni, magnas virtutes addidit, ob eas ad Virdunensem Cathedram Cœnobio extractus, postea Ierosolymorum, ac denique Pontifex Maximus renunciatus. Fuit & ipse cum ante, tum in Pontificatu Pacis Côciliator felicissimus, iam olim eo nomine, in Germaniam, Prussiam, Pomeraniam, Liuoniam missus; de Imperio alijsque Regnis ac prouincijs meritissimus. Idem de propaganda Fide plurimum sollicitus, insignem contra infideles exercitum Cruce signauit, & memorabilem inprimis de ijsdem, non sine Numine, victoriam innumeris penè hostium cæsis, retulit, cum Perceuallus eorum Imperator Patrimonio S. Petri iam immineret, in modicæ aquæ transitu mirè mersus, neque vspiam deinceps visus.

Humillimus.

Pacis conciliator.

Imperium demeretur.

Insignis victoria.

Sed & de Oriente mereri aggressus, missis Constantinopolim ad Imperatorem Legatis, Græcos in fide instrui curauit, & à Palæologo Cæsare Orthodoxam Fidei Confessionem, sibi exhiberi impetrauit. Obstrinxit, & alijs plurimis beneficijs orbem, quæ inter festiuissimum illud Sacratissimi Corporis Christi

Orienti consulit.

Christi Festum, per vniuersam Ecclesiam celebrari instituit, & immortali in terris comparato nomine mortalibus valedixit A. C. 1264. Perusij vbi excesserat in Cathedrali Ecclesia sepultus.

Festū Corporis Christi instituit.

SANCTVS CÆLESTINVS V. PAPA.

SANCTVS CAELESTINVS V. olim Petrus de Morono, ob admirabilem vitæ sanctitatem, ex Abbate Maiellano cum grauissimè in electione dissiderent Cardinales, à Latino Ostiensi Episcopo nominatus, attonitis ac mox consentientibus vniuersis Pontifex salutatus, frustra deprecatus obnixusque, è fuga denique admirabili populi studio ac gratulatione retractus, inuitus, & mœrens solemnissimè inauguratus est, ad cuius coronationem plus quam ducenta mortalium millia confluxisse memorantur. Cuius asellum, quo ipso coronationis die, Christi exemplo humillimus Summus Pontifex vsus fuerat, cum impositus eidem contractus quidam ascendisset, prodigiosè statim curatus est.

S. Cælestinus V. Papa.

Mirū populi studium.

Præfuit vix totos quinque menses, & nequicquam reclamante Carolo Rege, & Neapolitanis exemplo ad eam diem inaudito, stupentibus vniuersis, Pontificatu se maximo abdicans, manifestè probauit; quam extra ambitionem veri Monachi viuerent, quantoque cucullum summis honoribus, imo summorum honorum supremo apici anteferrent. Eum Bonifacius successor, metuens ne denuo eligeretur, carceri inclusit, tanto quacumque duceretur populi concursu facto, cum sibi Pontificem deposcentis, vt concubia solum nocte iter instituendum esset. Euolauit Sanctissimus captiuus ad immortalia regna decimo captiuitatis mense, ob admiranda prodigia, & testatissimam sanctitatem, Diuorum albo adscriptus. Cuius Sanctissima Ordinis nostri Congregatio, prodigiosæ sanctitatis viris ad hanc vsque ætatem nostram, ingens Europæ nostræ decus conciliauit.

Summo Pontificatu se abdicat.

Carceri includitur.

Moritur & Canonizatur.

BEA-

BEATVS BENEDICTVS XII. PAPA.

B. Benedict. XII. Papa.

BEatus Benedictus XII. olim Iacobus Furnerius, ex Abbate Montis Frigidi, S. R. E. Cardinalibus accensus, Pontifex demum Orbis mirabili præsagio renunciatus, cum animi demissione mirè excelleret, succensens eligentibus, in hæc verba prorupit: *Asinum elegistis*. Verum dignissimum Christi Ecclesia caput electum, ingentibus statim meritis comprobauit, & quod in visione quadam Episcopus quidam cognouerat, velut immundissimum stabulum orbem perpurgauit, & quod nemo antecessorum ausus esset, nihil Reges potentissimos, nihil Principes, nihil tot Regnorum Antistites reueritus, omnes omninò COMMENDAS, ET COMMENDATARIOS, aliosque eiusmodi Titulos è DEI Ecclesia proscripsit, Auaritiam à Curia Romana mira industria orbisque summa gratulatione exclusit, pluralitatem beneficiorum sustulit, Imperio vniuerso, Galliæ item alijsque Regnis mirè consuluit, Clerum reformauit, Episcopos ad explenda veri Pastoris munia compulit, Ordines diuersos reformauit; populum Romanum, vt Senatoriam tandem dignitatem, quam diu Regio nomine gesserant; vt Ecclesiæ auspicijs susciperent atque administrarent persuasit; Ludouicum Bauarum Imp. ad saniora reuocare, pacem inter Reges Galliæ, atque Angliæ conciliare plus quam paterno affectu laborauit.

Eius humilitas.

Commēdas prohibet.

Ingentia merita.

Exercitum præterea contra Reges Marrochiorum, & Granatæ conscripsit, & cruce signauit, de quibus prodigiosissimam victoriam, cæsis captisque hostium quadringentis millibus, retulit. Idem magnus reuera Pontifex fœdissimam Fratricellorum Hæresim obtriuit, Simoniacos compescuit, & incredibili constantia, contra Reges Bohemiæ, & Angliæ pro libertate Ecclesiastica consurgens, eos à fidelium communione remouit. Ipse etiam Armeniam ad gremium Ecclesiæ vocauit, Apostolos in Tartariam destinauit, libertati Ecclesiæ mille modis consuluit. Obijt vir Sanctissimus A. C. 1342. Restitutoris Ecclesiarum titulum merito indeptus, cum paulo ante mortem, grandi item merito Pœnitentiariæ officium mira industria reformasset.

Hæresim euertit.

Armeniam, & Tartariam curat.

CLE-

CLEMENS VI. PAPA.

CLEMENS VI. olim Petrus Rogerij, ex Fiscanensi Abbate, Arelatensis, mox Senonensis, dein Rotomagensis, tum S. R. E. Cardinalis Episcopus, Pontifex denique Maximus creatus, eam dignitatem summa cum Ordinis gloria, Orbis emolumento dignissimè gessit, nomenque suum immortalibus meritis ad omnem posteritatem commendauit. Pontifices inprimis successores demeritus, insigne Palatium Pontificium Auenione construxit. Dehinc Imperium vniuersum iuuare aggressus, Ludouicum Bauarum pessimè meritum, frustra commonitum diris deuouit, & Imperio deiecit, aliumque eligi Cæsarem præcepit. Is opera Clementis electus est Carolus IV. Bullæ Aureæ auctor, vt eius quoque vtilitas ad Clementem nostrum referenda videatur. Indignum dein ratus Pontifices Romanos alieno in fundo habitare, Auenionensis Vrbis Dominium, ab Ioanna Regina dignissima emptione Romanæ Ecclesiæ ditioni addidit, auctoritatique Pontificiæ extero in Regno haud leuiter consuluit.

Clemens VI Papa.

Eius de successoribus meritum.

Item de Imperio.

Rursum de successorib.

Pestifera lue totum orbem occupante, cum vix decimus quisque ex mille mortalibus superesset, magna pietatis Christianæ admirandaque opera Clementis nostri erga infectos fuere, vt qui legat, tantam in tanto Pontifice filiorum curam, in pauperes inprimis propensionem profusionemque, magnopere admiretur. Illud inter præcipua Clementis planè maximum celebratur: IVBILAEVM PLENAE REMISSIONIS, centesimo quoque anno institutum, ad QVINQVAGESIMVM, magna omnium fidelium lætitia, atque incomparabili cum vtilitate reduxisse, quod vitæ mortalium communis ferè breuitas, tantæ gratiæ participio plerosque excluderet. Mortuus est lectissimus Ecclesiæ Pastor, & pauperum pater A. C. 1352. relictis non paucis præstantis ingenij monimentis.

Eius pietas.

Iubilæū ad 50. annum.

Pauperum pater.

BEATVS VRBANVS V. PAPA.

B. Vrbanus V. Papa.

BEatus Vrbanus V. olim Guilelmus Gabalus à Grisacio, Grimoardo viro inprimis nobili, patre, pari nobilitate matre Amphilisia, sanctitatis opinione celebri, in oppido, & castro paternæ ditionis Grisacio natus est. Omnibus disciplinis instructissimus, cum maximi ab omnibus fieret, cucullum exambijt, quod in Mimatensi amplexus Cœnobio, numquam in omni deinceps, vita nec in summo quidem orbis Pontificatu exuit. Per viginti postea annos Ius Pontificium, & sacras litteras professus, celeberrimus euasit, inde ad varios honores expetitus, Antisiodorensis primum Abbas, mox Diui Victoris Massiliæ ab Innocentio VI. creatus, grauissimis dein pro Ecclesia Legationibus functus, Pontifex demum Maximus, non siue Numine renunciatus est.

Cucullum quanti faciat.

Eruditio singularis.

Quippe Casinum forte cum ex Legatione diuerteret, & sanctitate loci captus, Episcopos quosdam Commendæ titulo Archisterio illi incubare plurimum doleret, mirabili quodam impulsu, se voto adstrinxit, siquidem destinatione Numinis Vicariæ Petri vices in terris aliquando sibi obtingerent, oppressionem se loci illico subleuaturum. Dictu mirabile! Delati sibi summi honoris diem eumdem fuisse, quo votum hoc vouerat, (quamuis Cardinalis non esset) qui ab Sacro Senatu Legati occurrebant, retulerunt; cuius accepti beneficij non immemor Vrbanus, vix adito honore, depulso Commendatario, ipse Abbatis sibi Casinatis titulum cum Summi Pontificis honore assumpsit, & quatuor annos gessit, quoad sacro loco plenè prospectum esset, & dignus tanta præfectura Antistes circumspiceretur.

Votum eius mirabile.

Eligitur miro modo Papa.

De Ecclesia dehinc vniuersa sollicitus, eidem omnimodo consuluit, insignique felicitate ac merito, Pontificiam maiestatem, quod nemo antea ausus, tanto tempore exulem Italiæ atque Romæ restituit, & huic antiquum, & princeps decus, imo sibi seipsam reddidit, Sedemque vel per Legatos solum, sæpè à tyrannis occupatam, summo omnium cum applausu recepit, Vaticanum Palatium restaurauit ac exornauit, eam ad rem opera pau-

Ingētia merita explicantur.

Romam sibi reddit.

ra pauperum vſus, quorum octingentos, & mille aliquando alere conſueuerat. Cui gratulaturus felicem, & glorioſiſſimum ad Vrbem reditum Carolus IV. Imp. cum vxore, & liberis, eo ipſe aduolauit, ac Stratoris officio exhibito, Sacris operanti Diaconus adſtitit. Neque ea ſolum Occidentis ſubmiſſione felix noſter Vrbanus fuit, ſed & Orientis Imperator Ioannes Paleologus, pari demiſſione, & ipſe Romam vſque occurrit, & ſupplex Vrbano, eam quam Romana docet Eccleſia, fidem, *Et Spiritum S. à Patre Filioque procedere, Romanumque Pontificem, ſummum Dominici Gregis Paſtorem, Caput, & Magiſtrum publicè profeſſus eſt.*

Ipſi gratulatur occidens.

Submittit etiam ſe Oriens.

Ad purgandam dein Eccleſiam conuerſus Vrbanus, ambitioni fœdiſſimæ Clericorum frænum induxit, PLVRALITATEM BENEFICIORVM ſuſtulit, quemque in Eccleſia propria reſidere coegit, luxum veſtium coercuit. De re litteraria item meritus, alter Bononienſis Vniuerſitatis, bellorum cladibus proſtratæ, Fundator extitit. Idem, rara felicitate, indictis ſolemni ieiunio, & Litanijs, Principum Apoſtolorum capita inuenire meruit. Idem ſacratæ ceræ vſum AGNVM DEI vocant, multis ſæculis intermiſſum, inexplicabili beneficio reuocauit. Idem de plurimis Sacris, & nouis Ordinibus optimè meruit, S. Brigittæ nimirum, S. Hieronymi, Patrum Ieſuatorum, & Montis Olíueti Inſtituta confirmauit, fouit, & propagauit.

Pluralitatē beneficiorū tollit.

Agnum Dei eiuſq; vſum reintroduxit.

Innumeris denique meritis glorioſus Sancto fine deceſſit, anno ætatis 61. Chriſti 1370. vir verè Virgineus, Virginem moribus, vultu, vita, imo Angelum præſeferens, nec ad extremum vſque anhelitum cucullo ſe ſuo, & veſtibus exſpoliari paſſus, ſuprema iuſſione, & voluntate, in ſuo S. Victoris Cœnobio, inſigni pompa, & comploratione ſepultus, quem inſignibus deinceps miraculis Numen honorauit, ita vt de Canonizatione eius non ſemel ageretur.

Virgineus Pontifex.

Miraculis clarus.

GREGORIVS XII. PAPA.

GRegorius XII. olim Angelus Corarius, patria Venetus, ſingulari eruditione, nec non generis nobilitate, ſed

Gregorius XII. Papa.

eximia super omnia vitæ sanctitate commendatissimus, tantis titulis, & ante, & in Pontificatu, sed eo inprimis supra quam explicari possit, de orbe vniuerso, præclarissimè meruit: Cum enim fœdissimo ac perniciosissimo Schismate, Ecclesia Dei plurimis annis, grandi cum infidelium scandalo, fidelium detrimento, atque plurimorum mortalium exitio, miserandum in modum laceraretur, tribus nimirum de Orbis Summo Pontificatu contendentibus; Patribus in Concilio Constantiensi celeberrimo congregatis, diu multumque de tollenda tam perniciosa vniuersæ Ecclesiæ controuersia laborantibus, Gregorius noster, vt laboranti matri succurreret, suoque tam illustri exemplo, idem quoque faciendi Ioanni, & Benedicto Romanæ Sedis peruasoribus auctor esset, supremo, & ad quem legitimè vocatus, eo dignissimus, ascenderat, honori renuncians, noui legendi Pontificis copiam Patribus fecit. Tanto magis, æternis sæculis illustrissimo insolentis meriti ab exemplo commendandus, quanto difficilius erat (quibusdam de abdicatione eiusdem plausum sibi ex inuidentia tanti honoris concitantibus, alijs insuper, vt abdicaret vrgentibus) hostibus gratum facere, quam propria spontè abdicare, plurimis, quasi coactus, & velut illegitimus renunciasset sibi persuadentibus, quem nisi volentem nulla potestas, nulla Concilij auctoritas deturbare potuisset. Fuisse virum præter summam eruditionem Sanctissimum, sexcenti tradidere, vnde, & ante Pontificatum summis honoribus perfunctus, primum Episcopus Castellanus, mox Chalcidensis, dehinc Patriarcha Constantinopolitanus, Legatus postea à Bonifacio IX. ad componendos Regni Neapolitani motus, rursum Picena etiam Legatione ornatus, absenque Cardinalis Tit. S. Marci creatus, demum Consiliorum Papæ intimè particeps, eo mortuo magno bonorum plausu in honore successit, eo taliter, vt diximus, postea resignato, multo magis meritus magis gloriosus, quam quisquam deinceps suscepto, & administrato. Creatus est post abdicationem à Concilio, S. R. E. Cardinalis Episcopus Tusculanus, Collegijque Apostolici Decanus, ac Piceni perpetuus Legatus, & vitæ reliquum summa quiete, & sanctitate, felicius multo, quam suprema illa in specula transigens, non multo post, ante quam Martinus V. eligeretur valedicens

Schisma miserandum.

Memorabile Gregorij factum.

Ingens meritum.

Sanctitas vitæ.

Honores ei°.

Gloriosior abdicato Pontificatu quam aly suscepto.

Moritur.

morta-

mortalibus ad felicem æternitatem emigrauit, dilata eousque noui capitis, non sine Numinis voluntate, electione, ne Gregorio superstite, etsi abdicato, alius Pontifex eligeretur. Et hos quidem, pluribus alijs intermissis, Pontifices Romanos, ex Ordine nostro assumptos, referre placuit, vt qui de Romanis antea Cæsaribus, de Pontificibus item, principe loco inter Aquilæ nostræ pennas collocatis, & singularem sibi Aquilæ, & Imperatorum nostrorum PROTECTIONEM debitam, & DEFENSORVM ECCLESIAE TITVLO iuratam, iure deposcentibus, pro dignitate dignissimi in terris honoris, prolixius nonnihil ageremus, omni hac Pontificum tantorum gloria, vt in Ordinem nostrum, sic & in Imperium ipsum, supra omnia cætera eiusdem Aquilæ membra, redundante. Sed nunc de cæteris Sacræ Alitis, & primæ ac dextræ pennæ insignibus, breuiter agendum.

Nemo ante eius mortẽ electus.

Quare de Pontificibus egerimus.

ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS S. R. E. Elector Primus Germaniæ Archi-Cancellarius.

MOguntia Principem quam in Imperio habet gloriam felicitatemque, imo se ipsam, Archiduci atque Imperatori nostro BENEDICTO debet, sibi & Christo non semel restituta, seruata, aucta, ornata, Archiepiscopalibus coronata infusis, Electorali exculta cydari, Archicancellariatus per Germaniam amplissimo cumulata munere, innumeris ferè atque æternis beneficijs, à feris tanti Patris filijs ac nepotibus capta, & obligata.

Quantũ S. P.N. Benedicto Moguntia debeat.

A præcipua Moguntiæ, imo Germaniæ vniuersæ gloria, primo Moguntinensium Archiepiscopo, Maximo Germanorum Apostolo, Sanctissimo Bonifacio nostro, initium faciamus: Is sublimissimo Angliæ Regum ortus genere, contempta Regiæ maiestatis cognatione, Excestriense ingressus Cœnobium Vvolfardum, & Vvigbertum Abbates, Sanctissimæ vitæ Magistros habuit, quibus adeo se se ipse virtutum studio probauit, vt ipsissmet tantis viris, paulo post admirationi esset, eam, iuxta perfe-

Moguntia, & Germania princeps gloria S. Bonifacius.

Eius Magistri.

ctionis

ctionis Monachicæ laudem, in omni litterarum ſcientia exiſtimationem conſequutus, vt plurimi, tanta nominis eiuſdem fama illecti, ei ſe tradere erudiendos exambirent. Præclara, Monachus etiamnum, Legatione fungi coactus, vt Concilio tamen Anglicano, intereſſet, honorari & ſuſpici exhorreſcens, perſuaderi non potuit. Tanto autem magis celebratus, Religioſo humani fauoris faſtidio, patriam deſerens, in Friſiam contendit, illic Diuini Verbi ſementem facere allaborans, ſed obſtante Radbodo Rege cum nihil proficeret, reuerſus in Angliam, mortuo ſub id ipſum tempus Cœnobij ſui Abbate, ſucceſſor renunciatus, quos primum fugerat honores minimè effugiens, fugere nihilominus denuo conatus, Romamque profectus, à Beato Gregorio noſtro, ſecundo eius nominis Pontifice, longè maioribus honoribus oneratus eſt.

Honores mira diligētia vt fugiat.

In Friſia Chriſtum annunciat.

Abbas renunciatur.

Miſſus ab eodem in Germaniam, ſtrenuam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ operam nauauit, multa mortalium millia cœlo lucrifecit, prouincias celeberrimas, ab inſano dæmonum atque idolorum cultu auertit, diuerſiſsimas, & grauiſsimas Hæreſes, Ermvvolfi, Adalberti, Clementis, aliorumque mira felicitate profligauit, plurima per Germaniam Cœnobia, Xenodochia, Scholas, Eccleſias, æterna cum patriæ noſtræ vtilitate erexit, celeberrimos Epiſcopatus, rogata Principum, & Romani inprimis Pontificis auctoritate atque ope, inſtituit, eorumdemque limites, pro amplitudine ac neceſsitate prouinciarum diſtinxit, quibus inſuper Sanctiſsimos Epiſcopos præfecit, ipſe autem PRIMVS MOGVNTINENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPVS renunciatus, æternum Cathedræ illi, inter Germanas ſpectatiſſimæ, admirabili ſanctitate, & innumeris de Germania, de orbe Chriſtiano vniuerſo meritis, decus addidit. Idem plurima, annuente, & iubente Pontifice Maximo, Concilia, & Synodos celebrauit, vtiliſsimas Regnis ac Prouincijs Leges condidit, ac conſuetudines introduxit, antiquas, & deteſtandas abrogauit, barbariem ſuſtulit, libris ac viris eruditiſsimis Germaniam inſtruxit, eidemque plurimas, & celeberrimas Sanctorum Reliquias Roma impetrauit, & intulit, libertati ſubditorum, & ſubditorum mirè conſuluit, Principes DEI timore, Apoſtolicæ Sedis, & Sacerdotum reuerentia, æquitatis pietatiſque amore feliciſ-

Apoſtolus Germanorū cōſtituitur.

Gentiliſmū, & Hæreſes profligat.

Ingentia merita.

Concilia celebrat.

Primus Archiepiſcopus Mogunt.

Alia merita Magni Apoſtoli.

felicissimè imbuit, Sanctorum Monachorum tanta copia terras nostras beauit, vt nouum haud immeritò cælum diceretur; innumeris denique, & immensis laboribus, non Moguntiam solum suam tantopere à se cultam, ornatam, & exaltatam, sed Germaniam, sed Galliam, imo Ecclesiam vniuersam immortaliter demeruit, vt vix Annales Ecclesiasticos, tantarum rerum commemoratione fœcundos, quam vnius Bonifacij nostri ætate, & labore videamus, miremur, & toti stupeamus. In Frisiam denique conuertendæ Gentis studio delatus, cum multa eorum millia ad gremium Matris Ecclesiæ adduxisset, meritis tantis locupletissimus, Martyrij insuper laureola coronatus est propè villam Dockum A. C. 755. peregrinationis suæ quadragesimo. Cuius Sacrum Corpus, primum sibi Traiectenses vendicarunt, sed repetentibus, armata etiam manu, primum suum Archiepiscopum Moguntinis, ipse Bonifacius Beato Otperto per noctem visus in suum Fuldense Cœnobium deportari voluit, campanis vltro sonantibus exceptus, & miris deinceps prodigijs honoratus.

Nouū cœlū Germania.

Annales Ecclesiæ vix fœcundiores quā sub Bonifacio.

Martyrio coronatur.

Lis de Sacro eius corpore.

Iure merito MAXVMVS GERMANORVM APOSTOLVS, ET TONITRVI FILIVS appellatus; iure merito præcipuus GERMANIAE, ET MOGVNTIAE TVTELARIS cooptatus; iure merito, IPSIS ETIAM HAERETICIS SVSPICIENDVS, & tantum à Principis Doctoris sui instructione tam pia deficientibus, METVENDVS; iure merito, ob tantas euersas Hæreses, & assertum Sanctissimæ Matris Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum honorem atque auctoritatem (ad quos ipse, numquam satis explicando studio, & reuerentia, omnia sua referebat) tabulis, & Officio Ecclesiasticis, numquam satis LAVDANDVS, TOTOQVE TERRARVM ORBE CELEBRANDVS.

Tituli perinsignes.

Vt tanti Apostoli sui, & Tutelaris, Imperium Germanicum, Moguntia inprimis, proprij Pastoris, primi Archipræsulis, & Patroni præcipui, nomine, & meritis, iure item merito æternum plaudant, glorientur, triumphentque. Sed breuius deinceps, qui de cætero Moguntiam demeruerint è nostris, audiamus.

Moguntiæ plausus æternus.

Fuere proximi meritis Magno Bonifacio, Sanctissimi peregrina-

Socij S. Bonifacij. grinationis, & Apoſtolatus Socij Diui Vvilibaldus primus Eiſtettenſium, Burcardus primus, Item Herbipolenſium, Alto, Virgilius, alijque Apoſtolici viri, & Epiſcopi, non de Moguntinenſi ſolum prouincia, ſed de diuerſiſſimis alijs meritiſſimi, quorum gloria omnis ad Moguntiam vti fontem, & promptuarium quoddam, æterno cum loci eiuſdem præconio referenda eſt; Filiorum inprimis, & diſcipulorum Bonifacij, qui Moguntinum agrum, ſuo ſudore conſecrantes, magno numero Germanias oppleuerunt, quorum vel nomina quidem ſola recenſere, nedum merita numerare, prolixi nimium laboris eſſet, quorum pauciſſimos, ſummo Friſiorum bono, Moguntia cum Magiſtro ſuo dimiſſos, glorioſiſſima Sanguinis purpura Apoſtolatum ſuum illuſtrantes, ex nomine recenſere, & Sacræ Moguntinæ Sedi, pro inſigni affigere placuit. Fuere ij: Eobanus Chorepiſcopus, Adelarius Epiſcopus, Vvintrugius ſiue Vvitrumgius, Vvaltherius, Adelherus, Presbyteri, Stricaldus, Hamuntius ſiue Hamundus, Boſo Diaconi, Vvaccarus, Gundetherus, Vvilliherus, Hildebrandus, Adolphus, & alij triginta nouem Monachi, qui vt laborum ſic coronæ participes, quamuis Moguntiam abitu obituque ſuo inexplicabili mœrore afficerent, multo maiore tamen beatitate, & gloria, æterno nimirum in cœlis patrocinio bearunt. Sed his, alijſque omnibus, quæ Diœceſim vniuerſam ſpectant, conſulto intermiſſis, ad eos ſolum, qui poſt Bonifacium, ex eodem Sanctiſſimo Monachorum noſtrorum Ordine ad Moguntinam euecti Cathedram, Moguntiam ſpectatioribus beneficijs obſtrinxerunt, oculos obiter conuertamus.

Filij, & diſcipuli eiuſdem.

Eorum omnium gloria ad Moguntiã ſpectat.

Nomina ſociorũ Mart.

S. Lullus ſecundus Moguntiæ Archiepiſcop. Secundus Moguntinenſium Archiepiſcopus, Sanctus Lullus fuit, ſi nulla alia re de Sacra illa Sede, ipſa tamen eximia vitæ ſanctitate, qua maiore gloria Eccleſiam ornare Pontifex nullus poteſt, longè meritiſſimus. Is Illuſtriſſimo Anglo Saxonum Principum natus genere, Magni Bonifacij noſtri conſanguineus, ſeptuennis puer Chriſto in Cœnobio oblatus, audita poſtea de cognati in Germanijs Apoſtolatu fructuque celebri fama, ipſum conſequutus, incredibili cum fructu in Vinea Domini laborauit, ita quidem, vt ampliſsima ſuſcepta prouincia, & cura, glorioſiſsimum APOSTOLI SAXONVM nomen

A puero Deo in Monaſterio conſecratus.

Apoſtolus Saxonum.

prome-

promeruerit. Ob insignem autem in rebus gerendis dexteritatem Magistro, & cognato Sanctissimo in Archiepiscopatu succedens, totius item Germaniæ APOSTOLATVM suscepit, & admirabili industria charitatisque dilatatione, in remotissimas se se prouincias extendit, & cum per seipsum, tum per lectissimæ vitæ Monachos ac prædicatores eximios, gentes in vnitate fidei congregare, irremisso studio laborauit, & penè innumeros mortales Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio adduxit. Condidit Magistri exemplo, proximum celebritate Fuldensi Cœnobio, Monasterium Hirsfeldense, in quod sub mortem, velut in portum quietis, post tantos labores se se recipiens, placidissimo somno in Domino requieuit A. C. 787. magna deinceps à Numine miraculorum gloria illustratus, cuius Sanctissimum corpus, sexagesimo post obitum anno, repertum est incorruptum.

S. Bonifacio in Archiepiscopatu & Apostolatu succedit.

Innumerabiles ferè homines conuertit.

Miraculis claret.

Tertius Moguntiæ Archipræsul, Richolphus, etsi professione ante Pontificatum Monachus fuisse, non legatur, totus tamen fuit Monachorum, ab ijsdem cum in aula Caroli Magni esset, non aliter atque Imperator ipse, institutus, ductus, & à viris sanctissimis præcipuè dilectus; qui cum iam antequam Archiepiscopus salutaretur ab aula ad Clerum translatus memoretur, præcipuæ autem Ecclesiæ, etiam Cathedrales à Monachis curarentur, haud verò absimile videtur, ad eorum, quos tantopere suspexerat institutum transiuisse. Quod etsi minimè pro certo affirmemus, in ipso tamen Pontificatu nostris conuixisse certum habemus, eosdemque præcipuè dilexisse; adeoque si non Monachi Fundatoris tamen titulo Monachis accensendum, quibus Sancti Albani spectatissimam Basilicam, magno sumptu, & mole condidit, & apud eosdem, quibus viuens ob pastorale munus semper adesse minus potuit, mortuus consepeliri voluit.

Tertius Archiepiscop.

A nostris Institutus.

Quo titulo noster.

S. Albani Basilicam condit.

Coluit hic summo honore, antecessores duos Sanctissimos Bonifacium, & Lullum, eorumdemque cœpta, summo Moguntiæ bono prosequi non destitit, vitæ, factorum, conatuum, per omnia strenuus imitator, Moguntinensi inprimis Concilio celebrato meritissimus, quod ipse, non in Cathedrali, sed condita à se S. Albani Basilica instituit, & multo nomine

Antecessorũ SS. piè æmulus.

Inter nostros sepelitur.

Moguntiæ consulens, plenus meritorum sub A. C. 814. decessit.

B. M. Haistulphus Archiepiscopus IV.

QVARTVS ARCHIEPISCOPVS MOGVNTINVS HAISTVLPHVS, lectissimæ vitæ Monachus, Sancti Lulli discipulus, cuius etsi acta perierint, opinione tamen SANCTITATIS, longè dignissimum decus, ad Cathedram, Antecessorum pari laude insignitam, attulit, eoque nomine, parta tanta rursum Moguntiæ gloria æternum meruit, quem viuentem etiamnum Sanctissimus ille, & doctissimus Rhabanus noster, his ipsis verbis alloqui non expauit: *Te Sancte Pater*, inquit, *pro merito summæ pietatis, plurimi venerantur, & OMNIBVS FIDELIBVS CAVSA MAGNAE FIDEI, & sanæ doctrinæ, atque amabilis existis. Te benignissimum atque æquissimum esse scio. Tuo Magisterio me semper liberum subdam &c.* Vt tanti præconis voce, quanti æstimandus sit Haistulphus facilè ominemur; Elogio inprimis Epitaphij accedente, quo Lullo ipsi Magistro comparatus, eo MERITIS non minor fuisse deprædicatur. Vt hoc item ex nostris Archipræsule Moguntia æternum sibi gratuletur.

Sanctitatis opinione Cathedram ornat.

Andegarius Archiepiscopus.

QVINTVS EIVSDEM LOCI ANTISTES OTGARIVS SIVE ANDEGARIVS, è Fuldensi, an Campidonensi Monacho, (quem nonnulli Campidoni Abbatem fuisse contendunt) ad sublimem illam Cathedram euectus, & ipse continuata antecessorum fama, & gloria, Moguntiæ item singulari ornamento fuit, aliaque inter præclarè gesta, Herialdum Daniæ Regem, qui nostrorum opera primus Christi fidem amplexus fuerat, magna solemnitate, cum vxore Regina, & Regni proceribus, Sacris Baptismi vndis, in nostra Diui Albani Basilica, Moguntiæ abluit.

Imperium demeretur.

Idem ingenti de Imperio merito, perdifficilè in Italiam iter ipse suscepit, vt Ludouicum Imp. & Lotharium filium inter se dissidentes conciliaret, imminensque inde grauissimum patriæ exitium auerteret. Idem Sancti, & Magni illius Seueri Sacrum Corpus ex Italia retulit, & applaudente Moguntia in S. Albani Cœnobio recondidit, multisque alijs præclarè gestis A. C. 847. mortalibus valedicens, apud nostros Diui Albani sepulturam meruit.

SEXTVS.

SEXTVS MOGVNTIAE ARCHIEPISCOPVS RABANUS; quem solum, si absque etiam Bonifacio, Lullo, alijsque Moguntia habuisset, tanto thesauro nimis quam locuples, tanto illustrissima sydere, Germaniæ non solum omni, sed orbi conspicua euasisset vniuerso. Eum Magnentium nonnulli, honoris-ne, an alia ex causa, cognomento Maurum appellant, Magnentia familia alij deriuant, eadem ferè, de patria eiusdem, controuersia, Moguntinis, de Natalibus item tanti viri gloriam sibi arrogantibus, quibus satis sit Archiepiscopum, & patrem meruisse, ipsomet patriam sibi Fuldam satis disertè, asserente. Nouennis militiæ sacræ, in nostro Fuldensi Cœnobio adscriptus, tantillæ ætatis puerulus, omne pro virili studium, ad scientiam Scripturarum conuertit, inque omni eruditione tam Sæcularium, quàm Diuinarum artium, longè deinceps doctissimus euasit. Diui Alcuini nostri, cum celebre tunc toto terrarum orbe nomen esset, vt ipsum Romæ eo tempore profitentem, audire liceret à Ratgario Abbate suo impetrauit, sextoque post anno, tot artibus cumulatus reuersus est, vt verè *ARMARIVM SCIENTIARVM* dignissimo titulo dici meruerit. Ad quem proin non diuersi solum Abbates alumnos suos, sed proceres terræ filios charissimos, eius Magisterio instituendos certatim submisere.

Solo Rabano fat diues Moguntia.

Controuersia de Natalibus.

Pueri studia.

Armarium Scientiarũ dicitur.

Idem primus Græcas litteras in Germaniam inuexit, & immortali merito de patria longè meritissimus, artium liberalium studia longè latèque propagans, spectatissimos æternis sæculis Magistros educauit, & rara felicitate amplissimas beans prouincias, ex barbaris cultissimos incolas, imo eruditissimos Germanos reddidit, adeo deinceps Doctorum locuplete Germania, vt Galliæ, vt Angliæ, vt Italiæ admirationi esset, duratura ad æternitatem omnem admiratione, è Rabani Schola tam Illustrium scriptorum, quos in hodiernum diem suspicimus, & veneramur, tantam tam breui tempore copiam prodijsse.

Græcas litteras infert.

Quãtus ab illo fructus.

Nec diffitetur Baronius ipse, in suis Ecclesiæ Annalibus Rabani nostri admirator, & Encomiastes: *Emicuit*, inquiens, *vt fulgentissimum sydus, cuius, quæ extant, scripta, tanquam lucis radij excellentiam demonstrant auctoris, vt & ijsdem ILLVSTRATA GERMANIA, glorietur, SVVM*

Insigne elogium.

haud adeo imparem MAGNIS habuisse Doctorem, affirmante Trithemio: *nec Italiam Rhabano similem, nec Germaniam aequalem vidisse.*

Vita sanctitas cum tanta eruditione. Miracula.

Abbas Fuldensis, ac deinceps Archiepiscopus Moguntiæ nostræ creatus, sedem vtramque, vt stupenda eruditionis fama, sic admiranda iuxta vitæ Sanctitate mirificè exornauit. Sed & præstantissima miraculorum gloria à DEO commendatus, cœcis visum, claudis gressum prodigiosè restituit, dæmones expulit, varijsque alijs prodigijs mirè eluxit. Profuit plurimum multo etiam alio nomine Moguntiæ, & Imperio vniuerso Rabanus, pluribus præcipuè, quibus summa cum auctoritate præsedit, Concilijs seu Synodis celebratis, & pestilentissima Godescalci hæresi felicissimè triumphata, relictis inexhausti ingenij spectatissimis monimentis immortalis, quorum Syllabum pro maiore tanti Pontificis, & Moguntiæ laude, ipso operum numero admirandum, subijciendum duximus, & quidem à doctissimis in Scripturam vniuersam Commentarijs, cuius Ipse ISOGRAMMATICAM EXPOSITIONEM æterno cum merito inuenit, initium faciendum.

Haeresim obterit.

Isogrammatica expositionis Inuentor Rabanus noster.

Ingens vis Monimentorum Rabani nostri.

Commentariorum.	In Genesim.	libri 4.
	In Exodum.	lib.4.
	In Numeros.	lib.4.
	In Deuteronom.	lib.4.
	In Leuiticum.	lib.4.
Commentariorum.	In Ecclesiasticum.	libri 10.
	In Hieremiam.	lib.18.
	In Threnos.	lib.3.
	In Iosue.	lib.7.
	In Iudicum.	lib.2.
	In Ruth.	lib.1.
	In Regum.	lib.4.
	In Paralipomenon.	lib.4.
	In Esdram, & Neemiam.	lib.3.
	In Iudith.	lib.7.
	In Hester.	lib.1.
	In Tobiam.	lib.1.

In Psal-

Commentariorum.

- In Psalmos. lib. 1.
- In Iob. lib. 1.
- In Prouerbia. lib. 1.
- In Ecclesiasten. lib. 1.
- In Cantica Canticorum. lib. 1.
- In librum Sapientiæ. lib. 3.
- In Ezechielem. lib. 20.
- In Danielem. lib. 3.
- In duodecim minores Proph. lib. 12.
- In lib. Machabæorum. libri 3.
- In Matthæum. lib. 8.
- In Lucam. lib. 3.
- In Marcum. lib. 4.
- In Ioannem. lib. 1.
- In Epistolas omnes S. Pauli. lib. 23.
- In Epistolas Canonicas. lib. 7.
- In Apocalipsim. lib. 1.

In Script. Comment.

Sed iam opera etiam reliqua tanti Doctoris numeremus.

De Corpore, & Sanguine Domini. liber 1.
De Naturis rerum. libri 5.
De ortu, & moribus Anti-Christi. liber 1.
Dictionarium Mysticarum significationum, ad Spirituales Sanctorum voluminum sensus intelligendos vtilissimum. lib. 1.
De virtutibus, vitijs, cæremonijsque antiquæ Ecclesiæ. lib. 1.
De rebus gestis à Lothario, Ludouico, & Carolo, Imperatoris Ludouici Pij filijs, carmine Heroico. libri plures.
De Vniuerso ad Haymonem Episcopum. lib. 22.
De Vniuersi natura. lib. 1.
De signis Natiuitatis Domini. lib. 1.
De virtutibus numerorum. lib. 1.
De origine rerum. lib. 1.
De Computo, Dialogorum. lib. 1.
De Quæstionibus Canonum. lib. 1.
Canonum pœnitentialium, ad Reginbaldum Episcopum. lib. 1.
De Benedictionibus Patriarcharum. lib. 1.

Ingentis Ingenij monimenta.

Sermo-

Sermonum, & Homiliarum ferè innumerabilium. lib....
De SS. Eucharistiæ Sacramento. lib.1.
Epistolarum ad diuersos. lib.1.
De Diuinis Officijs. lib.12.
Conuiuium DEI, ad Ludouicum Imp. lib.1.
De Christiana Fide. lib.4.
De Institutione Clericorum. lib.3.
Reuelationum variarum. lib.1.
Commentarius in Regulam S. P. N. Benedicti. lib.1.
Allegoriæ in totam scripturam. lib.1.
De videndo DEVM. lib.1.
De puritate cordis. lib.1.
Quota Generatione licitum Matrimonium. lib.1.
Ad Bonosum de Consang. nuptijs, & Magorum præstigijs. libri 1.
De Reliquijs Sanctorum. lib.1.
De arte Grammatica. lib.1.
De Officijs Missæ. lib.1.
De Anima. lib.1.
De virtutibus Animæ, ad Lotharium. lib.1.
De Sacris Ordinibus. lib.1.
De peccatis, & eorum satisfactione. lib.1.

Opus de Cruce quantum. Opus denique illud admirandum, profundissimi ingenij illustrissimum monimentum, de Cruce, & plurima alia.

Vt hoc vno viro, eodemque Sanctissimo Pontifice tot coronis aureis ornata, & coronata Moguntia videatur, quot volumina edidit, quæ vtinam, eadem Typographiæ inuentrix clarissima ciuitas, primis typis statim orbi vulgasset, ne tanto post, tanti Doctoris sui volumina plurima distracta, & perdita lamentari cogeretur.

VII. Archiepiscopus Mogunt. *Regiũ eius genus.* *Imperium demeretur.* Septimvs Mogvntiae Archiepiscopvs Carolvs, ex Rege Aquitaniæ, Pipini Regis F. Corbeiæ Gallicæ Monachus, ex Monacho, Sacræ huius Sedis Episcopus, & ipse Moguntiam plurimum demeruit, suaque & perfectioris vitæ, & generis præstantia, summopere exornauit. Quin & Imperium vniuersum; plurimis sibi beneficijs obligans, eidem prudentissimè consuluit, de quo MS. apud Serarium satis disertè:

Ludo-

Ludouicus, ait, *Imperator II. cum Nicolao Summo Pontifice, consilio huius Caroli Archiepiscopi, multa bona ad PONTIFICATVM ET IMPERIVM ROMANVM pertinentia statuit. Vnde & idem Papa, ad ipsum Carolum multa scripsit vtilia, quorum meminit M. Gratianus in Decreto dist. 5. cap. Sacerdotes, habeturq. etiam in gestis Concilij Vvormatiensis, &c.* Idem dignissimus tanta Cathedra Pontifex, ab eodem, an alio MS *vir carne quidem nobilis, Pipini Regis Aquitaniæ filius, sed omnium virtutum genere nobilior, appellatur; conseruatione religiosus, deuotione plenus, scientia legis Diuinæ & humanæ optimè pollens &c.* Vt hoc etiam Pontifice nostro felicissima Moguntia, singulari Numinis beneuolentia lectissimos quosq. viros, pastores meruisse æternum sibi gratuletur. Celebrauit idem Carolus insigne Concilium Moguntiæ, & multa præclarè sanxit, ad meliorem vitam translatus A. C. 863.

Elogium.

Encomium illustre.

NONVS MOGVNTIAE ARCHI-ANTISTES SVNDEROLDVS, siue SVNZO noster fuit, vir, Trithemio teste, omni sanctitate & Religione conspicuus, ex Monacho Fuldensi Pontifex creatus, qui cum Ecclesiæ suæ vix biennium, sanctè & vtiliter præfuisset, bello Normannico ab infidelibus captus, & ab ijsdem, vt MS Moguntinus apud Serarium refert, *diu cruciatus, constanter excepit plagas & vulnera*, eam ipsam ob causam Sancti, & Martyris Titulo à grauissimis Scriptoribus celebratus. Cui quid debeat Moguntia eiusdem ad Diui Albani Epitaphium eloquatur.

Sunderoldus IX. Archiepiscopus.

Martyr occumbit.

Constat quid valeant, qui nunc virtute coruscant,
Sicut qui modico clauditur hoc tumulo.
Præsul magnificus Sindroldus nomine dictus,
Vitæ mandatis notus vbiq. satis.
Tali Pastore, tali Magoncia Prole
Mater eius felix es quoque nunc & eris.
Pro Te, proq. DEO, sacrato sanguine fuso,
Consors es cœlis, si memor esse velis.

Epitaphium.

DECIMVS EIVSDEM SEDIS ARCHIEPISCOPVS HATTO, regij generis, summæ eruditionis, & præcipuæ pietatis titulis insignis, ex Monacho, & Abbate Diuitis Augiæ ad hoc honoris pro meritis euectus, quem tamen, nescio quo primùm ex fonte, veteri

Ex Augiæ Mon. Archiepiscopus.

veteri vulgi suspicione, atque errore ex inuidia contracto fraudis & cædis cuiusdam nonnulli insimulant, de quo longè aliter iam olim viri sancti & docti senserint, eumque Imperio vtilissimum, sacro item vitæ rigore in ipso summi honoris apice spectatissimum, plurimum & suspexerint & commendauerint. Nobis sufficiat Eminentissimi Cardinalis grauissimum testimonium, & dignissimum Hatthoni in Annalibus Ecclesiæ vniuersalis decretum Elogium: *TOTIVS GERMANIAE BONO, SVNZONI HATTONEM SVBROGATVM, VTPOTE QVI AD RESTITVENDAM COLLAPSAM ECCLESIASTICAM DIGNITATEM PLVRIMVM LABORAVERIT.* Eum præcipuè coluerunt Romani Imperatores, grandibus nimirum meritis & nauata dexterrimè Imperio opera probatissimum; quem Arnolphus Cæsar, haud aliter quam Compatrem, publicis etiam in Diplomatibus appellauit.

Laudes eius.

Insigne Elogium.

Imper. quà charus.

HERIGERVS XI. Moguntiæ Archi-Antistes, è Fuldensi Abbate, Augiensi Monacho ad id dignitatis euectus, insignem & ipse secum Titulum contulit, PIVS cognominatus, vt quamuis gesta eius omnia exciderint, eo tamen solo Moguntiam dignissimè ornasse & demeruisse videatur.

Herigerus XI. Archiepiscop.

HILTIBERTVS XII. MOGVNTINENSIVM ARCHIEPISCOPVS, quem nonnulli Orientalis Franciæ Ducibus ortum tradunt, ex Monasterio Fuldensi assumptus, haud minori atque antecessores ornamento Moguntiæ & Imperio fuit, vt nunquam satis dignissimæ cathedræ felicitatem demiremur. Breuitatis studio, Vvitikindum solúm, Encomiasten dignissimum audiamus: *Hic erat*, inquit de Hildeberto, *Vir MIRAE SANCTITATIS, & præter naturalem animi sapientiam, litterarum studÿs satis clarus. Qui inter cætera gratiarum dona, spiritum PROPHETIAE accepisse prædicatur.* Notat idem memorabilem in primis rem in coronatione Otthonis Magni Imperatoris factam: *Cum quæstio*, inquit, *esset Pontificum, in consecrando Rege, Treuerensis videlicet & Coloniæ Agrippinæ, illius, quia antiquior sedes esset, & tanquam à Beato Apostolo Petro fundata, istius vero, quia eius ad Diœcesin pertineret locus, & ob id sibi conuenire arbitrati sunt huius consecrationis honorem; cessit tamen vterque eorum HILDEBERTI*

Hiltibertus XII. Archiepiscopus.

Mira sanctitatis.

Spiritu Prophet. claret.

Insigne Elogium.

TI CVNCTIS NOTA ALMITATI vt non tam delatam dignitati, quam sanctitati principatum, imo vtrique debitum Moguntia glorietur.

DECIMVSTERTIVS MOGVNTINENSIVM ARCHIEPISCOPVS FRIDERICVS, æternum & ipse decus ad Ordinem nostrum, ex Ordine ad Cathedram illam attulit, gloriosissimo sæculi triumpho spectatissimus, cum ex Regij generis Principe, Lotharingiæ Duce, humilis Christi seruus effectus, tantum in cucullo Fuldæ profecit, vt dignissimus haberetur, qui Hiltiberto miræ sanctitatis Archipræsuli, eadem in dignitate sufficeretur. Præfuit annis 16. vel 17. de cuius obitu, sic Guilelmus eiusdem successor, apud Trithemium: Anno Dominicæ Incarnationis 954. Indictione 12. Beatæ memoriæ Dominus Fridericus S. Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus 8. Cal. Nouembr. obijt, de cuius genere & pietate ita eiusdem ad Diui Albani Epitaphium.

Fridericus Archiepisc.

PRÆSVLIS EXIMII, QVIS NON NOVIT FRIDERICI DIGNVM LAVDE GENVS. ET PIETATIS OPVS?

HATTO eo nomine SECVNDVS, è Fuldensi item Cœnobio eductus, pro lectissima vtique vitæ dignitate, cum causa alia nulla occurrat, ad eum honorem expetitus est. Præfuit vix annum integrum, ad meliorem vitam translatus, cuij NOVATORES Fabulam illam notamque aspergere non veriti comestum à muribus, ob crudelissimum in pauperes edictum quantis possunt vocibus proclamant, quam meram fuisse fabulam Serarius ostendit, & à turris in Rheno nomenclatura vulgo ortam, & vt solet vulgo deprauatam, quam etiam Trithemius hauserit, ante eum vero, Scriptorum omnino nullus, etiam qui acuratius Moguntiæ res litteris consignauere, memoriæ tradiderit; vt ex hoc facile constet quam indigna sæpe, etiam de sanctissimis viris referenda essent, si quæ vulgo confinguntur, & ab Hæreticis, omni sancto Traditionum vsu, ab ijsdem cæteroqui calcato, velut Euangelium traduntur, suo ex fœtore, & consuentium improbitate non dignoscerentur.

Hatto II.

Hæreticorũ nequitia.

Quãta sanctis subinde affinguntur.

Successit proximus Hatthoni Rupertus, tum Vvilligisus, quãuis vterque à nemine, quod sciamus, hucusque nostris accensus, ingentibus tamẽ acceptis beneficijs nostris obstrictissimus, quorum

Vvilligisus I. Elector.

quorum illud longè maximum fuit, à Beatæ memoriæ Gregorio V. Vverdensi olim Episcopo, Monacho Corbeiensi, ad Pontificatum Orbis maximum euecto, summam per Imperium vniuersum SEPTEMVIRATVS ELECTORALIS dignitatem Vvilligiso & successoribus decretam, vt necdum satis, Principe Tutelare suo, præcipuo Germanorum Apostolo, primoque Archiepiscopo Bonifacio nostro, singulari Numinis prouidentia, ac benignitate accepto, exculta atque euecta Moguntia videretur, nisi nostrorum item opera Regiæ insuper dignitatis galero & purpura, Germaniæque vniuersæ ARCHI-CANCELLARIATV insigniretur, acceptum deriuatumque in se tanto post honorem Gregorio nostro referentibus successoribus Vvilligisi vniuersis: immo Imperio vniuerso tantum gratiæ tantumque gloriæ, quin & commodi atque felicitatis, nunquam satis deprædicante.

Electoralis dignitas per nostros Moguntiæ decreta.

Quam illigata Moguntia.

Archicancellariatus item dignitas.

ELECTORALIS DIGNITAS A B.M. Gregorio nostro eius nominis V. Moguntiæ decreta.

PRimus à Vvilligiso Electorale ornauit dignitatem Erkenboldus noster, è Fuldensis Archisterij Abbate ad illum honoris apicem euectus, S. Bervvardi Hildesiensis Episcopi Comitis à Summersemburg, cognatus, vir tanto honore dignissimus, sancti Cognati, sanctè æmulus, ab insigni præcipuè erga Cœlorum Augustissimam Imperatricem amore inprimis commendandus, cuius honori & nomini, illustre extra muros Moguntiæ, *Sanctæ MARIAE in Campis*, Monasterium condidit. Idem iuratissimus libidinis hostis, incestuosissimum potentissimi cuiusdam Comitis coniugium damnans, contemnentem sacris interdixit, à quo deinceps armis appetitus, multa pro iustitia pertulit, eoque etiam nomine Septemuiratus Principatum mirificè exornauit. Præfuit annis octo, siue, vt nonnulli contendunt, decem, vti in vita tantoque dignitatis gradu Monachicæ modestiæ nunquam immemor, sic & à morte, præter omnium ferè reliquorum consuetudinem, humillimo, omnique sæculi fastu nudissimo tumulo, illatus.

Erkemboldus.

Deipara addictus.

Pro iustitia multa passus.

Humillimus.

Ante-

Ante omnes tamen & supra omnes, ad hanc vsque ætatem nostram Sacræ Moguntinæ Sedis Archiepiscopos Electores, eamdem SEPTEMVIRATVS dignitatem longè Illustrissimam reddidit BEATVS BARDO noster è nobili Vvederouiæ familia de Oppershofen, patre Adelberto, matre Christiana oriundus, Fuldensis primum Monachus, tum Hersfeldensium Abbas, qui sicut Magnus Bonifacius noster admirabili vitæ perfectione Archiepiscopatus Moguntini initia consecrauit, sic non impari sanctitate Bardo, ELECTORALE NOMEN AC MVNVS, ad miraculum vsque excoluit. Expleuit, non Principis solum, sed Episcopi & veri Pastoris ac Patris munia omnia, nec Electorali eminentissimo gradu indignum duxit, cathedram scandere, & pro concione dicere, quo quidem in genere tantopere excelluit; vt ob admirabilem perorandi gratiam, atque eloquentiam *ALTER CHRYSOSTOMVS* & haberetur & appellaretur. Fuit plurimis à Numine, & maximis prodigijs eius sanctitas declarata & ipse post mortem, æterna cum Moguntinensium, & Electoralis gradus gloria Sanctorum albo adscriptus. Prædixit imminentem sibi obitum Paderbornæ pro concione, cum eodem Imperatorem sequutus, post Missæ solemnia, verba publicè fecisset, & sese orationibus fidelium diligentissimè commendasset, eodem postea mense defunctus. Fuit magnus ad tumulum eius, ob miracula crebertima & maxima concursus, è quibus spectatissimum illud, & Sancto à Sancto, Electore ab Electore impetrante rarissimum, non possumus quin commemoremus: Aderat publicis Regni Comitijs Moguntiæ celebratis, Sanctus Anno Coloniensium Archiepiscopus Septemuir, familiarissimus in vita Bardoni, à morte autem cultor eiusdem religiosissimus, qui cum inter fidelium concursum, tumulo, ad sacrorum cinerum custodiam, assidentem cerneret Eleemosinarium quondam eius, miserrimum modo, totoque corpore contractum, miseratus hominis sortem, in has demum multis audientibus querelas erupit: *Ignotos, & propè nullius deuotionis,* inquit, *ope celerrima respicis: hunc vero, tuis innitentem semper obsequijs, tui iuris famulum, te diligentem, te precibus assiduis inquietantem, tanta hactenus obstinatione contemnere potuisti? si nos tuis meritis adscribere vis, quod in aliorum curationibus hic actum esse fama confirmat, in hu-*

Præcipua Electorũ gloria S. Bardo.

O magnum Electorem.

Alter Chrysostomus.

Sanctorum albo adscriptus.

Mortem prædicit.

Rarissimũ miraculũ.

S. Anno S. Bardoni familiaris.

Memorabilis coniuratio quasi, Sancti à Sancto.

Insigne miraculum. *ius reparatione contracti, nobis cernentibus, declara tua virtutis efficaciam*. Stupenda res: contuente Annone & vniuersa multitudine, constitit in pedes illico æger, iam porro totus firmus ac vegetus, Annone in Hymnum *TE DEVM laudamus*, solemnissimum prorumpente, prosequentibus Clero ac populo vniuerso, campanis resonantibus, vrbe ac Regia tanti miraculi famam resonantibus. *Eius celebritas.* Vt non Moguntia solum tanto lumine, sed Germania, sed Europa, sed Occidens vniuersus haud immerito glorientur, suum sibi etiam CHRISOSTOMVM, & quidem IMPERII sui ELECTOREM, Constantinopolitani illius æmulũ, non defuisse. *Gloria Occidentis.*

Luidpoldus Archiepiscopus. Successit Bardoni Luidboldus, Leopoldus, siue Lupoldus, itẽ noster ex Monacho Fuldensi Archiepiscopus Moguntiæ consecratus, vir spectatissimus, in quo illud rarius eluxerit, quod de amplissimis Cathedræ & Pontificatus sui opibus, minimè per luxum ac pompas, sed sanctissimè expendendis sollicitus, de promouendo cultu Diuino dignissimas tanto pastore cogitationes & conatus suscepit, aliaque inter eximiæ pietatis monimenta, illustrissimum S. Iacobi Ordinis nostri Monasterium Moguntiæ condidit, quod multis prædijs donis & ornamentis locupletauit, in eoque post obitum sepulturam meruit.

Lupoldo successit Sigefridus Comes ab Epstein, illustrissimis natalibus ortus, & ipse Fuldensis Monachus, cuius Cœnobij Abbas pro meritis euectus, inde ad Cathedrã Moguntinã extractus est, perditissimis Herici nequissimi Cæsaris temporibus, quibus, qua esset in DEVM, in & sanctã Ecclesiam fide constantiaq; plurimis & illustrissimis argumentis Romano Pontifici, orbiq; vniuerso dignissimus Septemuir noster euidentissimè comprobauit. *Fides eius & iustitia.* Opposuit se murum pro Domo DEI magnus Athleta, grauissimis procellis ac periculis agitatus, donec ad portum denuo quietis Monachicæ emergeret, & amplissimi Archiepiscopatus Cathedræ atque opibus, quibus, si Cæsari fauere, seu conniuere voluisset, liberè vti potuisset, magno animo renunciaret, in sanctissimo Archisterio Cluniacensi Monachum denuo professus. *Murus pro Domo Dei.* *Archiepiscopatum deserit.* Verum Cæsare Simoniacum Moguntinis obtrudente, per virtutem Sanctæ Obedientiæ, coactus Sigefridus ab Abbate suo, lituum resumpsit, & reuersus Moguntiam, summis denuo viribus, Cæsari, Schismaticis, concubinarijs Clericis, innumerisque *Ex obedientia reassumit.*

alijs

alijs procellis sese obiecit. Captus demum, supremum etiam vitæ discrimen adijt, ab ipso Sacrilego licet Cæsare seruatus est, cum iam à militibus ad crucem raperetur. Dimissus post quadriennium, ad suum, quod olim condiderat Hassungense se se recipiens Cœnobium, cum in eodem biennium superuixisset, felici fine vitam abrupit A. C. 1084. inter columnas firmissimas Ecclesiæ merito suo adnumerandus. Insigne illud Elogium Gosvvini in vita S. Albani ad ipsum scripta: *Quis te subtilius*, ait, *rerum hominumque prouentus appendit in libra discretionis? Quis attentiore diligentia aduigilat in cura pastoralis regiminis? Cuius visitatione honestius floreant Ecclesiastica? Cuius praecepti ratione melius fructificent Regularia, nisi tam obnixè, & pertinaciter reclament mores, & tempora*. Vt merito doleat Moguntia, in ea tempora Sigefridum suum incidisse, æternum autem glorietur Septemuirum suum, tanto Cæsari obnixum, pro Romana Ecclesia tam generosum se pugilem, tamque inuictum Heroem demonstrasse.

Capitur, & penè perimitur.

Iterum in Monasterio se abdit.

Encomium illustre.

Intercessit solus VVezilo Archiepiscopus ex Clerico, Henrico Cæsari addictus, tandem vero, & ipse alienatus, cui mortuo rursum ex Ordine nostro suffectus est Moguntinam in Cathedram Ruthardus siue Richardus, S. Petri Erfordiæ Abbas, vir sanè dignissimus, & ipse æterno Moguntiæ ornamento, summis Ecclesiæ Christi pugilibus accensendus, qui cum & ipse nefandissimo Cæsari admirabili Constantia zeloque sese opponeret, in exilium actus, maximis in calamitatibus apud Thuringos nouennium egit, donec ab Henrico V. Sacrilegi filio, summa omnium gratulatione, Catholicorum Principum præsidio deductus, Sedi suæ restitueretur, Moguntiamque grauissimo schismate obtritam subleuans, Sanctæ Matri Romanæ Ecclesiæ eandem reconciliaret. Decessit alter hic Athanasius noster A. C. 1109. sepultus in Monasterio Diui Ioannis Virginum nostrarum à se structo, & fundato.

Ruthardus noster Archiepiscopus Moguntin.

Pro Ecclesia Rom. exul.

Alter Athanasius.

Vltimus è nostris Moguntinensium (de quibus nobis constet) Archiepiscopus, Matthias Comes à Bucheck fuit, è Monacho, & Abbate Murbacensi Princeps Elector Moguntinus, renunciatus, *VIR*, vt ait liber MS apud Serarium, *MAGNANIMUS, VIRTUTE PRAEDITUS, DIVINA, ET HUMANA*

Matthias, vltimus è nostris Archiepiscop.

NA LITTERATVRA EXCELLENS. Eius, alia inter præclarè facta, in tanto, eius temporibus CONCVBINARIORVM CLERICORVM NVMERO, puritas, & continentia, summis laudibus mirè celebratur, cuius illustre exemplum illud à Vvione nostro, & Serario in medium profertur. Dum enim quadam vice, inquit, eo ignorante, à Camerarijs suis pulcherrima quædam Virgo in cubiculum fuisset intromissa, vt eius sanitati, consilio, vt aiebant, Medicorum, continentiam ei obesse affirmantium, consulerent; Virginem quidem blandè, à se intactam dimisit: Sed Camerarijs, ne talem rem amplius tentarent, sub interminatione præcepit.

Castissimus fuit.

Idem de Sede sua meritissimus iura Ecclesiæ acerrimè, etiam armis defendit, acerrimosque Cleri hostes Erfordianos, Bingenses, Nordhusianos aliosque grauibus prælijs compescuit. Idem Moguntiam æterno merito demeruit, & vt subditos, tanquam verus pastor impensissimè dilexit, sic opere ipso dilectionem testatus, Moguntinis inprimis ciuibus multis modis consuluit, ijsdemque à Teloneo, & Precaria libertatem concessit, ac confirmauit. Idem insignem Moguntiæ Synodum celebrauit, & pro periculosissimo temporum statu, multa præclarè sanxit, & pericula præuertit atque auertit. Denique Christi anno 1328. singulari DEI beneficio, naturæ debitum soluens, imminentibus periculis (verba Trithemij sunt) & turbis est ereptus: *vir omni honore perpetuaque memoria dignus*, in Metropolitano cum hac Epigraphe conditus:

Ecclesiasticorum Iurium acerrimus propugnator.

De Moguntinis ciuib⁹ bene meritus.

Synodū celebrat.

Epitaphiū.

Mille trecentis annis &c.

Magnanimus, Iustus, virtutum sole perustus,
Verax vt nostis, inuictus, & hostibus hostis,
Donis magnificus, & amicis fulsit amicus,
Se satis hic strauit, dum Religione notauit &c.

Vt his tantis tantorum Præsulum de Moguntia contenti meritis, innumera alia nostrorum prætereamus, qui inter amplissimos latissimi Archiepiscopatus contenti limites, incredibili penè Cœnobiorum numero, cum Apostolicis meritis, Gentilium conuersione, Hæreticorum, ac Schismaticorum euersione, tum eximia inprimis sanctitate, & singulari eruditione, æternum, & inæstimabile decus, Moguntino nomini, ad-

Ingentia, & penè innumera nostrorū merita.

ni, addidere. Sed iam Coloniam Agrippinam ſubditaſque Sacrę illi Sedi Prouincias ſtrictim attingamus, atque obiter obeamus.

COLONIA.

Paria S. P. N. erga Colonium merita.

NEc minoribus, quam Moguntiam meritis, Sanctiſſimus atque Auguſtiſſimus Imperator noſter BENEDICTVS, per filios ſuos Coloniam demeruit, quorum pauciſſima è multis, enumerare potius, quam explicare viſum eſt.

Nostri è prouincijs Colonienſibus Gentiliſmũ profligant.

Ex ijs longè digniſſimum illud, tractum Rheni propè Coloniam eiuſdemque ampliſſimi Archipræſulatus prouincias ſubiectas vicinaſque à Sanctiſſimis olim Epiſcopis, Materno Diui Petri Diſcipulo, Seuerino, Euergiſlo alijſque ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium aliqua ex parte adductas, pleraſque in priſtinos relapſas errores, incredibili noſtrorum cura, diligentiaque tanto poſt reuocatas; Chriſtoque reconciliatas, ijſdem demum auctoribus in fide confirmatas, laboribus ſudoribuſque Monachorum ſummum illud bonum referre acceptum, quo ſine ſalus omnis ac felicitas, imperfecta, imo vana, ac nulla, ipſo Fidei noſtræ, ſummæquę veritatis Inſtituto comprobatur.

Demeretur Coloniã S. Bonifacius.

Deſudauit tanto in opere, Magnus ille Germaniæ Apoſtolus, & Phæbus, Diuus Bonifacius noſter, verè *tonitrui filius* à Cæſare Hiſtoricorum Baronio appellatus, qui cùm per ſeipſum, tùm per lectiſſimos, & Apoſtolicos viros, & in Germaniam vniuerſam, & in Colonienſem, maximè cique vicinas prouincias, meritorum ingentium aceruos ingentes effudit, & cùm de Cathedra Colonienſi, tum de Vrbe, & Diœceſi, Apoſtolico zelo, Gentilium euerſione, Hæreticorum oppreſsione, ſolidæ Virtutis ac pietatis propagatione, mirificè, & æternum meruit.

SS. Suibert° & Ludger° de Colonia meriti.

Proximi Bonifacio, ampliſsimis de Colonia meritis Sanctiſſimi Præſules noſtri Suibertus, & Ludgerus, ille Vverdenſium hic Monaſterienſium primus Antiſtes, vterq; Vveſtphaliæ aliarumq; ſubditarum Colonienſi ditionum lectiſsimus Apoſtolus, & à morte Patronus, vterque præter propagatum Fidei lumen ac

gra-

gratiam multo item nomine de Colonienſibus meritiſsimus, Suibertus inprimis, eo maximè tempore, cum grauiſsimo ſuborto bello, Apoſtolici laboris interrupto ſucceſſu, Coloniam ſeſe ad Pipinum ac Plectrudem Principes recipere cogeretur, cum inibi, vt vitæ ſcriptores referunt, non minus, quam apud Boructuarios, benè operando, & merendo proficeret; ſed & Chriſti anno ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, etiam mortuus Colonienſium vicinorumq; curam minimè deponeret, & memoranda inprimis prodigioſiſsimaq; victoria, de Saxonibus Vveſtphaliſque gentilibus Eccleſiæ imminentibus è cęlo triumpharet.

S. Svviberti labores.

Memorãda victoria.

Sed & Gerfridus Ludgeri nepos, in Epiſcopatu, Sanctitate, zelo ac laboribus ſucceſſor, tum plurimi è noſtris, Mindenſium, Tungrenſium, & Monaſterienſium Epiſcopi, Metropolitanam Sedem demereri aggreſsi, incredibili ſtudio fructuq; in conuerſione Gentilium deſudarunt, adeo pertinaci errore Vveſtphalis maximè eorumq; accolis, maiorum ſuorum deliramenta probantibus, adeo facilè ijſdem damnatis, denuo ſe addicentibus, vt vix demum, longo decurſu ſæculorum, totæ Monachorum cohortes in agros tam incultos immiſſæ lolium exſcinderent, altiſq; fixam radicibus ſuperſtitionem penitus euellerent, & eradicarent.

B. Gerfridꝰ Epiſcopus, & alij noſtri multum deſudant.

Vveſtphalorum pertinacia.

Fuit & de Colonienſibus meritiſsimus S. Gallus noſter Aruernenſium Pontifex, Theodorico Regi adeo charus, vt ipſum, Monachum etiamnum filij loco diligeret, & circumduceret, qui Regem Coloniam Agrippinam aliquando ſequutus, cum in Regum, Epiſcoporum, & Coloniæ oculis, adeo propinquo loco, celeberrimum extare fanum, & impia dæmonibus Sacra fieri, multo cum luctu intelligeret, adeo rei indignitate permotus eſt, vt neque Rege, neque Epiſcopo rogato, clam inde ex aula ad fanum illud ſeſe ſubducens, illud innumerabili Idolorum multitudine ſpectatiſsimum, ſubiectis facibus accenderet, & vniuerſa ſimul in fauillas redigeret, à concitatiſsima multitudine, iam iam opprimendus, & crudeliſsimè lacerandus, niſi pro dilecto incendiario ſuo, interueniens Rex ſeſe ipſe oppoſuiſſet, & ægerrimè, furentium, & inſanientium turbam, auertiſſet, Gallo deinceps ſæpius quiritante, tam optatam ſibi, incomparabilem dignitate Martyrij laureolam tunc pręreptam; vt pro aſſerenda Coloniæ gloria, tantoque ſcandalo, periculo, & peſte auertenda mortem oppe-

S. Gallus Aruernenſis Epiſcopꝰ.

S. Gallus Colonienſiũ fanum incendit.

Optat occubuiſſe pro ſalute Colonienſium.

oppetere non dubitaret. Laborauit maximo fructu per Vvederouiam, & finitima loca Sanctus Sturmio noster Fuldensis Abbas, laborarunt, & alij plurimi passim diuersorum Cœnobiorum Amplissimæ Archidiœceseos Monachi, & Abbates, è quibus plurimi cum ad Coloniensem, tum ad diuersas expetiti Cathedras; & præclarè gestis, & admirabili inprimis vitæ sanctitate, Coloniæ multo illustrius nomen reddidere. Vt nihil de grauissimis Romanorum ex Ordine nostro Pontificum meritis dicamus, qui pia quadam, quasi æmulatione in ea vrbe, & Cathedra exornanda certasse depræhenduntur, quorum auctoritate plurima ibidem Concilia celebrata, disciplina Ecclesiastica restituta, Sacrilegi Ecclesiæ direptores castigati, vrbs eadem non semel à Schismatis periculo, aliquando etiam labe ipsa, erepta, & vindicata, vt sexcentis obstricti titulis Agrippinenses, iure merito, Sanctissimo Archiduci nostro BENEDICTO, & ipsi etiam fasces submittant, ipsumque grati animi contestatione, specialissimè venerentur.

S. Sturmius Vvederoniæ Apostolus.

Romani Pontifici ex Ordine nostro de Colonia meritissimi.

Sæpè Colonia à Schismate vindicatur.

Dedit idem magnus noster Patriarcha lectissimos ex Ordine Coloniæ Archipræsules, tanto quidem numero, vt solum, tam procul positum Augiæ Diuitis Cœnobium, Pontificibus doctissimis, & Sanctissimis, supra omnem suam gloriam atque opulentiam verè ditissimum, eidem Cathedræ non paucos submiserit; quorum etsi plerumque nuda nomina, solo Archiepiscopi, absq; certo loci, titulo, Fasti Monachorum Augienses referant, facilè tamen Episcoporum Germaniæ Syllabos contexentibus, & examinantibus liquet, quinam cuiq; Sedi assignandi, sicut doctissimo Ægonio mihique facilè fuit, ex iisdem Fastis Hildebertum, Vvillibertum, Guntharium, Brunonem, & Euergerum Colonienses agnoscere, quorum nominibus, & temporum series, & vita inprimis ipsa, ipso in Archiepiscopatu Monachalis, satis superque consentiens responderet atque attestaretur; è quibus solus Guntharius, cætera laudatissimus, ab eo minus commendatur, quod Lothario Austrasiæ Duci, sororem suam, repudiata legitima coniuge, ducturo, consensum præbuisset; cæteri Sanctitatis opinione celebres, quo maius non potuit, decus Archi-Cathedræ Coloniensi æternum addidere; Sancti Hildebertus inprimis, Vvillibertus, & Bruno, ob eximiam vitæ dignitatem Diuis Tutelaribus Coloniensibus accensi, postremus, multo insuper no-

Sola Augia Diues multos dat Archiepiscopos Coloniæ.

Eosdemque sanctitate celebres.

SS. Hildebertus, Vvilibertus, & Bruno.

Brunonis merita. mine de Colonia meritus, quam, alia inter beneficia, à tributis liberam reddidit, & condito Diui Panthaleonis Cœnobio multo illustriorem ac beatiorem effecit, è quo nimirum, tanquam Sanctorum virorum promptuario, multum deinceps ornamenti ac commodi in ciues, & viciniam redundauerit.

S. Agilolphus. Sed ante omnes Sancti Agilolphi nostri, ex Monacho Malmundariensi Coloniensium Archipræsulis gloria effulsit, & meritum præcelluit, vt quod ipse gloriosissimo suo sanguine consignauerit, *Pro Iuribus Ecclesiæ Colon. martyr.* cum pro credita sibi Coloniensi Ecclesia eiusque tuendis iuribus, vitam sponte exponeret, & crudelissimè trucidatus, MARTYR occumberet. vt hac ipsius purpura longè spectatior *Aeterna Coloniæ gloria ab Archiepiscopo Mart.* Colonia, quam ipsa Imperij Electorum, immortaliter haud immerito glorietur, Martyrem ac Tutelarem, æquè ac Moguntia, è suis ac nostris Pontificem habuisse, & qui pro suamet Ecclesia animam ponere, & vitam cum sanguine profundere non dubitarit.

Hildebold^{o} Archiepiscopus. Hildeboldus, incertum an, & quo loco, ante Pontificatum, in ipso tamen tantæ dignitatis apice verè Monachus, celeberrimum Diui Petri Monasterium condidit, eoque quantum liceret se condere, & labores Pontificios quiete Monachica solari in-*Cathedrale Monasteriū Colon. vnde?* præcipuis habuit, quod ipsum postea Monasterium Cathedrale Metropolitanum euasit, vt præcipua quæque Germaniæ, è nostris seu splendorem, seu originem habuere.

B. Hermannus Archiepiscopus. Nec minus decus Coloniæ Beatus Hermannus, è Monasterio Sancti Panthaleonis ad Archiepiscopalem Cathedram secum contulit, cum ex Abbate Archi-Antistes creatus, non tam doctrinæ verbo & eruditione clarissimus, quā spectatissimus sanctitate, suam ipse Ecclesiam, & dignitatem honoratissimas redderet.

Tres alij Archiepiscopi Colon. Gero, Vvarinus, & Heribertus, Cathedrales, ni fallor, Monachi, haud aliter atque cœlestia sydera Germaniæ vniuersæ, nedum Coloniæ illuxere; quorum primus Monasterium Gladbacense condidit, & nouelli ipse gregis non tàm liberaliter patronus, quàm exemplo vitæ dux extitit, *Gero ab Angelo cōmendatus Cæsari.* quem Canonicè electum Archiepiscopum, cum Ottho II. incertum, qua ex causa, inuestire nollet, ab Angelo monitus, præcipuo deinceps in honore habuit, & eius gratia etiam Coloniæ fauit. *Vvarinus in ipso Archiepiscopatu monach^{o}.* Vvarinus siue Vvalramus, & ipse suis oneribus solatium quærens, Sancti Martini in

insulis Rheni Monasterium restaurauit, in quo & ipse commorari, omni Archiepiscopali honore potius habuit, eoque se quoties per negotia Ecclesiæ licuit subduxit. Sanctus Heribertus autem, in eo, quod indicio Augustissimæ Cœlitum Imperatricis construxit, Tuitiensi Monasterio, Monachis suis vix vnquam seu vlla ratione deesse potuit, tamque charo Deiparæ loco iam etiam Archiepiscopus, se totum addixit, ex quo Cœnobio singulari eiusdem ADMIRABILIS Matris, & Hereberti Clientis fauore, & opera, velut vastissima alueo Rhenus, flumen se gratiarum ingens, Coloniam effudit, & si nihil aliud commemorem magnus ille Virginum Virginis Amasius castissimus, æternum Coloniæ, Germaniæ, Europæ, & vniuersi decus, Rupertus Tuitiensis, Diuinus planè, & creante Cœlo, Cœlique Regina DOCTOR prodijt. Vt admirando Coloniæ à nostris splendore toti obstupescamus. Quin & illud dignissimum: in Hereberto nostro Tuitij Conditore, Coloniam Electoratus SEPTEMVIRALIS munere, & honore, à Gregorio nostro eius nominis V. Pont. Max. insignitam, vt nouo applausu Coloniæ de tanto à nostris honore, & quidem ipsi eminentissimo Electorum, & Successorum Ordini, de auspicatissimis Electoratus tanto à & in viro initijs, de PRIMO ELECTORE inter SANCTOS, ET TVTELARES COLONIAE relato, immensum gratulemur.

S. Heribertus Deipara gratus.

Eius meritum.

Tuitij, & Coloniæ gloria.

Sanctus Elector.

Coloniæ felicitas.

Sanctus Anno, quartus Electorum, Episcoporum trigesimus quartus, Monachorum pater, & Patronus præcipuus, Monasterium Sigebergense amplissimum, & celeberrimum fundauit, in quo sæpius commoratus, Regulæ SS. P. N. BENEDICTI statuta strictim, etiam in ipso Pontificatu obseruauit, sola laborantis grauiter Ecclesiæ necessitate retentus, quo minus abdicato Archipræsulatu, in eodem se omnino concluderet. Vixit tamen nihilominus in ipso Septemuirali honore verè Monachus, imo tanquam speculum Monachorum, & Ordinis Monastici singulare ornamentum, prçter disciplinam, & studia alia Monachica, Paupertatis Sacræ inter amplissimas Cathedræ suæ opes, longè studiosissimus, adeo quidem, vt cum in Imperio, inquit vitæ Auctor, diuitijs cunctos præcelleret, in Ecclesias, Monasteria, Xenodochia, & pauperes omnia, quotidie, nihil sibi reseruans, erogaret, *VT SAEPE, NEC NVMMVM, NEC NVMMI PRE-*

S. Anno Archiepisc.

Regula in Archiepiscopatu obseruatissimus.

Paupertatis studiosissimus.

TIVM, SVB SVI IVRIS CVSTODIA HABERET. In eo inprimis sedulus, ne tam Principem se, quam verum Pastorem, verum Pontificem, & communem omnium patrem exhiberet. Inde ægros ac debiles per Vrbem ipse semper recensuit, quibus de mensa sua, solatia cibosque submisit; ad quam è Regulæ nostræ legibus, pauperes quotidie, & peregrinos adhibuit, quorum ipse pedes lauit, & quo quisq; abiectior, & neglectior erat, amantius habuit, fouit, strinxit, atq; osculatus est. Fuit stupendæ prorsus, in tuenda Ecclesiastica libertate constantiæ, & magnanimitatis, grauissimum mortis periculum fortissimo animo contemnens; sed & in commodis Imperij promouendis, & Imperatore ipso ad saniorem frugem reuocando, indefessus; à quo acerbissimis odijs pro Iustitia appetitus, iuratissimo hosti sæpius occurrens, ita semper mutatum depræhendit, vt etiam venienti, reuerentiæ ergo, superbissimus Cæsar, humillimè occurreret, pacisq; osculum, summæ cum dilectionis ostensione offerret. Mortuus est tantus Elector noster A. C. 1075. & apud suos Sigebergenses Monachos sepultus, miraculorum gloria, & in vita, & à morte gloriosissimus, & Prophetico inprimis Spiritu à Numine commendatus.

Pauperum pater.

Eius libertas, & constantia.

Cæsari metuendus.

Mira Imperatoris mutatio.

Miraculis claret.

Fridericum I. Foro-Liuiensem Principem, Arnoldum II. Altenæ Comitem, & Philippum de Heinsperg Comitem, quamuis necdum legerimus expresse nostris adscriptos, FRATRES tamen, vt vocant, ORDINIS CONSCRIPTOS, Monachorum totos, vitæ eorumdem in Pontificatu obseruantissimos deprehendimus, quorum primus, duo minimum illustria Ordinis Cœnobia, S. P. N. BENEDICTI in insula Rulandi, & alterum Veterocampense condidit, Arnoldus autem religiosissimus Pontifex Rindorpense nobilissimum construxit, Philippus denique celeberrimum illud Sanctissimæ Congregationis nostræ Cisterciensis, Heisterbacense fundauit, haud sine præsenti Numinis ope, & gratia, centuplum ipse in hac etiam mortalitate recipiens, duobus amplissimis Principatibus Angriæ, & Vvestphaliæ auctus, vt hanc etiam amplissimo Præsulatui fortunæ atq; opum accessionem successores Principes posteri, haud minima ex parte ad BENEDICTVM Archiducem nostrum, in beneuolos beneuolentissimum ac liberalissimum, non immerito referre videantur.

Tres alij Archiepiscopi nostris accensendi.

Accessio ingens ad opes Colon. Archiepiscopatus.

Phi-

Bruno III. Archiepisc.

Philippi successor Bruno eo nomine III. Sancti Brunonis primi Sanctissimè æmulus, Melliflui Doctoris nostri Diui Bernardi familiari consuetudine succensissimus, non satis habuit in Pontificatu vitam Monachi agere, nisi Electorali summo post Imperatores honore, & Archiepiscopali se abdicans dignitate, vile cucullum amplexus, in Monasterio veteris Montis viuum se conderet, vbi Principes Cliuiæ Montiumque cognati & posteri, è quibus oriundus ipse erat, mortui tumulis inferebantur. Consequutus in cucullo, eam à Numine gratiam, vt vita magno in rigore summaque animi demissione humillimè exacta, non sine sanctitatis opinione decederet, & eo etiam nomine Coloniæ suæ, vt Ordini nostro ornamento æterno esset.

Fit Monachus.

Sanctit. opinione claret.

Sanctus Engelbertus denique è Comitibus de Monte ortus, vita & conuersatione (nescio an professione) verè Monachus, quin & pater & exemplar lectissimum Monachorum, de Ecclesia Vrbe & prouincijs Coloniensibus longè meritissimus, studijs & vita Monachorum, illustrior multo, quam Septemuiratus eminentissima dignitate eminuit. Cuius tamen *pretiosa in conspectu Domini* mors, supra omnem Archipræsulum gloriam Coloniæ splendorem sublimissimè prouexit, vt tanti rursum E L E C T O R I S, & M A R T Y R I S gloriosissima laureola, huic de Coloniensium nostrorum laudibus discursui, dignissimè coronidem imponere videamus; tanto quidem maiore in Ordinem Sanctissimi Patris nostri B E N E D I C T I redundante gloria, quanto diligentius in summo honore eius Regulas Engelbertus suspexit, & quantum per negotia poterat, obseruauit, quantoque dignius & illustrius fuit, non pro quacunque, seu propria Ecclesiæ caussa, sed quod pro Monachis suis, & Essediensi Cœnobio, contra inuasores & iurium violatores se se opponens à proprio Cognato Comite, crudelissimè interfectus, gloriosissimè occubuerit.

S. Engelbertus Archiepiscopus.

Elector, & Martyr.

Pro Monasterij iuribus Archiepiscopus occumbit.

Vt non tam de Cydari & purpura Electorali, atque Archi-Cancellariatus per Italiam dignitate etiam à nostris, Gregorio nimirum V. Pont. Max. Corbeiensis olim Cœnobij Monacho, Coloniensibus collata, quam de tantis nostris Præsulibus, æternum Colonia & felicissimus Monachorũ Ordo plaudant triumphetque.

Electoralis dignitas Coloniæ à nostris collata.

ELE-

ELECTORALIS DIGNITAS A B.M. Gregorio nostro V. Coloniæ collata.

Ingens Sanctorum nostrorum numerus singulare Coloniæ decº.

TAceo reliquā eiusdē dignissimæ Vrbis, à Sanctissimis per amplissimam Diœcesim Monasterijs,& Sanctorū nostrorum manipulis insignibus beatitatem, vt vndecim millium virginū Martyrum suarum numerum longè superare, nedum æquare tot Monasteriorū tāta Archidiœcesceos sydera nostra videantur, eo ipso etiam vndecim millium Virginum sacro exercitu, singulari Numinis erga Ordinem beneuolentia, (vt præcipuus fere SS. Reliquiarum thesaurus in diuersis toto orbe Cœnobijs, nostris creditus in hodiernum vsque diem asseruatur) nostrorum felicitati accensendo, quod in Cœnobio, Ecclesiæ area, & agro S. Panthaleonis, conditus sepulturam acceperit, & nunc maxima ex parte conquiescat: orbe terrarum vniuerso tantos fructus in acceptis eidem Illustrissimo Monasterio referente, cum vix vllis orbis in oris Cathedralis Basilica, Monasterium, imo sacellum siue Altare reperire sit, quod non de agri illius fertilitate, Monachorumque eiusdem loci liberalitate, participans ac beatum, Coloniæ nostræ, & felicissimis beatissimi Cœnobij Ascetis obstrictum sit. Sed Treuerim adeamus.

S. Panthaleonis Monasterium.

De toto orbe meritissimum.

TREVIRIS.

Nostri mille modis Treuerim demerentur.

DEmeruere hanc Germaniæ Vrbem longè vetustissimam, mille, imo innumeris; meritis, Sanctissimi Archiducis atque Imperatoris nostri BENEDICTI, tam filij quam nepotes feri, diuersissimis sæculis, suam bene merendi promptitudinem, grauissimis exemplis ad omnem posteritatem contestati, vt non tam antiquis vetustissimorum Scriptorum, TACITI, Ammiani, Saluiani, Ambrosij, Thiofridi titulis: *TRIPATITAE GALLIAE PRIMA METROPOLIS, CLARVM DOMICILIVM PRIN-*

PRINCIPVM, VRBS POTENTISSIMA, EXCELLENTISSIMA, SPOLIIS EXERCITVVM, ET DVCVM CAEDIBVS OVANS,&c. VRBS QVOQVE NOBILIVM NOBILIS ATQVE CAPVT, Fortunato, imo, *ROMA SECVNDA* Berengosio auctore glorietur, quam de tanta Sanctorum ex Ordine nostro copia, de æterna eorumdem beneuolentia, & fida è Cœlis custodia, de beneficiorum acceptorum, magnitudine multitudineque, de parta sibi ab ijsdem felicitate, gloria, fama, fructu æterno, plaudat immortaliter triumphetque.

Tituli Treuerorũ Metropolis.

Ingẽs copia SS. ex Ord. Treuerorũ præcipua gloria.

Primum ac princeps, & quidem absque comparatione meritum, propagata per nostros Christi Fides fuit, pridem quidem ab ipso S. Euchario Diui Petri discipulo Treuerensibus annunciata, à Diuis Valerio, Materno, Auspicio, Celso, Felice alijs Apostolicis viris, non sine fructu, mentibus Treuerorum instillata, sed quæ persecutionum acerbitate, bellorum iniuria, temporum iniquitate, barbarorum feritate, cacodæmonum scelere, ad BENEDICTI vsque tempora, impedimentum haud leue passa fit, stulto atque insano dœmonum cultu, profundissimis eousque radicibus miserrimorum hominum corda occupante, omnemque Episcoporum operam fallente atque eludente, vt velut Sanctissimo Patriarchæ nostro vltimæ, conuertendæ Italiæ partes, singulari Numinis prouidentia, cum gloriosissimo Apostoli Titulo sunt reseruata, ita & nostris, imo eidem in suis filijs gloriosissimo Patri, edomandæ denique Germaniæ, & Treuerorum antiquissimæ prouinciæ gloria destinata videatur.

Qui primĩ Treuerorũ Apostoli.

Gentilia sacra diù post exercita atque obseruata.

Laborauit, præter & ante Magnum atque vniuersalem illum Germaniæ Apostolum, Diuum Bonifacium nostrum, eiusque discipulos, in agri Treuerensis cultura, Apostolicis zelo ac merito Sanctissimus ille GOAR siue GOARVS Trigoriensis Cœnobij Monachus, qui propagandæ Fidei Christianæ desiderio ac feruore incensissimus, pro Treuerensibus ac finitimis se totum deuouit, & maximis atque irremissis laboribus Apostolico in opere strenuè desudans Tertij Treuerorum post Diuos Mammertum & Eucharium APOSTOLI Titulum meruit, plurimosque ibidem cùm prædicatione & miraculorum stupenda gratia, tum maximè vitæ sanctissimo exemplo Christo lucratus est. Fuitque tanto maius Goaris meritum, quo magis insuperabilis chari-

S. Bonifacij & socij de Treuerensibus meriti.

S. Goar. Tertius Treuerorum Apostolus.

Insuperabilis eius charitas & patientia.

charitas & patientia, nullis difficultatibus, minis iniurijsque à benemerendi studio absterrebatur, cum pro tantis meritis grauia, & indigna passus, ab ipsis cumprimis, qui fauere maximè debuerant, & obstrictissimi tenebantur indignissimis modis traduceretur, & plus quam hostiliter appeteretur. A Rustico scilicet secundo eius nominis, verè rustici tunc, imo improbi ingenij, Treuerensium Archiepiscopo, qui inuidentium Goari scelere, & criminationibus permotus, euersum oppressumque Apostolici meriti virum volebat, & quod studijs populi, Apostolum suum cultu magno, quo par erat, colentis, prohiberetur, confictо crimine virum sanctissimum fama primum, tum vero omni quo pollebat iure ac gratia deturbare conabatur. Ab ipso euocatus Goar, cum promptè se sisteret, grandi, raro, atque admirando prodigio, in oculis Episcopi commendatus à Numine est, cum solari radio, per rimam quandam in Pontificis conclaue se immittenti, cucullum appenderet, quod pro vecte ipse, seu pertica aspexisset. Ausus nihilominus nequam Præsul quod statuerat moliri, iactantiâ & præstigias magicas miraculum interpretatus est, quod ignorans prodigiosè fecerat vir Sanctus; eum perfricta fronte & dura voce alloquutus, super expositittio infante, quasi reum, & libidinis nota infamem sciscitatus est. Excusauit modestè se Sanctus, cumque vrgeret ac perurgeret Episcopus, cuius is infans esset enunciaret, multum at necquidquam deprecatus, paruit tandem, & infantulum trium dierum, rem ipsam ipsum edicere imperauit. Stupenda res! Infans protensa quamprimùm manu, Episcopum ipsum indigitans, illum patrem esse suum; Flauiam vero matrem appellari, verbis disertissimis pronunciauit. Delatum dein, acclamante mox populo ac Clero vniuerso, Archipræsulatus honorem, multo maiore respuit gloria, quam quisquam acceptauit, seu gessit, eo ipso magis mirandus; quod cum importunè nimis ad suscipiendum illud munus vrgeretur, flexo precibus in voluntatem eamdem Numine, diuturniorem sibi immitti morbum impetrauit, quo constaret omnibus, ipsa nimietate ægritudinis, Episcopatus functioni imparem esse. Quo quidem morbo septennium totum acriter vexatus, & salubriter occupatus, pessimè de se merito Rustico Pontifici, ne deijceretur honore, impetrauit, quemque

Ab Archiepiscopus exagitatus.

Calumnijs appetitur.

Improbitas Episcopi.

Cõfunditur grandi miraculo Archiepisc.

Archiepiscopatum recusat.

Morbum à Numine exorat.

paulò

paulò ante nostrum iuratum, obedientissimum discipulum & filium habuit, adeo felici successu, maximoque de Treuerensibus merito, vt magnus deinceps Rusticus & ipse sanctitate euaderet, & qui pessimo ante exemplo pessimè Treueros curauerat, postea miraculo & solatio vniuersis esset.

Rusticus E-pisc. eius discip. & sanctus.

Proximus meritis Goari, Treueros æternum sibi obnoxios Sanctus Vvolfus siue Vuluus noster reddidit, vir sane maximus, mirum sui sæculi, imo sæculorum omnium miraculum, ab ipsis teneris vnguiculis admirandus omnibus visus, cum iam scitè scriberet, antequam legere & litterarum ordinem nosset. Is conditum, octo ferè millium ab Exosio interuallo, Cœnobium ingressus, cum vitam Monachicam miro rigore aliquandiu egisset, & verbi Diuini prædicatione mirum in modum excelleret, Treueros progressus, Apostolicis meritis se longè lateq; commendauit, reliquiasque Idololatriæ in eà prouincia felicissimè proterens, ac profligans, famosissimum prope Treueros Dianæ symulachrum euertit ac comminuit, populumque Christo & Ecclesiæ matri conciliauit.

S. Vvolfus de Treueris meritus.

Reliquias Idololatriæ profligat.

Prætermimus reliquos, Vrsmarum, Audomarum, Eloquium, Bertuinum, Mombolum, Florentium, Humbertum, Vvigbertum aliosque è nostris Apostolorum titulo ac merito illustrissimos, qui omnes Treuerensium prouinciam, seu confinia suis sudoribus consecrarunt, & mirè fœcundarunt, vt vix pagus aut villa sit, quibus non singularis per Monachos gratia ac gloria obtigerit, vti eorumdem æterna monimenta, tabulæ, altaria, sacella, Basilicæ amplissimæ ad omnem æternitatem præconia loquentur, & merita commendabunt. solos è nostris Treuerensium Archiepiscopos enumerare aliquot libet, qui vel admirabili vitæ sanctitate, vel aliis maximis beneficijs Treuerensium antiquissimam gloriam mirificè auxerunt, & commoda promouerunt: è quibus primus occurrit, spectatissimus ille Treuerorum Tutelaris & Archiepiscopus, sanctissimus Nicetius in omni vita prodigiosissimæ sanctitatis fama celeberrimus, Beatissimi Patris nostri Mauri disciplinis excultissimus, ad vitæ Monachicæ sublimitatem in ipso vtero matris vocatus, ex quo memorabili in primis prodigio, ipsa natiuitatis hora Monachus prodire visus est, cum corona Monachica, velut rasus, caput insignitus nascere-

Apostoli Treuerorũ & confinium.

Archiepisc. Treuer. è nostris meritissimi.

S. Nicetius Treuerorũ Tutelaris.

Monachus ex vtero prodit.

tur. Monachus postea & Abbas factus, inter præcipua Ordinis columina post Maurum effulsit, suoque splendore Germaniam, Galliam, imo orbē terrarum vniuersum perstrinxit; ipsis Regibus in cucullo etiamnum verendus & venerandus, quorum scelera liberrimè perstrinxit, eoque nomine de amplissimis Regnis æternum meruit.

Regibus metuendus.

Creatus Treuerensium Archiepiscopus, mirùm! quanta seueritate iustitiam sanxerit, sanctamque voluerit, vtque ea causa nullum, ne mortis quidem periculum reformidarit. Theodoberto Rege, comitantibus excommunicatis nonnullis, Ecclesiam ingresso, sacra illico cessare iussit, donec excommunicati excederent. Renitentis atque indignabundi Regis, occultissima quamprimum flagitia energumenus quidam prodidit, quem frustra templo eijcere, confusus scelerum suorum narratione Rex conatus est, quoad pessimo insessore liberatus à Nicetio & curatus, nusquam deinceps visus est, eò prodigiosè, ad confundendum Regem, subitò deportatus, & mox restitutus.

Fit Archiepiscopus.

Theodobertum Regem confundit.

Clotharium Regem sæpè monitum, cōmunione fidelium interdixit, & ab eo Episcopatu deiectus, à suis omnibus, vno excepto Diacono quodam, fœdè desertus, crastina, eadem hora, ridentibus vniuersis, se restituendum prædixit, cum mox mortuo Clothario, sequenti prænunciata à se die, à Sigeberti Regis Legato, cum insigni confusione à se pridie desciscentium Clericorum, sedi suæ estitutus, in gratiam nihilominus omnes recepit. Mortuus tandem, vocantibus ad coronam Ioanne Baptista & Paulo Apostolo, mira deinceps miraculorum gloria refulsit, & Treuerorum deligi Tutelaris meruit, vt rursum Patrono ex Ordine Monachorum sanctissimo, tam illustris & Archiepiscopalis Ecclesia, immortaliter gaudeat & glorietur.

Archiepisc. deijcitur.

Propheticus spiritus.

Tutelaris Treuerorū.

Neque vnius solum, è nostris sanctitate beata, Metropolis Treuerorum fuit; Nicetio præeunte, quotquot ferè deinceps è Monachis ad cathedram suam euexit, totidem sanctitate, seu sanctitatis opinione, incomparabili suo cum ornamento, illustres numerauit: Sanctum Magnericum scilicet Nicetij, S. Gangericum Magnerici discipulos, quibus ex eadem, ni fallimur, schola Sabaudus successit, & S. Seuerinus II. Magni illius nostri Brabantiæ Alsatiæ plurimarumque prouinciarum Apostoli

Plerique à nostris Archiep. sanctitatis nomine celebres.

Amandi

Amandi discipulus: eum S. Modoaldus, è Ducibus Aquitaniæ, mox Sanctus Clodulphus, è Regibus Galliæ oriundus, patris sui Sancti Arnulphi exemplo & ipse Monachum professus, inde Metensium Pontifex, Treuerensium denique Archiepiscopus renunciatus. Iterum Sanctus Basinus, è Duce Austrasiæ Sancti Maximini Monachus, verè deinceps in Archiepiscopatu basis suæ Ecclesiæ factus. Postea Sanctus Luthvvinus Sancti Basini nepos sanctissimus, è Galliæ Belgicæ Duce potentissimo, humillimus, mortua coniuge, Mediolacensis à se conditi Cœnobij Monachus; nulli in Archiepiscopali culmine, sanctitate secundus. Quorum singula singulorum, si res præclarè gestas, & eximia de Treueris merita commemorare aggrederemur, opus hoc sanè nostrum nimium excresceret. Hildulphum tacere non possumus Lutvvini successorem, ab illustris generis probitate, morumque ac eruditionis præstantia Pipino Regi, Caroli Magni maximo parenti charissimum, virum per omnia admirãdum atque sanctissimum, qui è Monacho ad id honoris & culminis inuitus, diu multumque deprecatus atque obnixus, assumptus est; quod quãuis gloriosissimè administrasset munus, sponte deseruit, &, quod honoribus vniuersis anteferendum crederet cucullum denuo amplexus, tribus, ac quatuor, prius conditis Cęnobijs, in saltu denique Vosagi, inter sanctissimos sãctissimus, & miraculorum gloria lõgè illustrissimus vitam mortalem abrupit, ab eximijs & prodigiosæ beneficentiæ meritis etiam à morte commendatissimus; quæ inter celebrius illud, vt insolentius, atq. illustrius: quod vel sola quidem tunicæ eius expositio & explicatio, pestilentissimam aeris corruptionem corrigeret, & luis latè grassãtis pestiferam contagionem illico tolleret; sed & contra imbres nimios, seu ariditatem efficacissimum opem ac remedium ministraret, Hildulphi nostri gratia & gloria multis modis ad omnem posteritatem perennante, de quo mirum illud sacræ purpuræ decus Sanctus Petrus Damiani noster, *Quanta*, inquit, *sanctitatis, quamque mirificæ virtutis fuerit Hildulphus, spatiosus Occidens non ignorat*. Vt tantũ splendoris in Hildulpho suo & nostro orbi illuxisse Treueri nunquam satis sibi gratulentur, vtque illustrissima nostra ætate, sub nomine & Patrocinio Diui Hildulphi instituta Ordinis nostri Congregatio, Treueros etiam tanto post in

Videtur omnino noster S. Modoaldus.

Ecce quanti è nostris Archiep.

Maxima & plurima eorũ merita.

S. Hildulphus Archiepiscopus.

Archiepiscopatu se abdicat.

Fit denuo Monachus.

Miraculorum gloria.

Pestem profligat eius vestis.

Item pluuias fert ac tollit.

Elogium illustre.

Noua sub nomine eius Cõgregatio.

communi suo & ipsorum Patrono colendo haud leuiter demereri, pulcherrimoque pij ac grati animi exemplo extimulare atque accendere videantur.

Tres alij è nostris Episcopi.

Hildulpho Veomadus seu Vermadus, ex Monacho & Abbate Diui Maximini, Archiepiscopus successit; tum Richboldus, & ab hoc Vvaso Mediolacensis Cœnobij Abbates, ad eumdem honorem subuecti, omnes pro vitæ meritis, non sorte, seu ambitione ac fauore electi, ita se Clero, ita populo præclarè gestis comprobarunt vt vacante sede, quamuis non deessent sacro in Senatu, qui digni essent, dignissimos tamen solos è Cœnobijs peterent, qui sanctitatis tam illustre; tam diu retentum nomen Treuerensi antiquissimæ Cathedræ, sancta quadam æmulatione studiosissimè lucrarentur ac propagarent. Propagauit admirabili cum fructu atq. ornamento in orbem terrarum vniuersum, idem sanctitatis nomen Vvasonis proximus successor Beatus Hamularius Fortunatus, è Luxouiensi Cœnobio ad illud dignitatis assumptus, vnus vnicus si fuisset, Treueros suos illustrissimos redditurus, cuius vnius gloria sæculo & orbi vniuerso sat fuisset. Eum Sanctus Leo noster, tertius eo nomine Pontifex, Monachum etiamnum, ob eximias virtutes & dotes præcipuè coluit, & ob conceptam de ipso rei bene gerundæ spē maximam, Galliæ Belgicæ Primatem, Treuerensiumq. Archipræsulem renunciauit. Prosequutus Leonis studia Magnus Carolus, Imperatorum Augustissimus, summis honoribus Hamularium augendum censuit; sententiam eius maximi fecit, cumque ipso grauissima Reipubl. Christianæ & Imperij negotia contulit, ac dignissimum denique iudicauit, quem præcipuum ac dexterrimum PACIS CONCILIATOREM, summa cum potestate in Orientem ablegaret. Successit felicissimè Hamulario tanta Legatio, & Michaeli Curopalati Constantinopolitano Imperatori, adeo tanti viri ingenium & probitas arrisit, vt quæcunque vellet, facili negotio impetraret. Quæ causa, & Carolo, & successori Ludouico Pio filio fuit, vt eo velut è cœlis misso, benè vsi, maximi momenti res ipsi crederent inhiantissimoque cæteroquin viri Sanctissimi animo, promouendi boni ac salutis publicæ copiam facerent, studiumque benè merendi perpetuò accenderent ac promouerent.

Solliciti omnes de nomine sanctitatis.

B Hamularius Treuer. Archiepiscopus.

Maximi fit à S. Leone III.

Item à Carolo Magno.

Pacis Conciliator.

Legatus Cæsaris.

Carolus & Ludouicus Pius vt Angelum suspiciunt.

In

In Sacrum postea Purpuratorum Patrum à S. Gregorio nostro eius nominis IV. cooptatus, nullo eminentissimi honoris sensu tactus, onus longè grauissimum humeris suis impositum credidit, quantaque potuit virium contentione sustinere Ecclesiam, totiusque rei Christianæ commoda cordi habere occœpit, & quid in Cardinale requireret Sancta Mater Ecclesia, posteritati omni, facto ipso demonstrauit.

Tit. S. R. E. Cardinalis.

Quantum à negotijs otij erat, minimè otiosus exegit, plurimosque bono publico libros scripsit, quibus OFFICIVM præcipuè ECCLESIASTICVM accuratè distinxit, in meliorem ordinem redegit, ritus, & cærimonias doctè, & sanctè explicauit, eoque tam vtili labore, Ecclesiam vniuersam, omnemque omnium sæculorum posteritatem, sibi plurimum obligauit. Illud autem, omniũ meritorum longè præstantissimum fuit, quo non viuentes solùm plurimum demeruit, sed & mortuos mirè recreauit, & iuuit, ac cælum ipsum cælitesque noua, vt sic dicere liceat, beatitate beauit, dum zelo iuuandi proximos feruentissimo succensus, ad ipsos etiam inferos sollicitus penetrauit, atque studium suum vtilissimè exporrexit; eo, si nullo alio, vel solo quidem titulo, verè FORTVNATVS, cui æternum, afflictissimi purgatricibus flammis animi deberent, opem ac remedium singulare tam immensis supplicijs Hamularium suum non solum reperisse, sed & omnium sequuturis seculis torquendorum cruciatibus prætendisse, OFFICIO nimirum, vt vocamus MORTVORVM, composito atque ordinato, quod Sanctissimo Gregorio nostro IV. Pontifici Maximo tantopere placuit; vt haud inferiori merito illud ipsum quamprimum Ecclesiæ, & orbi vniuerso commendaret, eiusque deinceps, qui in hodiernum vsque diem, inexplicabili cum fidelium viuorum pietate, mortuorum vtilitate, fuit perpetuus, vsum præciperet, & OFFICIO ECCLESIASTICO, illud mortuorum inserendum curaret, recitandoque tempus adsignaret. Decessit singulare Eminentissimæ dignitatis Cardinalitiæ decus, Imperij columna, Treuerorum, imo Ecclesiæ vniuersæ gloria, Galliæ Belgicæ Primas A. C. 833. Vt nihil porro de alijs ex Ordine nostro Treuerensi in Cathedra successoribus, quantumuis dignissimis Hatthone Abbate Epternacensi, Thietgaudo, Rathbodoque ex eo-

Officium Ecclesiasticum ordinat.

Immortale eius meritũ.

Imò incomparabile.

Officiũ Mortuorum cōponit.

Immensus inde fruct⁹.

Toto orbe recipitur.

Moritur Hamularius.

 dem

Plures è nostris Archiepiscopi Treuer.

Hēricus Archiepiscopus Monasteriū Ordinis Cathedrali Ecclesiæ iūgit.

Alia merita in genere.

Hæreticorū fraus, & nequitia.

Produnt se ferices.

dem ad eamdem Treuerensium assumptis Cathedram, quorum ille de ipso Imperatore Ludouico Pio præclarè meruit, & morienti adstitit; hi duo Treuerim suamque Ecclesiam libertatis propugnatione, & bonorum etiam temporalium augmentatione haud leuiter sibi obstrinxerunt, de Bertholdo item seu Bertulpho Mediolacensi Abbate S. Aduentitij Metensis Episcopi nepote, deque alijs Treuerensium nostrorum Antistitibus libeat enumerare, adeo salutarem Monachorum copiam Sedi tam Sanctæ, imo necessariam iudicante Henrico Episcopo, vt Monasterium propè Metropolitanam Ecclesiam conderet, an potius restituens de nouo strueret, exquisitissimaque Monachorum instructum Colonia, minimè licentiosius, vt purè Canonicos, sed ad amussim Regulę viuere institueret. Vt nihil insuper de cæterorum è Monachis in ipsos Treuerorum Archiepiscopos, ciues, vicinos, subditosque meritis in medium proferamus, ipsam Electoratus supremam in Imperio dignitatem Galliæque Archicancellariatum à Gregorio V. nostro Ludolpho Archiepiscopo è Ducibus Saxoniæ oriundo, cognato suo decretam, solum obiter notasse satis habeamus, quam dignitatem, incredibile penè est, quantum Hæretici Iurisconsulti elaborent, sed nequicquam, à Gregorio V. non profectam, vt dum vel alij cuipiam affingunt, vel arrogatione Episcoporum Principumque, & vsu quodam ortam, & stabilitam contendunt, tantum gratiæ à Summo, & Romano Pontifice Germaniæ, & Imperio obtigisse, fateri adeo inuiti non teneantur; inuidentiam, & maleuolentiam eorumdem cùm ipsis Gregorij Germani Principis, & Romani Pontificis gestis, & Romanæ Ecclesiæ monimentis, prodentibus, & conuincentibus, tum vel maximè innumeris Electorum, & Ecclesiasticorum, & Sæcularium Syllabis, primum cuiusque ordinis Electorem etiam præterito Gregorij nomine signantibus, at ipsa temporis consignatione, & acceptæ Roma potestatis ac dignitatis diserta confessione, Gregorij Pontificatum, patriæque suæ consulentis, meritum connotantibus, & ipsa tantæ acceptæ gratiæ commemoratione, meritissimo ciui, & patri suo gratiam referentibus.

ELECTORALIS DIGNITAS A Gregorio nostro V. Treuerensibus Archiepiscopis collata.

Electoralis dignitas à B. Gregorio nostro eius nominis V.

SEd missis iam Sacris Electoribus, & Treueris, innumera insuper ex Ordine Benedictino Sanctorum copia, & meritis iure gloriantibus, & Patrocinio confidentibus, ad Electores Imperij reliquos animum, & calamum conuertamus.

ELECTORATVS PALATINVS.

FVit obstrictissima semper nostris Palatinatus vtriusque siue Noricorum prouincia, quam & si priscis, diuersissimisque longo decursu sæculorum toties mutatis terminis definiamus, & si posteris, vtriusque Bauariæ auctam titulo intueamur, omni omnino tempore, Monachorum studijs ac beneficentia, non solum piè, sed & prodigiosè, excultam, adiutam, defensam, sublimatam depræhendemus.

Diuersi olim termini Palatinatus.

Beneficiorum longè amplissimum æternumque illata, ac propagata Christi fides: quo quidem merito, communis Boiorum Apostolus, & meritissimus Tutelaris, primus Salisburgensium Pontifex Sanctus Rupertus noster, immortaliter se commendauit, & cum per seipsum, tum per discipulos lectissimos, inanium Deorum stulta, & impia Sacra passim sustulit, inque augendo Christi grege, incredibili labore, & industria desudauit.

S. Ruperti I. Episcopi Salisburgensis merita.

Huic Sanctissimo Antistiti, & fortissimo Christi pugili, Magnus ille Boiorum Dux Theodo ipse manus dedit, & eiurato Idolorum cultu, Christianisque imbutus disciplinis, Sacris à Ruperto ipso expiatus vndis, multo deinceps illustrior pietate, quam armis, & potentia euasit. Sequutus patrem Theodopertus filius, cum præcipuis Regni magnatibus, Christo similiter nomen dedit. Tum liberrima propagandæ per vniuersam prouinciam fidei accepta licentia, nauibus per Danubium Laurea-

Conuertit Theodonem Ducem.

Item Theodeberium.

Vttonem, item, & Dietpoldum Duces. *Innumeram item Boiorum multitudinem.*

cum delatus Rupertus noster, inde per Noricum Vtinum (œttingam nunc appellant) perrexit, vbi Vttonem Ducem, & mox Pisonij Dietpoldum, Theodonis fratres, pari felicitate Christo lucratus, cum innumerabili Boiorum ac Noricorum multitudine Sacris Baptismi vndis abluit, & plurimas passim basilicas condidit; eo inprimis merito, non de Noricis solum Boijsque, sed cœlo ipso meritissimus, quod Augustissimæ Cælitum Imperatricis in terris honorem summo studio promouerit, eoque Regni vniuersi incolas mirè succenderit, œttingæ præcipuè, vt & Reginoburgi, iuxta ipsa Principum Palatia, augustis ædibus Magnæ Matri excitatis, æternis deinceps in hanc vsque diem beneficijs, grandi prodigiorum multitudine, inde in Boios, velut apertissimo cœli ostio defluentibus.

Deiparæ cultum promouet.

Metropolitana Sedes Salisburg. ipsi debetur.

Dux Theodo postea, cum propè lacum Valerium apud Nariscos, Sedem Pontificiam exstruxisset, eamdem suasu Ruperti Iuuauium transtulit, eoque oppido, castro, & finitimis, grati animi ergo Apostolum suum liberrimè donauit, quam etiam Ecclesiam Theodopertus filius in gratiam eiusdem, amplissimis muneribus, & ditissimis prouentibus cumulauit, vt Metropolitanam etiam Ecclesiam Bauari, Metropolitæ ipsi, opes & gloriam, vniuersi salutem, ac felicitatem suam, etiam tanto post, Ruperto Pontifici, Apostolo, & Tutelari suo debere se, maximo cum plausu fateantur. Decessit tantus Antistes, plenus dierum, & meritorum, Magni Archiducis, & Patriarchæ nostri BENEDICTI exemplo, *inter orationis verba;* cum ipso Sacro Paschatis die Officium Diuinum peregisset 27. Martij A.C. 623. in suo S. Petri Cœnobio, quod Abbas ipse aliquamdiu rexerat tumulatus, grandibusque deinceps à Numine prodigijs honoratus; quem superioribus annis, insigni pompa translatum Paris Lodronius Salisburgensium Archi-Pontifex coluit, & vt palam esset, quantum maris, & terræ Rupertus pro Germania emensus fuisset, inter Triumphales arcus eidem erectos, publica tabula decumanis inscripta litteris prodidit,

Mors eius felicissima.

Eleuatur.

Magnus reuera Apostolus.

A BRITANNIS AD PANNONAS VSQVE PER ME INCLARVIT FILIVS DEI.

Cuius Imagini etiam, eodem arcu, Elogium tale Poeta affixit:

Vt sileant homines, quo Boica terra Magistro
Subdiderit vero, colla superba, DEO:
Saxa reor, syluaque nigra, montesque loquentur
Hoc ad RVPERTVM pertinuiße decus.

Sed, qui proximi meritis Magno huic NORICORVM, ET BOIORVM APOSTOLO, easdem demeruerint prouincias, quam breuissimè recenseamus.

Successit proximus Ruperto, vti in Pontificia dignitate, sic in Apostolica functione Sanctus Vitalis Abbas Sancti Petri, homo lectissimus, imo Angelus homo, admirabili vitæ sanctitate vniuersis reuerendus, dignus tanto Antecessore ac magistro discipulus, ab eodem sub mortem successor designatus, cuius solo contuitu nouellæ Christi plantulæ, velut solaribus radijs, & calore fouerentur ac vegetarentur, circum etiam, & procul positi, illustrarentur atque accenderentur: accedente insuper mira miraculorum gratia, ita vt sola oculorum in cœlos defixione cæcis visum redderet, solo suspirio claudis gressum, vnica familiari seu amica salutatione paralyticis integrum membrorum vsum prodigiosè conferret. Præfuit Ecclesiæ suæ vtilissimè atque sanctissimè annos viginti duos, in suo S. Petri Monasterio sepultus, & rarissimo illo ac præcipuè memorando, inter alia, prodigio à Numine illustratus, cum post eius obitum niuei candoris lilium, ex sacro, & Virgineo eius corde enascens, summa cum omnium admiratione, per ipsam marmoris, quo sacrum eius tegebatur corpus, duritiem erumpens, multis annis, ab vniuersa eo confluente multitudine conspiceretur, quod (stupenda res!) nulla vi frigoris, aut æstus marcesceret.

S. Vitalis Secundus Episcopus Salisburgensis.

Miraculorũ gratia.

Rarissimum planè prodigium.

Deprompti deinceps ex eodem fertilissimo Sanctorum Pontificum Promptuario, S. Petri nimirum Salisburgensi Monasterio, Sanctus Ansologus, tum Sauolus, mox Ezius, dehinc Flobargisus, post hunc Ioannes, Abbatiæ prius honorem omnes meriti, eo munere sanctè perfuncti, ad Cathedram demum Pontificiam, æterno cum Salisburgi, tum Boicæ vniuersæ, & ornamento, & emolumento euecti, quorum opera fibræ Gentilitatis omnes radicitus extirpatæ sunt, & cum sanctitatis opinione celebrarentur tanti Præsules, studia populorum

Episcopi ex Ordine plurimi.

Opinione sanctitatis clarent.

adeo accensa sunt, vt miram omnino facem ac lucem vniuersa Bauaria pręferret.

S. Virgilius Episcopus Salisburg.

Ioannem sequutus eodem in honore Virgilius, Hibernus Monachus, singulari Numinis gratia propagandæ Fidei zelo in Franciam primum ac dein Germaniam delatus, Stephani Papæ ac Pipini Regis auctoritate Pontifex Iuuauiensis siue Salisburgensis renunciatus est. Et hic quidem ad vicinos se quosque longè latèque exporrigens, eosdem assidua verbi Diuini prędicatione, feliciſſimè demeruit, Carinthiamque inprimis, sublatis impijs ac nefarijs Sacris, idolis euersis ac protritis, ab immani dæmonum seruitute, ad libertatem filiorum Veri Numinis traduxit. quam vniuersam prouinciam, ad Hunnorum vsque fines, vbi Drauus in Danubium influit, perlustrans, saluti omnium diligentiſſimè consuluit, Ecclesias construxit, Sacerdotes instituit, aliaque inter grauiſſima merita, primum ijsdem, vt & postea Chiemensibus Episcopum dedit, Scholas publicas instituit, suamque in propria persona Visitationis præsentiam vniuersis impendit. Vt nihil de specialibus in Salisburgenses beneficijs memoremus, suo loco, de Episcopis Germaniæ, ipsius & successorum res præclarè gestas notaturi.

Ecce vigilā tem Pastorē.

S. Emmeramus Noricorum Apostolus.

Non impari labore, fructu ac gloria Inferiori se Norico commendauit Sanctus Emmeramus noster, qui prædicandi Euangelij causa in Pannoniam iter instituens, delatus in Bauariam, & à Theodone interceptus, vt subsisteret rogatus est, quod eadem regio, necdum prophanos prorsum ritus, & sacra impia eiurasset. Substitit proin vir Sanctiſſimus, & triennij aſſiduo atque immenso penè labore, in omnes Norici latebras fidei lumen intulit, eoque & ipse nomine immortaliter sibi eosdem populos obligauit.

S. Bonifaci[9] de Boica meritiſſimus.

At quantum, quod maximus ille Vniuersæ Germaniæ Apostolus Diuus Bonifacius Noricis ac Bauaris præstitit! Agnouit Gregorius Pontifex Maximus vir Sanctiſſimus, datisque ad ipsum Bonifacium litteris, his ipsis verbis commendauit: *In Bagoariorum*, inquit, *prouincia, quæ à te acta sunt, agnoscentes, datori omnium bonorum, Domino DEO nostro, extensis ad cælum manibus gratias retulimus: quia ianuam misericordiæ, & pietatis in illis partibus Hesperijs, ad cognoscendam viam*

Commendatur à S. Gregorio.

viam salutis aperuit, & misit Angelum suum, qui præparauit viam tuam ante te &c.

Cæterum non vno merito de ijsdem meritus, repullulascentes multis locis sacrilegos ritus, & superstitiones nefandas è Boiorum cordibus exsculpsit, subnascentes item diuersas Hæreses, pestilentissimam inprimis Ermvvolfi Hæresiarchæ, ex eorundem finibus profligauit; cum vnum solum haberent Episcopum, tres insuper è lectissimis suis discipulis ordinauit, Episcopatuum fines distinxit, pessimas passim consuetudines sustulit, Principes sanctè instituit, populo multis modis consuluit, Clerum reformauit, Monachorum Colonias induxit, vt non immerito magnus ille Vvelserus, Nouatoribus sæculi nostri insultans inclamet: *Bonifacij memoria,* inquit, *supra omnem indiciorum aleam, Boicæ semper sancta erit. Neque non fructus eius doctrinæ constitit, numquam pietas culta impensius. Quod ipsum pleraque Monasteria per id tempus posita indicant, post tot sæculorum etiam ætates, & structuræ dignitate, & vectigalium magnitudine adhuc miranda.* Ita Velserus.

Trium Episcopatuũ institutor.

Elogium insigne.

Norimbergensem Vrbem Norici olim metropolim, & Palatinatus incolas verbo prædicationis, & vitæ exemplo Christo lucratus est Sanctus Sebaldus noster, Daciæ Regis filius, qui à patre, & Regina matre, vt nasceretur precibus à Numine impetratus, contempto postea Regno, & Regalibus nuptijs, Christi seruitutem, maiestate omni longè potiorem habuit, & Sanctissimi Patriarchæ nostri exemplo, Eremum primò petijt, totosque quindecim annos summo in rigore exigens, instructissimus inde ad conuersionem gentium prodijt.

S. Sebaldus Norici Apostolus.

Romam profectus, licentiam prædicandi in gentibus Christi Euangelium cum impetrasset, propè Ratisponam, dein Norimbergam Apostolico labore insignem Sanctæ Matri Ecclesiæ operam nauauit, idola vndique aboleuit, nec minore fructu, in Arianismo, denuo subnascente, profligando desudauit, quam Hæresim opere magis quam verbo conuicit, & admirandis prodigijs à DEO commendatus, cunctis, & admirationi, & venerationi fuit; ea inter Danubium veste imposita, cum nauis deesset mirè traiecit, cum præ nimio frigore penè congelasceret, & hospes ramenta struendo igni adesse negaret, Stiriam

Eius labores.

Miracula.

in carbones iniecit ác prodigiosè accendit, vitrea vasa fracta, integerrima mox restituit, diuersitori item suo, oculos erutos, & facultatem videndi reddidit, ob mirabilium magnitudinem, & multitudinem eximiamque vitæ sanctitatem Sanctorum albo adscriptus. Decessit vir Sanctissimus Magnus Palatinatus, & Norimbergensium Apostolus, in suo quod condiderat S. Martini Cœnobio, postea S. Ægidij appellato, quem pro tantis meritis æternum suæ Vrbi Tutelarem Norimbergenses adoptarunt, ipsumque insigni sub nomine eiusdem constructa basilica honorarunt, cuius meritis augmentum in omni gloria, honore, & felicitate persenserunt. Sed & paulo ante damnatissima Pseudomonachi Lutheri tempora, nobilissimum eidem Diuo Tutelari suo, ex Orichalco Mausolæum, singulari opere fabrefactum erexere, quod septuaginta octo millibus, & sexcentis insuper quadraginta quinque aureis fuit æstimatum.

Mors felicissima.

Tutelaris Norimbergæ.

Quāti olim factus.

S. Corbinianus Boicæ Apostolus.

E præstantissimis etiam Boicæ Apostolis, Sanctus Corbinianus noster primus Frisingensium Pontifex eluxit, qui multo insuper nomine meritus, Grimoaldum maximè Boiorum Ducem libidinosum ad meliorem frugem reuocauit, & miraculorum item gloria mirè resplenduit.

S. Vvillibaldus I. Eistettensius Episcopus.

Vvillebaldi primi Eistettensium Episcopi merita de Norico, nemo mortalium satis explicauerit, qui ex Vvaltheimensi, & Casinate Monacho Episcopus ordinatus, præcipuis Germaniæ vniuersæ Apostolis accenseri meruit, & innumeram multitudinem è detestanda scelerum atque idolomaniæ voragine vindicatam, gremio S. Matris Ecclesiæ aggregauit, & ob tanta collata beneficia, pulcherrimæ, & à se conditæ vrbis princeps item Patronus salutari, & honorari dignus fuit.

Apostolus Bauariæ.

Tutelaris.

Magni illius, & Sanctissimi Ratisponensium ex Monacho, & Decano Einsidlensi Pontificis Vvolfgangi quis quæso nomen ac gloriam ignoret, cuius tanta de Norico, & Bauaria, imo Imperio vniuerso fuere merita, vt eorum commemoratione tanto post vniuersa posteritas obstupescat. Fuerit satis orbi vniuerso, Sanctus ille Augustus noster Henricus Secundus Occidentis Imperator Vvolfgango à puero creditus, debitus, vt parem Henrico Principem numquam Bauaria habuerit, nullum sit habiturum Imperium Cæsarem, nisi rediuiuos Vvolfgangos

S. Henricus Augustus ex Duce Bauariæ.

S. Vvolfgāgi de eo, & Imperio merita.

Cœno-

Cœnobia ſint editura, cuius ſanctitatem & æterna in hanc vſque diem beneficia, ſatis eſt Bauariam vniuerſam loqui, quin & ſaxa ipſa clamare, Vvolfgangi veſtigia præ cereis tabulis profundius referentia; & procul etiam poſitos Vngaros APOSTOLI eidem deferre titulum, vt ab eius deprædicatione conſulto hic abſtineamus.

Alia Monachorum merita in genere.

Quid ſi iam primum collata in ipſos Principes & eximia quidem à Monachis beneficia commemoremus, à morte æterna, & temporali precibus & opera noſtrorum ſeruatos recitemus, prodigiosè in prælijs defenſos enumeremus, ſi reiecta purpura ipſo cucullo illuſtriores plurimos producamus, quorum alij admirabili vitæ ſanctitate æternum decus genti ſuæ & generi addidere, nonnulli etiam, diuerſarum prouinciarum, ſeu vrbium Tutelares Diui cooptari meruere, è quibus Sanctus ille Reinoldus ſiue Reinaldus, è veterum Palatinorum Comitum, ſanguine oriundus, Tremonienſibus Tutelaris à Diuo Annone aſſignatus, cucullum ſuo etiam ſanguine purpurauit; alij Eccleſiam vniuerſam non ſolum Bauariam demeruere. Quorum tantorum meritorum partē aliquam repetendæ ſuo loco & ordine, hoc ipſo in opere, Bauariæ reſeruamus, contenti, Palatinatus Norici totiuſq. Boi-

S. Reinold ex Comite Palat. Mon. & Mart.

Electoratus dignitas Boijs collata à noſtris.

ELECTORIS MVNVS A GREGORIO noſtro V. habent Palatini Comites Duces Bauar.

cæ conuerſionem, & Electoratus honorē in Imperio poſt Cæſares præcipuum noſtris deberi, ad quæ ipſa omnis ferè Palatinatus & Bauariæ non ſolum gloria, ſed & felicitas haud immerito ſit referenda.

E L E C T O R A T V S Saxoniæ.

Electoratus Saxoniæ à noſtris.

PRæter Electoratus eminentiſſimam in Imperio dignitatem à Saxoniæ Ducibus, vti & alijs Septemuiris à Gregorio no-

ſtro

ſtro eius nominis Quinto Pontifice Maximo, immortali cum merito æternaque tantorum Principum obligatione conceſſam

SEPTEMVIRATVS DIGNITAS A Gregorio noſtro eius nominis Quinto Saxonibus conceſſa.

Et quidem à Gregorio V. Duce Saxonũ Rom. Pont.

illud inprimis ad lõgè illuſtrius familiæ & gentis Saxonicæ decus acceſſit, illum ipſum Gregorium, tantopere de ſe, de Imperio vniuerſo, deque Germania quam maximè (quam excluſa omni alia in eligendo Imperatore Rom. natione, vniuerſis prætulerat) meritum, ex longè illuſtriſſima eorundem Ducum Saxoniæ Familia oriundum extitiſſe, & quæ in abauo ſuo Henrico Aucupe Imperium cum ſceptro & gladio meruerat, eamdem ſacro ſuo Orbis vniuerſi Imperio Pontificatu Maximo, tantiſque in eodem geſtis, multo Auguſtiorem reddidiſſe; vt hoc MINORIS (ad differentiam MAGNI Eccleſiæ Doctoris impoſito) GREGORII TITVLO, & MERITO, haud minus, quam de proaui eiuſdem MAGNI item cognomine OTTHONIS Imper. Auguſtiſſimi fama virtute & gloria Saxoniæ Duces & populi, æternum haud immerito glorientur.

Inſignis inde Saxonum gloria.

Gregorius Minor quãtus?

Cæterum reliqua Monachorum de Saxonibus merita, tanta magnitudine & numero ſunt, vt ſi vel obiter tangenda forent, & librum hunc noſtrum & inſtitutum multis partibus mole ſua excederent. De primo ſolùm ac principe beneficio, quo vniuerſam obſtrinxere Germaniam Noſtri, illato veræ Fidei lumine, paucula attingimus, nonnulla alia, quòd & in Bauaria factum, locis deinceps alijs commodius depromptúri.

Merita Monachorũ de Saxonia ingentia ſunt. Illud maximum illatio Fidei.

Obtigit ſanè Saxonibus, quod vix cuicunque alteri Germaniæ prouinciarum, vt in eius conuerſionem, non ſinguli, duo tresve incumberent, ſed plurimi deinceps ex Ordine noſtro, ijdemque ſanctiſſimi Prædicatores ac Pontifices, difficillimum difficillimo tempore prædicandi onus, apud efferatiſſimos obſtinatiſſimoſque certatim expeterent, atque incredibili labore & patientia Apoſtolicæ functionis munus apud eoſdem obirent. Et primis quidem initijs concitante Diuino ſpiritu Chriſti anno

Vix vlla prouincia tot Apoſtolos meruit.

sexcentesimo nonagesimo, digno, memorabili, & consecrato in primis Christi Apostolis numero, duodecim simul semelque, suasore maximè S. Egberto nostro, ducente Vvillibrordo, è Britannia Monachi profecti, hostias se se pro cognatæ olim gentis salute cœlo obtulerunt, subituri quam lubentissimè omnia vitæ discrimina, dummodo sanguine suo & sudore Christo, & Ecclesiæ, tam fœdè ac miserè exerrantes lucrarentur.

Duodecim simul ex Ordine nostro Apostoli Saxones demerentur.

Vvillibrordi immensi penè labores æternum apud Saxones nomen, meruerunt. Is Ripensis primùm Cœnobij in Anglia Monachus, ab Abbate postea suo studiorum gratia in Hiberniam missus, celeberrimos ibidem magistros, eosdemque sanctissimos viros, Egbertum & Vvigbertum nostros, diu audijt, à quibus diuinis non solum litteris instructissimus, sed &, talenta vt sibi credita benè impenderet, ad conuersionem gentium concitatissimus redijt, adeo vt iuuandorum animorum zelo totus æstuaret, simulque alios è Monachis optimos quosque accenderet & traheret. Permittente proin Abbate Romam profectus à S. Sergio nostro accepta prædicandi licentia, cum socijs vndecim in Saxoniam contendit, sexenniumque totum Apostolicis impendens laboribus, inde Romam redijt, & à Sergio, non sine Diuina reuelatione summo cum honore exceptus, & Traiectensium Pontifex ordinatus, multo maiore deinceps alacritate labores aggressus est. Longè nimirum vlterius se extendens, nullis contentus terminis, in Frisiam primùm, mox Hollandiam atque Zeelandiam, dehinc in Daniam vsq. excurrit, imo Borealibus omnibus prouincijs lumen intulit, curatisque passim languidis, reuocatis ad vitam mortuis, alijsque prodigiosè gestis innumeros ad Christi fidem amplectendam inuitauit atque permouit, eosque inter, Birslitanos, Hulstenses, Axellanos, & Hasnenses sanctæ Matris Ecclesiæ gremio addidit. Nec minore fructu apud Cliuenses laborauit. Siluæducenses, Campinienses, Vlissingenses, Colonienses, Traiectenses, Vesalienses, Embricenses, Vvardenses, Xantenses, Luxemburgenses, aliosque plurimis & grauissimis beneficijs æternum sibi obnoxios reddidit. Vt tanti Pontificis & Apostoli merita, omnem dicendi facultatem superare videantur. Nec defuit Martyrij meritum, quamuis deuexa ætate in pace quieuerit, cum Christi

S. Vvillibrordi incomparabilia merita.

Licentiam prædicandi impetrat.

Sexennij in Saxonia labores.

Vlterius se extendit.

Ecce quot prouincias vnus hic Apostolus noster conuersat.

Quot Vrbes & Respubl.

Martyr voto.

amore

amore non in omnia se solū pericula promptè coniecerit, sed & ipsa in occasione Martyrij iam iam Deo se consecrans, bono Ecclesiæ prodigiosè seruatus videatur, in villa præsertim Vvalachia, cum comminuto antiquissimo Idolo custos eiusdem, caput ipsius frustra gladio feriret, & scelus, illico arreptus atque interemptus à dœmone, lueret. Obijt magnus Saxoniæ, imo Germaniæ, & Borealium regionum Apostolus, Vltraiectensis Ecclesiæ Fundator meritissimus A. C. 739. in suo, quod, præter plurima alia, condiderat Cœnobio sepultus.

Moritur A. C. 739.

Sanguine fæcundant Saxoniam Monachi.

Neque primis etiam illis plantandæ vineæ & agri Dominici initijs fœcundissimus Sanctorum Martyrum nostrorum sanguis defuit, cum ex eodem Apostolicó numero sanguine, spiritu, zelo ac professione germani, Evvaldi duo cognomines, quartum prædicationis annum gloriosissimo fine ac coronide coronarent. Cum enim ad antiquos profecti Saxones, Principem illorum conuenire, & salutaribus monitis instruere conarentur, veriti gentiles pagi cuiusdam, ne non minimùm tanti viri apud Principem salutaribus proficerent monitis, eoque ad Christiana sacra perducto, & ipsi idolis renunciare cogerentur, alterum quidem gladio interimentes, alterum longo suppliciorum cruciatu, & membrorum omnium discerptione crudelissimè sustulerunt. Adfuere cœlestia mox prodigia, cum proiecta in flumen corpora aduerso cursu per quadraginta milliaria, ad locum vbi socij Apostoli erant mirè recurrerent, cœlesti desuper lumine, ijs etiam qui occiderant spectantibus, ea illustrante atque indicante.

SS. duo Evvaldi.

Martyrio coronantur.

Miracula.

Sed & biennio post, alius è duodeno illo Apostolorum numero Sanctus Vvigbertus eamdem prouinciam & Apostolatum suum Martyrio consecrauit: cum enim in Regionis insula quadam, cui à Foste celeberrimo Idolo, Foseteslandiæ nomen erat, auctor Sacerdotibus fuisset, vt delubra Iouis & Fostis destruerent, adeo irritatus eo facto est crudelissimus Frisiorum Rex Radbodus, vt virum sanctissimum diris quamprimum tormentis excarnificatum Martyrio conficeret, mirabili postea ex hac sacratissimi sanguinis profusione, in vtriusque Saxoniæ agrum fructu redundante.

S. Vvigbertus Saxonū Apostolus.

Crudelissimè interimitur.

Prætermimus singula cæterorum de diuersis Saxonum prouincijs merita, Svviberti tamen atque Vvillehadi præterire non possumus

SS. Svviberti & Vvillehadi maxima merita.

ſumus, qui paulò poſt Pontifices ordinati, miraculo non ſolum Saxoniæ, ſed orbi Chriſtiano vniuerſo, laboribus, fructu ac meritis nec non prodigiorum multitudine ac magnitudine fuere.

Suitbertus illuſtriſſimo Principum genere, patre Sigeberto Nortgalliæ Comite, Berta matre, Eugiſti pronepte à quo Britannia Angliæ primùm nomen indepta eſt, natus, vt naſceretur religioſiſſimæ matris precibus à DEO donatus eſt. Hæc cum leui ſopore oppreſſa, miræ magnitudinis ſtellam intueretur, quæ binis lucidiſſimis radijs & Galliam & Germaniam illuſtraret, eadem repente in ſtratum Berthæ cœlo delapſa eſt; quibus radijs merita ſanctiſſimæ prolis portendi, accitus ſummo mane Sanctus Aidanus noſter Lindisfarnenſium Pontifex parentibus prænunciauit. Quindecennis Cœnobium ingreſſus Suibertus, Bearmenſe vulgo appellatum, ac dein Monachum profeſſus, Sacerdotij inſuper honore inſignitus, tanta enituit vitæ ſanctitate, vt Reges ac Principes in magnam ſui admirationem pertraheret. Dacorenſis poſtea Abbas effectus, nec multo poſt, conuertendarum gentium ſtudio, cum ſocijs in Galliam & Germaniam delatus, apud Antiquos Saxones Apoſtolici laboris primitias Domino conſecrauit: moxque Comitatum Teiſterbandiæ, cum tota ferè Batua, & magna inferioris Friſiæ parte, Chriſto adiunxit. Dehinc ad Brunſuicenſes & finitimos populos conuerſus, eoſdem Euangelio imbuens, & virtute miraculorum confirmans Chriſtianos reddidit. Ad Boructuarios autem reuerſus, incultam, barbaram, & ſæuam admodum gentem, inuicta laborum & iniuriarum patientia, adeo euicit, vt ſuis ipſi manibus, quæ pertinaciſſimè antea coluerant delubra & Idola diruentes Eccleſias conſtruerent. Ab his, diuina reuelatione admonitus, ad Colonienſes delatus, non minus ibi benè operando & merendo profecit, & impetrato Vverdenſi vico à Duce Pipino, celeberrimum illic Vverdenſe Cœnobium, *fortem*, ait Sanctus Marcellinus, *ad expugnandam Saxonum perfidiam*, munitionē, conſtruxit, ampliſſimi paulò poſt Epiſcopatus Cathedra, ope eiuſdem Principis illic conſtituta, & ADMIRABILIS MATRIS VIRGINIS, quam tenerrimè dilexerat, eiuſdemque amorem Saxonibus diligentiſſimè inſtillarat, honori ac nomini conſecrata,

S. Suitberti natales. *Prænunciatio.* *Quãti fiat.* *Saxonum Apoſtolus.* *Brunſuicẽſium.* *Boructuariorum.* *Colonienſium.* *Vverdẽſiũ.* *Cultũ Deiparæ apud Saxones promouet.*

cuius & primus ipſe Pontifex, & à morte præcipuus à Magna Virgine Patronus meruit cooptari.

Mortuorum ſuſcitator mirificus.

Claruit ſtupendis omnino miraculis, mortuorum maximè, & dum viueret, & poſt mortem, ſuſcitatione, ab ea etiam inprimis morbi, quam Squinantiam vocant Phyſici, curatione celebratus. Euolauit autem ad præmia æterna, Magnus hic Saxonum, Teiſterbandiæ, Vveſtphaliæ, Hollandiæ, Batuæ, Friſiæ, Colonienſium, Vverdenſium, & Boructuariorum Apoſtolus Chriſti anno 717. etiam à morte de ſuis Saxonibus meritiſſimus, quos Fidei rurſum, & pietati obnitentes, coegit prodigiosè, & mirè triumphauit, cum interpellatus à Pipino Rege illico adfuit, adeoque Saxones Vveſtphaloſque iam triumphatores deterruit, vt ſupplices veniam rogarent, manus darent, & parere deinceps atque obſequi promitterent.

Etiā à morte de Gentilibus triumphat.

S Vvillehadus Saxon. Apoſtolus.

Proximus Suitperto Vvillehadus fuit, qui primus Bremenſium Pontifex renunciatus, primus omnium Doctorum, maritimas, & Boreales Saxoniæ Veteris partes, & Trans-Albianos populos per lauacrum regenerationis ad Fidei Chriſtianæ puritatem perduxit, & multa Paganorum millia baptizauit, & cum lectiſſimis ſuis diſcipulis vniuerſam prouinciam pedibus obiens, idola confregit, ſacra impia ſuſtulit, & fidei cauſa plurima adire pericula minimè exhorruit; fuſtibus quandoque acriter contuſus, aliquando ſtricto in iugulum eius mucrone, diuinitus liberatus.

Multa millia baptizat.

Solēnis eius Conſecrationis memoria.

Obijt glorioſiſſimus hic, & magnus Saxonum Apoſtolus ac Tutelaris A. C. 790. cuius merito olim tertio Idus Iulij ipſam etiam Conſecrationis diem, ſolemniſſima memoria, & gratulatione religioſiſsimè celebrarunt; cum ob inenarrabiles eiuſdem labores, & innumerabilem Saxonum multitudinem ad Chriſtum conuerſam, tum ob pacem denique ac quietem, poſt tot acceptas clades, (Vvindekindo nimirum Magno Duce, eiuſdem Vvillehadi opera, Chriſto, & Carolo Regi manus dante, & ſacris abluto aquis) Saxoniæ reſtitutam. Vt Vvillehado non ſolum plurimum, & immortaliter debeant Saxones eorumdemque Principes, primo ac Principe, illatæ veræ Fidei beneficio, affecti, ſed & præcipuorum ferè Europæ Principum ſera poſteritas, ſera Vvindekindi ſoboles, in eodem generis ſui auctore, & pa-

Vvindekindū Magnū conuertit, & baptizat.

Immortale inde meritum

& parente, duratura in omnem æternitatem obligatione eidem magno Saxonum, & Germaniæ Tutelari arctissimè obstricta: quorum, vtinam, plurimi, non adeo turpiter immemores, tam noui, infamis atque impij doctoris, Lutheri Apostatæ errores amplecti, quam tanti Apostoli confirmatissimam tot miraculis doctrinam, tanto decursu sæculorum comprobatam, & ab vniuersis maioribus suis strenuè defensam, & ipsi colere ac tueri maluissent.

Lutheri Apostasia & errores fœdi.

Excresceret nimium opus si sola Vvilfridi, Sanctissimi Eboracensium Antistitis, Lindisfarnensis Monachi de Saxonibus merita recenseremus, qui pro Ecclesiastica libertate exul, exilio ad multorum salutem vsus, diuertens propagandæ Fidei studio ad Australium Saxonum Prouinciam, vniuersam illam, annuente Rege illorum Edilvvach ab Idololatriæ ritibus ad Christiana Sacra perduxit. Sed & alio item beneficio Regnum illud prodigiosè iuuit, & dira oppressum fame, trienni nimirum siccitate exhaustum copiosissima pluuia fecundum reddidit. Vectæ quoque insulæ prædicatores destinauit; in loco autem Seolesey præclaro constructo Cœnobio, & Monachis, quos secum circumducebat, instructo, vberrima Christi ditatus messe, ad Sedem suam rediit.

S. Vvilfridus Australiū Saxonū Apostolus.

Extrema fame oppressū Regnum mirè liberat.

S. Vvlfrannus Fontanellensis Monachus, Senonensium Archiepiscopus haud impari merito antiquos Saxones demeruit, verbique, exempli, ac miraculorum gratia innumeros conuertit, eosque inter Ratbodi Regis filium salutaribus vndis expiauit.

S. Vvlfrannus Antiq. Saxonum Apostolus.

Et quomodo Maximus ille, & Vniuersalis Germaniæ Apostolus Bonifacius, qui benè merendo, & sanando omnes prouincias obijt, Saxones solùm pertransierit atque neglexerit? quorum & illud ad cumulum gratiæ, & gloriæ fuit, agri sui culturæ non immorari solum, sed & immori voluisse, & regio suo atque Apostolico sanguine tinxisse, impinguasse.

S. Bonifacij merita.

Immoritur Saxoniæ.

Apostolos reliquos Saxonum quis enumeret? quis satis deprædicet? Qui quanto obstinatiores, crudeliores, inconstantiores hos experti sunt, tanto magis S. Rom. Ecclesiæ operam suam, labores cælo comprobarunt.

Constantia nostrorum.

Quot Vverdensis solum Pontificia Cathedra, ex Monachis

Præsules, quot Apostolos, quot Martyres voto, & sanguine habuit? Quot Apostolicis meritis illustrissimos Antistites, Hamburgensis, Bremensis, Magdeburgensis, Suerinensis, Aldenburgensis, Lubecensis, Mechelburgensis, Raceburgensis, Hildesheimensis, Paderbornensis Mimigardeuordensis, Halberstadensis, Mindensis, Osnaburgensis, omnes Saxonum, & de Saxonibus meritissimæ Cathedræ, quæ omnes à nostris, siue nostrorum opera primum institutæ, primos plerumque, & præcipuos è Benedictino Ordine Pastores, & à morte Tutelares habuere, vt fidem, vt Cathedras, vt Scholas, vt Xenodochia, vt innumeram Cœnobiorum, Ecclesiarum, Monachorum, Clericorum, Sanctorum, propagatam felicissimè tot sæculis copiam; cumque his ad profligatissima vsque Pseudo-Euangelistæ sui tempora, solidissimam felicitatem, Tantis Apostolis suis, & BENEDICTO Patriarchæ nostro, Saxones vniuersi æternum debeant; atque vtinam, tot Tutelarium, nisi stultè nimis atque obstinatè respuere pergant, adiuti suffragijs, denuo agnoscant, & resipiscant.

Ingẽs numerus Apostolicorum virorum.

Ingentia & plurima merita.

Omnia S.P. N. debẽtur.

Quid vero de tanta imaginemur multitudine, sexus vtriusque Cœnobiorum, quibus Saxonum prouinciæ, tanquam illustrissimis triumphatæ, tanto nostrorum sudore, & sanguine, Gentilitatis, & ferocitatis barbaræ subactæ, trophæis, mirificis Principum Veterum, & priscæ pietatis monimentis, tantopere refertæ, præ alijs Germaniæ prouincijs enituere? ijsdemque gratam se esse suis Apostolis omni posteritati indicauere? Certè præter Fuldense, & Hersfeldense, pro Archisterijs Germaniæ habita, Prumiense, Corbeiense, Salfeldense, Vverdense virorum, Essense, Quedlinburgense, Gandersheimense, Gerenrodense, Herfordense Virginum, S. R. I. Principatibus accensa, summo semper in respectu pro dignitate inhabitantium habita, florentissimo olim Imperio, consilio, omni ope atque opera se se mirificè commendarunt, dumque florerent ipsa, florentissimum illud conseruauerunt. E quorum cellulis, tanquam nobilissimis S. R. E. & Imperij aluearijs mel doctrinæ, & sancti exempli cum lacte puritatis defluens, Germaniam vniuersam, præ omni illius Israelitis olim promissæ terræ, verè reddidit lacte, & melle manantem, atque exundantem, ita vt in proxima

Monasteria Saxoniæ plurima.

etiam latiſſimè regna ijdem, & riui, & torrentes ſe ſe effunderent.

Enumerationem Sanctorum atque Illuſtrium virorum, & Virginum, alij loco, & tempori reſeruamus; Corbeiam ſolùm, Saxoniæ, & S. R. I. miraculum, vel obiter innuimus, tanta Monachorum Sanctitatis opinione illuſtrium numero floruiſſe; vt ſi nullum aliud Germania Monaſterium, nullos alios viros illuſtres tanto numero Monaſteria habuiſſent, ij vel ſoli Imperio vniuerſo ſuffeciſſent, illudque ſpectatiſsimum reddidiſſent; de quibus ſolis, ab indubitatæ fidei auctoribus habeo, librum integrum Manuſcriptum, ante ſupremam hanc patriæ iactationem, in eiuſdem Cœnobij Bibliotheca fuiſſe aſſeruatum, quo potiora ſolummodo, tantæ ſanctitatis Monachorum geſta, & merita celebrata ſint; theſaurum planè ingentem, atque inconſolabiliter deplorandum, ſi cum tot alijs Germaniæ, & Cœnobiorum monimentis, in tempeſtate adeo fœda perire contigiſſet, barbarò admodum, & inexpiabili perdentium ſcelere, qui dum Monachorum ſolummodo labores perdere ſe crederent, Principum quoque, & maiorum ſuorum memoriam omnem ſuſtulere; cum niſi Monachi pro omni poſteritate, tantum olei atque operæ inſumpſiſſent, tot volumina conſcripſiſſent, Bibliothecas inſtruxiſſent, vix vlla vſpiam in Europa vetuſtatis memoria, & cognitio haberetur.

Viri, & Virgines SS.

Integrum volumen de Sanctis Corbeia.

Sed neque Virginum Cœnobijs ſua decora, imo ſydera defuere, quorum nullum non fuit, quod non raræ Virtutis, magnique meriti Viragines magno numero protulerit, vt de Germaniæ Partheneis non minus congruè dixeris, quam de Romanis Magnus Eccleſiæ Doctor Gregorius, poſt DEVM Opt. Max. non ſemel ſeruati Imperij decus, & incolumitatem ijſdem deberi, & verò merito earumdem feruentiſſimis ac potentiſſimis apud Sponſum Virginum precibus, aſſignari.

Merita Sanctimonialiũ.

Vt nihil de alijs meritis dicamus, & probatiſſima cœlo terriſque Veterum Germanorum pietate, cum in ijſdem tot lectiſſima pignora, imo viſcera ſua, maximi Germanię Reges, ac Principes Numini, gratiſſima, ſuper omnes alias, oblatione conſecrarent. E quibus, Gandersheimenſe, Eſſenſe, Quedlinburgenſe, quotquot ferè Moniales, tot Reginas, Principes, atque

Illuſtriſs. Virginũ Monaſteria.

Illu-

Illustrissimas fœminas, contemptu inanis gloriæ omniumque mundi illecebrarum spectaculum mundo vniuerso, & Angelis, & hominibus factas, edidere.

Prætermimus tot alia, præter hæc Principum, præstantissima Virorum ac Virginum Cœnobia, quorum, si vel catalogum solum, operi huic inserere voluissemus, & vel obiter decora cuiusque recensere, haud minimam voluminis partem occuparent. Neglectis autem de industria virorum elogijs, non possumus, quin vnius saltem, vel alterius, è tanto Virginum, & Amazonum Religiosarum exercitu, meminerimus: Magnæ nimirum illius GERTRVDIS, eiusque lectissimæ sororis S. Mechtildis, Rodardesdorffensis primùm, dein Helfftensis, & Elpediani Cœnobij Monialium, è familia Illustrissima Dominorum, & Comitum de Hackeborn natarum, quarum vtraque virtutibus, & grandibus meritis ad miraculum excelluit; vtraque non suo solum sæculo, non Saxoniæ solùm, sed Ecclesiæ, & posteritati omni, relictis inexplicabilis sapientiæ monimentis, Diuini Spiritus dictatis, mirificè illuxit, atque vniuersos æternum demeruit: vtraque Numini tantopere commendata, vt in earum gratiam, ingentia sæpè mala à diuersis prouincijs, toto Imperio, & terrarum orbe auerteret.

Helfftensis Monast.

S. Mechtildis.

Mechtildis vix nata, & à Numine electa, moritura videbatur prius quam baptizaretur, edocto diuinitus Sacerdote, non aliam morbi causam esse, quam ne destinata, prius quam nata, suis castis amoribus puella, Baptismo diutius frustraretur; à teneris deinceps vnguiculis, tantis iam comprobata sanctitatis argumentis, vt haud inuiti, Generosissimi parentes, in proximo Castellis suis, & ditioni, vltro volentem eoque conuolantem, Cœnobio, septuennem etiamnum Numini offerrent, tanti deinceps, à professione maximè Monastices, factam à Regum Rege, Virginum sponso, Virginis filio, vt non sponsam solum sibi cooptaret, & filiam, sed & cor suum (quantum id donum) ipsi pro pignore daret, iuberetque idem ipsi esse *domum refugij*. Tam splendidè iam iuuencula Mechtild. habitabat, & habebat. Neque absque fructu, & recreatione eiusdem inexplicabili, cum ab eodem rapta sæpius in Spiritu, mirabiliter sponsi amoribus frueretur. Inuitata quandoque ab ipso, iussaque perambulare

Christus ipsi cor donat.

lare longitudinem, & latitudinem cordis sui, ab eodem, spiritum oris sui in eamdem potenter exsufflante, cum his dictis: *Accipe Spiritum Sanctum*, ita mirificè repleta, vt statim membra sua omnia, flammantia radijs contueretur, videretque cor suum cum corde Christi, quasi aurum liquefactum confundi, & commisceri.

Sensibus Humanitatis Christi donatur.

Eadem aliàs ab eodem sensibus Humanitatis suæ corporeis dùm in terris ageret gratiosissimè donata. Vt nihil de Virginum Virginis in eamdem amore, & beneficijs memoremus, aliaque inter de vsu Salutationis Angelicæ eidem à Magna Matre dictato, ab ipsa verò in vsum Saxonum primùm suorum, dein omnium Christi fidelium, & Deiparam amantium scriptis vulgato, quod quidem documentum, nemo non religiosus, & verè Marianus cliens, non potest non inter deliciosissima sua, & gratiosissima numerare, & quotidie deamare ac frequentare.

S. Gertrudes mirabilis.

Gertrudes autem etiam maturius, ab ijsdem suis parentibus, quinto nimirum ætatis anno, Christo, & S.P.N. oblata, statim post professionem Monachicam tantis reuelationibus illustrari meruit, vt miraculo omnibus esset, deinceps autem tantopere Diuina Sapientia, & meritis apud DEVM, & homines cresceret, vt ille quidem totus ab ipsa raptus, eidem familiarissimè quotidie conuiueret, & colloqueretur; ab hominibus verò ad ipsam tanquam ad Delphicum oraculum, vndique concursus fieret, & nemo ab ipsa, absque singulari solatio, & gaudio, reuerteretur. Certè Saxoniæ suæ, ne dicam dissitis longè prouincijs, Dominæ suæ, quantum licet ministræ, æmula, *Ciuitas Refugij* extitit; tentatis inprimis certum perfugium, adeo quidem, vt ipsa etiam vestimenta, contactu eius Virginei corporis sacrata, potentissimum ijs superandis remedium afferrent.

Delicium cælitum.

Fuit Cælitum omnium singulare in terris delicium, qui ad ipsam quotidie familiarius inuisebant, Deiparæ inprimis miris, & perpetuis fauoribus felicissima, cui ab ipso filio IESV suo, specialissimè atque intimè fuit commendata. Sed super omnia admiranda, & stupenda prorsus, ipsiusmet Seruatoris, erga hanc Sponsam suam dignatio fuit, plurimis, imò assiduis, & longè maximis argumentis testatissima. E quibus, non possumus, quin pro honore DEI ac Gertrudis, nec non patriæ eiusdem,

pauca

pauca saltem, pro operis suscepti breuitate, obiter attingamus; quæ de dilecta sua, ipse Virginum Sponsus, diuersis magnæ gratiæ electis suis communicauit. *Ab infantia*, inquit, *eius, eam portaui, interque amplexus meos foui ipsam, seruans immaculatam in illam vsque horam, qua se perfectè, perfecta plenaque voluntate mihi counivit. Tunc enim è diuerso in illius amplexus, cum omni virtute Diuinitatis meæ, illi meipsum totum reddidi. Vnde feruentissimus illius amor erga me, tunc adeo etiam est liquefactus, adeoque è regione erga illam meus, quomodo vapor ignis præcedens, liquescit ad flammam mox sequentem, &c.* Audi mirabilem Saxoniæ, Germaniæ, imo Imperij atque orbis Vniuersi, ab amoribus hisce, & Hester huius nostræ in oculis Regum Regis gratia, fructum atque emolumentum! *Tanta*, inquit Christus, *huius animæ delectatione afficior, vt sæpè numero dum ab alijs hominibus offendor, meipsum in ea quieturus insinuem, atque pressuram cordis, aliamve molestiam tunc corporis eidem destinem. Quam, dum tanta, vt solet, gratiarum actione suscipit, tanta suffert humilitate ac patientia, tanta denique illam deuotione, in vnione passionis meæ mihi offert, omnino me reddit placatum, facitque (NB) vt innumeris sæpè hominibus, illius amore parcam &c.*

Mirus erga ipsam DEI amor.

Stupenda res!

Innumeris parcitur.

Neque minus illud, cum admirabili ornatu circumamictus cuidam apparens, innumeris fulgens gemmis, vna incomparabili, omnium aliarum colores referente, splendorem superante, in pectore insignitus, gemmas quidem alias, tot, eo tempore, electos in terris notari diceret, de hoc vero monili hæc subijceret: *Hoc continuè, in sponsæ meæ amorem, monile circumferam; quod quare triangulum sit, vt innotescat vniuersæ cœli curiæ, in primo folio refulgente, significatur, eam mihi inter omnes proximam esse. Nemo enim hodie viuit hominum, qui siue per intentionem puram, siue per bonam voluntatem, mihi, quam illa sit vicinior, aut coniunctior. In secundo folio elucet, ad nullam animam in carne viuentem, adeo me esse gratia, & fauore inclinatum, atque ad illam. In tertio resplendet; nullum esse mortalem hodie, qui fidelius sincerius que omnia dona mea recepta referat in solam gloriam meam, quam ipsa: vtpote de his nihil penitus sibi vendicans, aut vsurpans,*

Mira res?

pans, &c. Adiecit quoque: *Nusquam optatiori congruentiori-ue modo, me inuenire potes, quam aut in Sacramento Altaris, aut deinde in huius meæ dilectæ corde, & anima. Ad hanc enim (*ô mirabilem Summi Numinis dignationem!*) admirabili modo, omnem cordis mei Diuini delectationem conuerti &c.* Rursumque alteri: *Ego*, inquit, *totus sum illius, & eam per amorem inseparabiliter mihi vniui, sicut argentum, & aurum per ignem in vnum metallum conflatur &c.* Rursumque; *Ipsa mihi lilium est electum, quod manibus meis portare affecto. Suprema namque mihi est voluptas, deliciosaque in anima huiusmodi casta ac pura morari. Ipsa rosa est mea suauiter olens. Postremò ipsa est cunctis cælitibus, dulcis suauisonaque harmonia, &c.*

Mira dignatio!

Et quantum illud Gertrudis, cum iussa, repetito illo in oculis eius Ioannis I E S V pectore indormientis priuilegio, & ipsa donata, iuxta illum caput suum in pectore illo acclinauit, & cordis illius motus, & pulsus omnes articulatè inaudijt, & persensit? Quantum item, quod idem Crucifixus amor eius, quinque SS. vulnera sua, cordi eius sensibiliter impressit? Tantis omnino gratijs ab eodem prædita, vt magnus ille, & illuminatissimus Abbas noster Blosius, haud immeritò de ipsa diceret: *Nisi homines scirent, potentiam, & bonitatem Domini esse interminam, vix credere possent, illum tantam amicitiæ familiaritatem, præcellentissimæ Matri suæ demonstrasse in terris, quantam isti* (Gertrudi scilicet suæ) *demonstrauit, &c.* De mortis genere; quis satis explicet? *Acceperat quippè*, ait Blosius, *in promissis, à Diuina, & nunquam fallente Veritate: Quod sicut in morte Christi, virtus amoris nobilissima, separauit animam ipsius Domini IESV à corpore, ita in morte istius Virginis Diuinus Amor deberet omnes vires eius consumere, &c.*

Ludouici Blosii sententia.

Felicissimus obitus.

Ita occubuit Luna illa plena Saxoniæ, immortale S. R. I. decus, Magna Gertrudis, occurrente ad occasum, imo ortum adeo felicem Christo ipso ac Matre Virgine; illo languentem ac iam morituram brachio sustentante, ista caput ipsius eleuante; Apostolis singulis singulos digitis eius annulos pretiosos, Ioanne Euangelista duos, inserentibus; rapta ad thalamum, &

amplexus æternos Anno Christi 1311. Miraculis, & Prophetiæ Spiritu illustrissima. De qua ita vitæ scriptor religiosissimus: *Ipsa*, inquit, *fortis validissimaque fuit columna Religionis, ipsa constantissima Iustitiæ ac Sanctitatis propugnatrix, de qua non absurdè dici potest: quod in diebus eius emanauerint putei aquarum. Nam reuera, quo tempore ea vixit, nemo est inuentus*, (stupenda res tanta à tantilla Virguncula!) *à quo Sanctæ eruditionis flumina, profusius, fructuosius, & efficacius manarent, quam ab illa, &c.* Hæc paulo prolixius, vt ex vna, & altera disceres, Sacrarum DEO Virginum merita æstimare. Placet pro gloria Nobilitatis Saxonicæ, è tomis nostris Genealogicis fragmentum eiusdem stemmatis subiungere, cuius res alias paulo distinctius, cum in Annalibus nostris, tum Menologio nostro explicamus.

Columna Religionis.

FRAGMENTVM FAMILIÆ S. GERTRVDIS.

- N. Dominus, & Comes de Hackeborn
  - Albertus Dominus de Hackeborn.
    - Albertus II. Dn. de Hackeborn. Vxor Irmgarda.
      - Albertus III. Vxor Sophia.
        - Albertus V. Comes ab Hackeborn Dn. in Helffte, &c.
          - Albertus VI. Comes in Hackeborn, &c.
          - Fridericus Comes ab Hackeborn Vxor N. Comitissa de Stolberg.
            - Fridericus Dominus, & Comes in Hackeborn familiæ suæ vltimus.
          - Ioannes & Ludouicus cælibes.
        - Ludouicus Comes ab Hackeborn in Helffte.
        - Ottho Comes, & Dominus in Hackeborn. & Helfft.
      - Albertus IV. Comes Hackeb.
      - Fridericus Comes.
    - Ludouicus Comes ab Hackeborn claruit 1305. & 1326.
      - Sophia Vxor Gebhardi Comitis Mansfeldensis
  - S. Gertrud. Abbat. Elpediana.
  - Ludolphus D. ab Hackeborn.
  - S. Mechtildis monialis.



B. GERTRVDA VIRGO B. METHILDE VIRGO.

Sed missis iam reliquis nostrorum sine numero meritis, quorum, diuersis Aquilæ nostræ pennis, non nulla se prodent, ad vlteriora progrediamur.

ELECTORATVS BRANDEBVRGIVS.

Eosdem Apostolos habet Brãdeburg. Marchia, quos Saxonia.

HAbuit Marchia Brandeburgensis eosdem omnino Apostolos, quos Saxonia, cum eorumdem Ducum, eo ipso tempore, quo Monachorum opera ad Fidem conuersi sunt, Imperio subiaceret. Demeruere nihilominus, amplissimum illum terræ tractum, præ cæteris, Sancti Suibertus, Vvillibrordus, & Vvillehadus nostri, qui immensis penè laboribus se se longè latèque commendarunt.

Qui meritissimi.

Tum proximi meritis, Sanctus Tiagrinus è Corbeiæ Saxonicę Monacho Halberstadensium Pontifex, eiusdemq; successor Beatus Haymo Fuldensis Monachus; Lambertus dein, ex Monacho, & Abbate Ilsenburgensi Brandeburgensis Episcopus, qui ne vlli prouinciæ nostrorum sanguis deesset, Cathedram suam suo etiam sanguine purpurauit. Sed & Magnus, & primus Magdeburgensis Ecclesiæ (cui tota in sacris subiacet Brandeburgensis Marchia) Archiepiscopus, S. Maximini Monachus, S. Adalbertus, multarum prouinciarum meritissimus Apostolus, Brandeburgenses similiter immortalibus beneficijs, sibi atq; Ordini obnoxios reddidit.

S. Adalbertus I. Archiepiscopus Magdeburgensis.

Successit Ortericus Corbeię, alijque plures deinceps è Monachis, qui Apostolico omnes zelo flagrantissimi in cultu veri Numinis promouendo pro viribus connixi, æternos per eas prouincias nomen, & honores meruere. Sed & proximus Brandeburgijs Mechelburgensis Episcopatus, de vbertate sua viciniæ communicauit, & Brandeburgensibus S. Ioannis nostri Mechelburgensium primi Episcopi, Hiberni Monachi industria haud minimum profuit, qui etiam labores deniq; suos Martyrij laureola coronauit.

S. Ioãnes I. Episcopus Mechelburgensis.

Verbo: quot vrbes insignes, quot oppida, amplissima in ditione Brãdeburgenses Principes numerant (sunt autem illarum numero quinque, & quinquaginta, horum sexaginta quatuor) tot TRIVMPHATAE à Monachis GENTILITATIS, & IDOLOMANIAE numerant TROPHAEA, earum ferè omnium Basilicis, vt & plerisq; benè ac piè institutis ad San-

Quot vrbes Brandeburgensium tot nostra Trophaea.

Sanctiſſimos illos Apoſtolos noſtros initia referentibus, imo celebrioribus nonnullis locis, occaſione Monaſteriorum, & confluentis eo multitudinis plerumque exædificatis, ornatis, & dilatatis; vt nihil de vicis pagiſq; & Eccleſijs ruri olim ſtructis memoremus, omnibus non ſolùm antiquitate tam illuſtrium conditorum gloriantibus, ſed &, antequam Iconoclaſtarum vltimi ſæculi furor inualeſceret, ſiue Principe Patrocinio ac titulo, ſiue ſignis minimum, & ſacris Tutelarium ſuorum imaginibus, merita noſtrorum, debita & obligationem maiorum, tantaq; ſucceſſione poſterorum, innumerabili grati animi ſignificatione referẽtibus.

Innumera meritorum monimenta.

Marchionatus Titulum primò Brandeburgijs, tribuit Henricus I. cognomento Auceps Rom. ſalutatus Imperator, eiuſdemque Marchiæ primum Marchionem renunciauit Henricum cognatum, ex Vvitikindi Magni Nepotibus ortum, Chriſti Anno 923. cuius poſteri omnes noſtris obligatiſſimi, Principium felicitatis, vnicè ſaluantis fidei à S. Vvillehado, & diſcipulis accepere.

Primi Marchiones Vvitikindi à nostris cõuerſi nepotes.

Tum, non multo poſt, Marchionum ea linea, ſine ſobole extincta, Ottho primus Marchionatum in Bruniconem Vvethinenſem Comitem Soraborum Burggrauium tranſtulit, Vvitikindi item nepotem, noſtris eodem modo, multiſq; alijs titulis obnoxium, cuius poſtea filius Hugo, primus S. R. I. Septemvir Elector, à Gregorio noſtro eius nominis V. deſignatus, præcipuum illum honorem familiæ ſuæ meruit, & illuſtriſſimis deinceps gratiſſimi animi monimentis, acceptum, cui debuerat, Sanctiſſimo Patriarchæ, & Imperatori noſtro Benedicto retulit, cuius feris, meritiſſimis tamen perpetua ſucceſſione alumnis, ſolus hic lectiſſimus reuera Elector, ſeptem Monaſteria exſtruxit, & ampliſſimè dotauit, in quorum ſeptimo, à ſe Florentiæ condito, multiſque opibus locupletato ſepeliri voluit: digniſſimum tanto ſe honore, & ſua in Devm pietate, & in Cæſarem fide conteſtatus, cum eumdem Romæ obſeſſum, pleno fidelitatis ac prudentiæ conſilio, feliciſſimè liberaſſet.

Alia linea.

Primus Elector à nostro Gregorio V. inſtitutus.

Septem eodẽ tempore fundat Monaſteria.

Alia, & quæ multo tempore Marchionatum Brandeburgium curamq; vt vocant Electoralem habuit familia, Comitũ Aſcanię, Saliſquellenſium Marchionũ fuit, quæ non minus perpetuo Monachis, quam priores illę, ob merita debuit, vt quorum pręcipuus parens,

Alia familia Electorum.

Eius author per nostros fit Christianus.

parens,& author Beringerus I. à nostris similiter sacra Fidei Mysteria doctus, sanctè institutus, inferno præreptus, & à S. Hildegrino, primo Halberstadensium Episcopo baptizatus sit.

Postrema Electorum familia.

Postremi è Zolleranis orti Comitibus Marchiones & S. R. I. Electores, nostris olim ob paria beneficia accepta addictissimi, Sanctissimo Archiduci, cum plurima passim Cœnobia condidissent siue dotassent, impares nimium gratias retulisse arbitrati, nisi seipsos consecrassent, plurimi, eidem Magno Patri in cucullo se deuouerunt, è quibus in solo Augiensi Cœnobio tres omnino pro vitæ meritis, Erleboldus nimirum, Vdalricus & Fridericus ad Abbatialem honorem promoti sunt, Meginradus autem, tanta vitæ sanctitate effulsit, vt miraculorum illustrissimus gloria, inter Sanctos ritu solemni, & tota Ecclesia celebrari meruerit. qui etiam, ne huius familiæ purpuræ, longè pretiosissima tinctura deesset, eamdem Martyrij gloria aspersit &

Quot Monachi ex eadem.

* *Princeps eius decus.*

ELECTORATVS BRANDEBVRGIVS à Gregorio nostro eius nominis Quinto.

insigniuit, vt huius magis gloriari ornamento, ac niti Patrocinio, quam Sceptro Electoratus insigni, & Camerarij Imperialis Principe titulo, seros posteros deceat, nisi transuersos, eheu, tot Sanctorum Monachorum filios Hæresis abripuisset.

ELECTORATVS BOHEMIÆ.

Supra omnia alia merita nostrorum de Boemia.

ETsi talia de Electoribus, eorumdemque prouincijs, quæ iam protulimus in medium, Monachorum merita fuisse, vt vix maiora potuerint, haud immerito videantur, de supremo tamen Boemorum Electoratu & Regno, tanta omnino fuere, vt coronidis loco tanquam longè illustriora & digniora, huic de Electoribus tractatui conuenientissimè imponantur.

Boemia à Monachis conuersa.

Debet primùm & ante omnia, omne solidæ felicitatis principium & cumulum, Boemia, densissimis eousque mersa tenebris,

bris, agnitionem veri luminis, Sanctis Cyrillo & Methodio nostris, Sancti Andreæ in Vrbe Monachis, multarum gentium, Bulgarorum, Sclauorum, Croatarum, Morauorum, gloriosissimis Apostolis, qui immensis denique perfuncti laboribus ac discriminibus, eò etiam penetrantes, immortalibus beneficijs Boemos obstrinxerunt, idola, fana, lucos, sacra impia, pessimas consuetudines, crudelitatem, barbariem sustulerunt, templa, Xenodochia, Gymnasia, optima quæuis, & ad æternitatem omnem profutura instituerunt, exulantem diu amplissimæ prouinciæ fertilitatem reddiderunt.

Quanta vis meritorum.

Debet Boemia primos è Principibus suis Borsiuorium Ducem eiusque sanctissimam coniugem Ludomillam, non solum Christi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio aggregatos, sed & spectatissimis Reipublicæ Christianæ pugilibus accensos, quorum nimirum ille sub ipsa susceptæ Fidei initia admirabili constantia fidelitatem suam cælo terrisque comprobarit, Christique causa exilium, Principatu exutus suo, hilari animo, memorabili nouellis fidelibus exemplo, lubens amplexus sit, donec annuente Numine summo omnium applausu restitueretur; hæc, regij insuper sanguinis purpura constantiam suam & pietatem contestata, prouinciam vniuersam & fæcundiorem & cultiorem reddiderit, vterque dum viueren-, vitæ non solum Christianæ subditis, sed & Monasticæ exemplar facti, cum à se denique omnia regni negotia amolirentur, & in solis cælestibus, prout docti à doctissimis Magistris nostris fuerant, translato in filium Principatu, exercerentur.

Primi Duces Christiani.

Illorum cõstantia.

Pietas.

Debet Boemia, ipsam etiam coronã & Regni titulũ, prophetico spiritu eidẽ Boriuorio à Diuo Methodio disertè promissum, & à Numine impetratum. Sciscitanti siquidem ante conuersionem Principi (ignorantium scilicet & barbarorum more, qui vtilitate sola omnia metiuntur:) quidnam sibi inde lucri accessurum esset, si pluribus neglectis DEVM vnum coleret? Methudius, præter æterna, felicitatem suæ, suo ex sanguine, posteritatis, Regnumque prænunciauit: *Hæc*, inquit, *DEVS rerum omnium Author & cognitor, tibi per me significari iussit: Si tu abrenunciaueris idolis, & diabolis illa inhabitantibus, eris Dominus Dominorum tuorum. omnes inimici tui te pertimescent. Progenies tua futuris temporibus*

Regni coronam Boemi nostris debeat.

Prædictio prophetica.

tantæ gratiæ memoriam posteris statuit, & ad reddendas secum gratias prouocauit.

Et quid non debeat Boemia Vvenceslao nostro, Duci suo? Imo quid non debeat ipse Ordini nostro, cui debere se omnia fassus est, nec debito solui posse existimauit, nisi & seipsum Sanctissimo Archiduci nostro in cucullo emanciparet. Quod dum non voto solo, sed facto ipso aggreditur, eamdemq. ob causam Legatos ad Pontificem Maximum Romam destinat, dum moras necterent illi, impatientior crudelis mater Drahomira, in filium coniurat, fratremque in fratrem concitat, cuius scelestissima manu magnus Martyr, & primus ab Otthone Cæsare Boemorum renunciatus Rex, (quamuis Monachi quam Regis titulum mallet, & illo vti nunquam acquiesceret) immanissimè contrucidatus Vvenceslaus, voto minimè frustratus suo, ad Monachorum, Martyrum & Apostolorũ insignia & coronas accipiendas, magno in cœlos triumpho euolauit. qua ipsa nocte tanti Martyris meritum, remotissimo etiam Aquiloni innotuit, admonitusque Diuino oraculo Daniæ Rex Vvenceslai à fratre occisi memoriam sibi colendã suscipere, suscepit, & insignem quamprimum Basilicam honori & nomini Martyris exædificauit.

S. Vvenceslaus noster.

Primus Boemiæ Rex creatur.

Quanta corona ipsi debita.

Quid autem illustrius Regio ex genere post Vvenceslaum, quam Mladam, siue Miladam habuit, Boleslai fratricidæ filiam, patruo sanctissimo vita & moribus simillimam, quæ Regiam & ipsa pompam fastidiens, Regum se Regi in cucullo consecrauit, & S. Georgij, quod sumptibus proprijs Pragę condiderat, Monasterij, Antistita esse meruit, vt nemo satis miretur, bina Regij generis generatione, tot soles Boemiæ illuxisse, duos nimirum Martyres, tres Diuos Tutelares, Ludomillam, Vvenceslaum, Miladam, vno eodemq. sæculo & ætate, æterno cum Regij sanguinis ornamento, tum Regni Boemici firmamento, & primis quidem propagatæ à nostris fidei initijs, ex eorũdem schola, prodijsse. orbemque terrarum vniuersum admiratione rapuisse.

S. Milada Regina.

Abbatissa S. Georgij.

Ecce quot simul semel que Tutelaris Boemi habeant.

Debent Mladæ, Miladæ, siue Mariæ Principi suæ primæ S. Georgij Abbatissæ Boemi, Scholam siue Academiam publicam, incredibili atque inæstimabili bono primùm erectam, exquisitęque eruditionis atque sanctitatis Magistros vndique conuocatos, à quibus inolita genti barbaries depelleretur, & cùm

Vniuersitas Pragensis à S. Milada.

litterarum tum virtutis amor, iuuenilibus animis maturè inseretur; vt eo inprimis rarissimo exemplo Ordo Benedictinus glorietur etiam à fæminis tantum Regnis commodi & felicitatis obtigisse & tanti nominis Vniuersitatem huius tantæ Principis nostræ sub auspicijs primum effloruisse.

Ingens Ordinis gloria

Archipresulatum, eadem condit.

Debet eidem sanctissimæ Abbatissæ Regnum Boemiæ, fundatam primam Archipræsulatus Pragensis Cathedram, vt quæ fratri suo Boleslao Pio non solum huius rei author fuerit, sed & eam ipsam ob causam Romam ipsa contenderit, & amplissima Priuilegia eidem Ecclesiæ à Ioanne Pont. Max. impetrarit. Vt vni huic meritissimæ Principi, à quo Boleslaus totus dependebat, tanquam plenioris suæ felicitatis Archiduci, merito sera etiam Boemorum posteritas, cum lectiore Annalium suorum Scriptore accinat:

Dux & Regnum ab ea dependent.

Insigne Elogium S. Miladæ.

Et quo te memorem pia Milada carmine Virgo?
Digna pios inter nomen habere Duces.
Qua non est studijs illustrior altera sacris,
Altera nec magis est digna puella cani.
Vera tibi pietas, Diuum reuerentia cordi
Quaque fides iustos nos facit esse, fuit.
Tu veros Christi asseruisti semper honores:
Tota ministerio dedita cuius eras.
Tu sacra fundasti nitidis collegia templis,
Qua pubes studijs est bona culta pijs.
Tu veneranda DEI docuisti iura Sacerdos;
Auratas texit sic tibi vitta comas.
Ritè loquebaris Silio, seu culta Boemo,
Seu velles Latijs fundere verba Sonis.
Conspicitur quod adhuc Viti venerabile templum
Nominis est ingens munus honorq́, Tui.
Ergo tua laudes & gloria vera manebit
Cultus adhuc Sancta dum pietatis erit.

Diuus Tutelaris Ecclesiæ Metrop. S. Vuenceslaus noster.

Sed & illud ad non minimam Ordinis gloriam spectat, Diuum Tutelarem Metropolitanæ Ecclesiæ Sancto Vito adiunctum, eiusdem Miladæ opera Diuum Vvecenslaum nostrum, vt hæc etiã Basilica & amplissimus Archiepiscopatus, sicut alij ferè vniuersi Imperij Germanici omnes, Patronum cœlitem è nostris

habeat,

habeat, de cuius præsentissimo, comprobatissimo, & prodigiosissimo Patrocinio, paulò post breuiter quædam attingemus.

Quid, & quod etiam primum è nostris eiusdem celeberrimæ Sedis Antistitem & Metropolitam meruerint, sanctissimæ insuper vitæ virum Dithmarum Magdeburgensis Cœnobij Monachum, quem incredibili studio Clerus populusque ob tanti nominis famam sibi Pontificem delegit, memorabili occursu applausuque velut cœlo missum Angelum excepit, religiosissimè obseruauit, & coluit, qui cum Apostolico feruore, in conuersione Gentilium (plurimi enim Idola relinquere detrectarant) plurimum desudasset, altero Præsulatus anno ad æternitatis præmia euolauit.

Primus Archiepiscop. Pragensis B. Dithmarus noster.

Quantum autem successori eiusdem Sancto Adalberto nostro, præcipuo amplissimi Regni ornamento & Patrono suo debeant Boemi, quamuis prolixa narratione, multis editis voluminibus, describere conati sint plurimi, vix minima attigerunt. Is Slauici & Strelilauæ Libertæ Comitum Libecensium filius, Voytichius (quod est *Exercituum Consolator*) antea vocatus, à S. Adalberto nostro, primo Magdeburgensium Archipræsule, educatus, nomen etiam, & virtutem mutuatus est. Puerulus etiãnum, desperata iam vita, ad DEIPARAE aram repens, Matris Virginis ope, prodigiosè & repente conualuit; cuius dein cultũ, per amplissima Boemiæ, Vngariæ, & Poloniæ Regna mirabili zelo, fructu æterno, latissimè propagauit, & singularem vicissim DEIPARAE amorem promeruit, & fauorem persensit. Ex Monacho S. Ioannis prope Magdeburgum patriæ Pontifex & Primas designatus, incredibile penè est, quantis pro Christo laboribus, quantis discriminibus perfunctus sit, aliquando etiam grauiter verberibus mulctatus & ab infidelibus indignis modis exagitatus, quos à feritate rapinis & impio dæmonum cultu cum frustra reuocare conaretur, pertæsus tandem eorumdem pertinaciam Romam demigrauit. Inde Pontificis Maximi permissu Casinũ se transferens, Monasticam vitæ exercitationẽ rursus de integro complexus, exactis ibidem aliquot annis, cum vt Episcopum honorari se impatientius ferret, Romam denuo concedens, in nostro Sancti Bonifacij Monasterio, S. Leoni Abbati subdi-

S. Adalbertus noster quantus?

Deipara cultum multis Regnis promouet.

S. Adalbertus fit Archiepisc.

Labores eius.

Casin. pergit.

Reuocatur à Boemis. tus multo tempore, omnique contentus vilitate subſtitit. Re uocatus poſtea ſummis ſuorum precibus (Diuino oraculo iuſſoque) inuitus multumque obluctatus redijt, ſecumque exulantem tot annis cœli rorem, & terræ vbertatem, grandi prodigio retulit, quod ipſi etiam Gentiles confeſſi ſunt, è quibus plurimi Chriſto nomen dederunt & ab Adalberto ſacris vndis expiari meruerunt. *Plurimos Chriſto lucratur.*

Vtiliſſimas dein Regno & Eccleſiæ Leges, Magnus hic Pontifex noſter condidit, eoque tam illuſtri beneficio LEGVMLATORIS BOEMIAE titulum longè digniſſimum meruit, quas tamen cum ab inconſtantis ingenij hominibus negligi conſpiceret, neque immenſis laboribus fructus reſponderet, cuculli rurſũ amore Romam profugit, quo diſcedente, Regnum illico ariditate, fame & peſte afflictiſſimum fuit. Iuſſu denique Romani Pontificis ad oues relictas mœſtiſſimaſque reuerti coactus, multo deinceps inſtantius in propaganda fide laborauit, plurimas paſſim Eccleſias & Monaſteria condidit, litterarum ſtudia toto Regno promouit, nec Boemiæ ſolùm contentus finibus, in Vngariam vſque excurrit, & Geiſa Duce ad Chriſti fidem adducto ac baptizato, natum poſtea filium Stephanum, Sanctiſſimum illum Vngariæ Regem Sacris quoque aquis abluit, ac plurimas paſſim Eccleſias exædificauit. Ad Polonos dein conuerſus, Miecislaum Ducem cum omni populo à cultu idolorum auertens, finitimas etiam prouincias Regno Chriſti adiunxit. In Liuoniam denique ac Pruſſiam delatus, dum ibidem rationes Eccleſię plurimum auget, ſacrificulorum illic ſcelere appetitus, ab irruentibus barbaris, poſt SS. Miſſæ ſacrificium, ipſa Paraſceueos ſacra die, conto primum proſtratus, ſeptem poſtea lanceis confoſſus, gratiſſima cœlo victima cecidit. Vt hæc etiam ad Boemos præcipua ſpectet gloria, tot Regnis ac Gentibus, Apoſtolum Principem ac Tutelarem è gremio ſuo ſubmiſiſſe, talemque iuxta Martyrem Patronum meruiſſe. Et tantum quidem viuentibus debuit Adalberto, Vvenceslaoque noſtris Boemia, multo plus tamen mortuis, quorum fidiſſimo patrocinio perfidia eorumdem edomita, pertinacia deuicta, & patria non ſemel ab imminenti iam exitio prodigioſiſſimè vindicata eſt. Pauciſſima è multis perfunctoriè innuamus.

Legumlator Boemiæ.

Calamitates Boemiæ ipſo abſẽte.

Vngariæ Apoſtolus.

Item Poloniæ & Liuoniæ.

Martyr occumbit.

Tutelaris uterque Regnorum.

Quam

Quam propitium Tutelarem Vvenceslaum, Boemiæ Duces populusque haberent, superstite etiamnum Adalberto, edoctus mirè Boleslaus Pius est, cum ad tumbam Vvenceslai peregrinatione suscepta, breui vnius horæ somno succumbere coactus, mira didicit, fassusque ipse est: Vidisse se quomodo Vvenceslaus sibi Regnoq; Numen conciliauerit, vt locum signari quamprimum iusserit, insignemque ibidem tanto Tutelari Basilicam exstrui.

S. Vvenceslaus Protector Boemiæ.

Christi anno 1039. Cum meritissimi Apostoli sui, & Tutelaris Adalberti reliquias, apud exteros sepulti in patriam transferre laborarent, visus ille per noctem Seuero Episcopo: si Reliquijs suis potiri vellent, præuio triduano ieiunio, & oratione, sanctè denuò promitterent, mandauit, quæ in Baptismo iurassent. Sequuta ingens denuo, tanti Apostoli ab admonitione rerum mutatio, & qualis antea vnquam Boemorum solida conuersio, sancitumque illico, post promissam pœnitentiam, & peccatorum detestationem à Bretislao Duce: *Vt iterum sanctè iurent: quod non velint amplius bestiarum more viuere, sed Matrimonium iuxta mandatum DEI, & Ecclesiæ institutionem, sanctum, & sine diuortio ad vitam vsque conseruare. Delinquentes virgis cæsi in Vngariam ad seruitutem perpetuam, nullo vnquam tempore redimendi vendantur. Cui pœnæ, & Virgines, & Viduæ subiecta esse debeant. Qui autem patrem, aut matrem suam propriam, vel spiritualem percußerit ferreis vinculis constrictus è patria ad perpetuam seruitutem pariter relegetur. Qui tabernam, tanquam radicem omnis mali, & fomitem vitiorum ædificauerit, aut expensas fecerit, aut in ea propinauerit, tanquam transgreßor Legis huius, detonso capite in foro medio, ad columnam ligatus, à lictore ad terrorem aliorum virgis cædatur, potus omnis in terram effundatur, potator verò in ea repertus carcere, & mulcta pecuniaria puniatur. Nundinæ diebus Dominicis, & Festiuis planè sint nullæ. Et vt in Cæmiterio locoque sacro tantum, sicut Sanctus Adalbertus præcepit, non autem alibi mortuorum fiat sepultura &c.* Ita iubente Diuo Tutelare tanto Dux Bretislaus; vt quantum etiam à morte suis rebellibus præstiterit Adalbertus, fiat quam manifestissimum.

S. Adalbertus post mortem conuersioni Boemorũ incũbit.

Leges S. Adalberti, & Bretislai.

Ecce quantũ sobrietatis studiũ!

Insigne, & hoc meritũ S. Adalbert.

A.C.

Corona Regni rursus à nostris.

A. C. 1085. siue 1086. Gregorij VII. an Victoris III. Sanctissimorum ex Ordine nostro Romanorum Pontificum concessione, apprecatione olim, & prædictione S. Methodij nostri, Regni titulo denuo Boemia, quem Diuus Vvenceslaus noster gloriosè neglexerat, insignitur. Vt amplissimo rursus merito Methodius etiam mortuus sibi Boemos obligarit.

Fœdissimum bellum.

Sed & paulo post, iterum Diui Adalbertus atque Vvenceslaus, de Regno eodem meriti, grauissimis fœdissimi belli calamitatibus Christi anno 1090. turbatissimum liberarunt, cum Vvratislaus Rex pater, & filius Bretislaus, infestissimis inter se odijs atque armis concurrerent: Visi quippe captiuis plurimis in custodiam Regiam abiectis, quorum prodigiosè vincula soluerunt: *Ite*, inquiebant, *in nostram Metropolitanam Ecclesiam, pro hac vestri liberatione gratias DEO agite, atque indicate hac omni populo, maximè verò Regi, adiuncta monitione, ne DEVM ad indignationem maiorem prouocent, sed à bello, & sanguinis effusione ammodo abstineant.* Quo quidem prodigio territi Principes, positis armis, supplices Diuis facti sunt, ingentesque impetuosissimi belli fluctus conquieuere.

Ingens prælium consopitur.

Illustrem admodum Victoriam Boemorum de Saxonibus, & Morauis, eorumdem Tutelarium ope, anno Salutis 1126. partam, his breuiter verbis Bartholdus libro 1. Boemiæ suæ narrat: Cum Sobieslaus, inquit, animaduerteret, Otthonem „ Morauiæ, Lotharij Ducis Saxoniæ auxilio, hostilem irruptio- „ nem moliri; Sobieslaus collecto exercitu Bohemiæ, DEO se- „ commendans, contra inimicos progressus est. Sub illo tempo- „ re in somnis vidit S. Adalbertum sibi astantem præcipientem- „ que, vt vexillum patris sui Slauiconis, quod in foramine quo- „ dam templi Vvrbzianensis absconditum, in prælio explicarent: „ quod tandem hastæ S. Vvenceslai affixum in medio agmine à „ Sacellano Dobrovviz gestatum est, & adhibitum Sancti Adalberti Canticum. Postea silentio facto audiuerunt in aere sonitum, quasi magnarum campanarum, videruntque aquilam magnam è Bohæmorum phalange, clamore magno contra hostes „ volitantem: atque sub ipso congressu conspexerunt S. Vven- „ ceslaum in aere super se, equo albo insidentem, vexillumque „ gestantem, vbi vnanimi voce ad eum clamarunt: Adesto nobis „

Visio Ducis.

Spectatores prodigij vniuersi.

hac

hac die S. Vvenceslae Dux noster, & Martyr DEI. In hac „ confidentia, quasi planè eneruatos occiderunt, obtenta victoria gloriosa, gratijsque DEO peractis, & Sobieslaus ruinosum templum Sancti Georgij in monte Gezip ex toto restaurari fecit: qui & ipse alias ab hostibus mirabiliter liberatus est. Hucusque Bertholdus, merita nostrorum de Bohæmis æterna commendans. „ „

Insignis victoria.

Rursum Christi anno 1260. ijdem Magni Tutelares, cum alijs quinque ex Ordine nostro Boemiæ Apostolis, & Martyribus creditæ sibi prouinciæ, & Regno consulentes, perexiguo pessimèque ordinato Boemorum exercitui, contra Belam Vngarorum Regem subsidio venere. Visus tunc Vvenceslaus cœlo descendens lorica munitus, & galea, gladio præcinctus, vagina aurea, & margaritis obsita condito, dextra vexillum tenens, auditusque sic Adalbertum ac socios alloqui: *Exercitus noster debilis est, ideoque adiutorio Diuino illis subueniemus.* Atque his dictis, vexillo in hostes obuerso, hostibus quamprimum portentoso terrore perculsis, & in fugam conuersis, illustrissima victoria Bohemi potiti sunt.

Alia prodigiosa victoria.

Spectatissimum è cœlo subsidium.

Iterum Christi anno 1318. illustrissimam prodigiosamque victoriam, & seruati Regni honorem iisdem tam promptis in vota Protectoribus suis Vvenceslao Adalbertoque nostris debent Boemi, contra Saxones intensissimos potentissimosque hostes, sub Ioanne Rege mirabiliter defensi. Cum enim illi propè Ziatecium magno cum exercitu irruerent, terroremque Boemis maximum incuterent, eo quod decuplo maiores copias adduxissent, Vvilhelmus à Vvaldete Boemici exercitus ductor in genua procubuus, Deumque pro victoria contra hostes inuocans, missum confestim cœlo subsidium expertus est, visusque Sanctus Vvenceslaus noster, panoplia aurea, equo candido præcedens, & argenteam vibrans hastam. Alacres proin Boemi, inuocato iuxta in auxilium Sancto Adalberto, cum hostibus congressi, ab hora diei tertia in vesperum vsque felicissimè pugnauere, hostibus grandi cæde maxima ex parte contrucidatis, cum è suis non nisi duodecim desiderassent.

Iterū nouus triumphus.

Ecce religiosum Imperatorem.

Incruenta, & prodigiosa victoria.

Tanta, & longè plura duo hi solum Tutelares Beneficia patriæ præstitere, vt innumera alia aliorum ex Ordine virorum illu-

illustrium merita, consulto prætereamus, quorum ingens sanè numerus, & admirabili eruditione, & Sanctissimo vitæ exemplo Boemiam illustrissimam reddidit, & non pauci, etiam postrema, & afflictissima VViccleffistarum atque Hussitarum ætate & tempestate, gloriosissimo suo sanguine agrum Bohemiæ purpurarunt; nonnulli miraculorum multitudine, & perpetuitate, velut Magnus ille Procopius Abbas Breunouiensis, certissimum afflictissimis quibusque asylum patuerunt: vt inter postrema ferè numerent felicissimi Regni incolæ, quem inter prima alij, acceptum à GREGORIO V. Electoratus Septemuiralis honorem, & Archi Pincernæ dignitatem, cum ipsi longè illustrio-

Martyres nostri impin guant Regnũ.

Electoralis Titulus per nostros.

ELECTORATVS BOEMIÆ A GREgorio V. Pont. Max.

ra in acceptis referant, vt iam vidimus, Regium diadema ac nomen, Duces Reges optimos, prodigiosissimas victorias, aeris temperiem, soli fertilitatem, famam, gloriam omnem, totiusque Regni felicitatem.

Ingentia, quæ debent nostris Boemi.

Nunc alias AQVILAE nostræ pennas, at obiter deinceps, ne nimium excrescat ardor atque opus, ordine dispiciamus.

QVATVOR IMPERII DVCES.

Brunsuici. *Bauariæ.* *Sueuiæ.* *Lotharingiæ.*

BRunsuicensium Ducum longè antiquissima, & spectatissima familia, duplici potissimum origine, famam olim, & Imperium protulit, GVELPHORVM familiari tunc nomine, orbi vniuerso ob potentiam auctoritatem, & gloriam notissima, donec Gibellinorum contraria factione, scisso in voluntates diuersas Imperio, tot mutuis cladibus funestata nomina, vt metuenda Europæ, sic inuisa demum ipsis Principibus essent, tamque frequenti, & consecrata in tot maioribus suis nomenclatura vltro abstinerent, si fortè cum nomine Guelphorum, turbæ, &

Guelphorũ, & Gibellinorum factiones.

bæ, & odia conquiescerent, quæ tamen nihilominus multis, in Italia locis, in hodiernam vsque diem, iisdem titulis, inueterata perseuerant.

Prior Guelphorum familia Altorffensium Comitum, Inferioris Bauariæ Ducum fuit, posterior Atestinorum, in illorum iura, & titulos plenè succedentium. Vtraque Ordini nostro, Eiusdemque Conditori, gloriosissimo Imperatori nostro BENEDICTO longè obstrictissima; & illa quidem, potissimam prouinciarum amplissimarum sibi subiectarum felicitatem, nostris item, CONVERSIONEM, & CHRISTIANAE FIDEI agnitionem, debuit, Ruperto inprimis primo Iuuauiensium Antistiti, Bonifacio generalissimo Germaniæ Tutelari, præomnibus tamen magno, & Sanctissimo illi Ambronum, & Lycatiorum Apostolo Diuo Altoni, primo Vveingarttensium Monachorum Auctori, & Abbati, qui cœlesti iussus oraculo Scotia relicta (cuius Regem patrem habuit) in Germaniam contendit, admirandisque prodigijs, & vitæ rarissima sanctitate sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, tanquam Sol lucidissimus facem prætulit, & eas inprimis prouincias, quæ Guelphonibus postea paruere immortalibus sibi meritis æternum obligauit, præcipuisque Germaniæ Apostolis adnumerari meruit.

Duæ familiæ Guelphorum.

Prior quantum Monachis debeat.

Conuersio prouinciarum.

Apostoli nostri.

S. Altonis præcipua merita.

Agnouere debitum suum lectissimi Principes, & Guelpho quam maximè eo nomine Secundus, ab eodem magno Tutelari pridem cælis recepto prodigiosa apparitione officij admonitus, vt & ipse, & posteri, totos se Monachorum esse non solum profiterentur, & plus quam Regia magnificentia plurimorum Cœnobiorum exstructione, & dotatione proderent, quin & numquam satis debito se soluisse existimarent, nisi optimi quiuis ac potentissimi, relictis amplissimis Principatibus BENEDICTO Sanctissimo Patri in cucullo se ipsos deuouerent atque emanciparent, eo ipso rursum obstrictiores, quod nouis aucti beneficijs, tam felici recepti portu, gloriosiores cucullo quam purpura euasissent, plerique testatissima miraculis sanctitate, siue celebri sanctitatis opinione, toto terrarum orbe, & ad omnem sæculorum posteritatem facti spectatissimi.

Agnoscunt debitũ Principes.

Plurima struunt Cœnobia.

Plurimi Monachi ex Guelphorũ genere.

E quibus, vt alios prætereamus, Illustrissimus ille, vt genere, sic sanctitate CONRADVS Constantiensium Cathedrali

S. Cõradus.

è Monacho Pontifex, æternum tantæ familiæ decus, fama virtutis orbem impleuit, tantisque virtutibus ac prodigijs, vniuerso innotuit, vt Sanctorum Canonizatorum, vt vocant, albo, ritu solemni adscribi meruerit, & spectatissimæ Vrbis, amplissimæque totæ Europæ Diœceseos præcipuus Tutelaris cooptari.

Canonizatur, & Patronus Constantiensiũ adoptatur.

Nonne, & Hegiluidis Princeps Serenissima, Guelphonis I. coniux, Iudithæ Imperatricis mater, professione Monastica magis, quam Principatu enituit, in illa tantis virtutum progressibus in sublime euecta, vt Sanctissimi Calensis Cœnobij, & tot quidem Sanctarum Virginum Antesignana, & Antistita electa sit?

Hegiluidis Princeps mon.

Quin & Iuditha ipsa filia, & Imperatrix, Ludouici Pij Cæsaris coniux Augustissima, *Domina*, vt ipsammet alloquitur Freculphus Abbas; *Augustarum felicissima, dum in humanis, quo altius excrescat non inuenitur &c.* altius tamen quo excresceret reperit, suamque in Imperio infelicitatem damnauit, dum à priuignis indignis modis exagitata, & per iniuriam primum atque secundum, in Cœnobium detrusa, cumulum denique solidæ beatitatis in eodem degustauit, & plus multo, cucullo quam mille Imperijs debuit, in felicissimo, & fertilissimo Sanctarum Diuæ Radegundis Pictauensi Cœnobio, felicissimè consummata.

Iuditha Imperatrix.

Conradus autem, & Rudolphus Iudithæ Augustæ fratres, Guelphicæ potentiæ per Galliarum Regna præcipui promotores, ab inuidentibus gloriæ ipsorum atque authoritati, & ipsi per summam iniuriam in Monasteria detrusi (de quo Synchroni auctores; Theganus: *Fratres eius Conradum, & Rudolphum tondentes, &c.* atque Nithardus: *Fratres eius Conradum, & Rudolphum totonderunt &c.*) reuocati postea summa cum gloria, tantillo tempore tantum in cucullo profecere, vt nisi imperium Regis, & salus Regni eosdem non tam reuocasset quàm extraxisset, gloriam omnem summosque honores lacernæ Monachicæ posthabuissent, adeo deinceps in purpura Religiosi, vt etiam Monachorum parentes, Monasticæ obseruantiæ præcipui assertores, fulcra Ordinis haberentur. Et Monachorum precibus, & suæ meritis vitæ, illud à Numine assequuti, vt &

Iuditha Reginæ fratres.

Bur-

Burgundiæ Regum celeberrimæ familiæ authores, atque ipsorummet, rectissima linea ex se descendentium, potentissimorum, in hodiernam vsque diem Galliæ Regum Archiparentes essent, promissa in finem vsque sæculorum seris eorumdem posteris Regni eiusdem æuiternitate.

Archiparentes Regum Galliæ.

Rudolphus Primas Palatij absque liberis decedens, Monachos tanquam fratrem colens, hæredes cum fratre voluit. Conradus autem, præter Hugonem cognomento Abbatem, Ducem Franciæ, & Burgundiæ, magnæ pietatis, & prudentiæ Principem, absque liberis defunctum, & Vvelphum Columbæ Abbatem, duos insuper filios, fortuna, & meritis longè maximos, Robertum cognomento Fortem, & Conradum Iuniorem, cognomento Minorem, Burgundiæ Transiuranæ Comitem habuit; quorum ille Odonem, & Robertum Duces, & Reges Francorum Reges genuit; hic Hugonis Magni pater, ex hoc autem Hugonis Capeti Galliarum Monarchæ auus extitit, à Capeto vsque hodie, numquam interrupta serie Regibus Galliæ descendentibus.

Robertus Fortis.

Conradus verò Iunior seu Minor Rudolphi I. Regis Burgundiæ pater, ex hoc auus B. Rudolphi eo nomine II. Proauus Conradi, Atauus Rudolphi III. Burgundiæ Regum Auctor effulsit, quibus extinctis, maxima possessionum pars ad hæredes, & cognatos in Germania Principes Vvelfos, & Habspurgios, Altorffenses, & Altenburgios est deuoluta.

Cæterum de Conradi Senioris, & hæredum in nostros pietate, non possumus, quin testis oculati Herrici Antisiodorensis Elogium proferamus ex libris, quos Carolo Caluo Conradi eiusdem ex Iuditha sorore nepoti, Romanorum Augusto inscripsit, & dedicauit: *Chuonradus*, inquit, *Princeps famosissimus, Collega Regum, & inter Primates aulicos adprimè inclytus, per id temporis Regia munificentia maximus, & sua condignis Nobilitate fulgebat honoribus. Coniux illi erat, Adelaid nomine, primorum, & ipsa in natalium perinde titulis gloriosa; quippè qua auita, antiquorum procerum oriunda propagine, splendorem generis, augustissima æquiparabat stemmate dignitatis, &c.* Ita lib. 2. c. 1. Et mox capite 4. agens de fabrica mirabili S. Germani Autisiodorensis, Conradi eiusdem monimento

Conradi Senioris Elogium.

Fundator Monasterij S. Germani Antisiodor.

illustrissimo: *Robusta*, inquit, *diligentia confectum opus, multisque opitulante DEO, seculis duraturum, Chuonrado Principi eiusque iugali benignissima* (Adelhaidi) *immortalem de catero feret memoriam meritorum, quorum pronam, & incomparabilem in nos, locumque nostrum ex animo beneuolentiam, posteritatis, locoque illorum, hareditaria deuotio comprobauit: Filij scilicet, aquissimorum parentum, & probitati, & pietati, quam simillime respondentes, quibus (vltra omne quod humanum est) iisdem locus, & animo sedit, & inedicibili amore charissimus euidenter apparuit &c.*

Deplorans dein Roberti Fortis, & Conradi Minoris immaturum obitum de Odone illorum fratre, *nostra*, vt ait, *saluti, & multorum vsui superstite*, sic pergit: *Is est Hugo*, inquit, *vt absque assentationis fuco verum fatear, & nomine, & officio Abbas, de quo quidquid dixero, infra meritum ipsius est: prastatque de eo silere per omnia, quam parum dicere. Neque enim quidquam de eo nunc tractandum suscepi, nisi quod eximia proles, egregijs manans genitoribus, hos quam simillimè tum dignitate, tum moribus repraesentat, &c.* Hæc paulo prolixius, vt Galliæ quoque Regum, & Monarcharum, Capetanorum non minus quam Carolingorum, ortam è visceribus Germaniæ, & Aquilæ nostræ, augustissimam prosapiam, Aquilæ eiusdem, in pennis deauratæ varietati debitam demonstraremus, adeo perennante Guelpho-Capetinorum in Archiducem nostrum BENEDICTVM affectu, & pietate, vt illud Roberti Pij (Hugone Capeto nati) postremum morientis monitum, apud seros eorumdem posteros vigeat immortale: *SPECIALITER TIBI INCVLCO, NVLLO PACTO, DVCEM OMNIVM, PATREM DICO BENEDICTVM, A TE PATIARIS DIVELLI; ILLVM APVD COMMVNEM IVDICEM, SALVTIS ADITVM, TRANQVILLITATIS PORTVM, POSTQVE CARNIS OBITVM SECVRITATIS ASYLVM HABITVRVS, &c.* Ita ad Henricum I. Regnorum hæredem, & filium suum Robertus.

Hugo cognomine Abbas.

Roberti Pij Galliæ Regis monitũ.

Sed de Capetanæ, Burgundicæ, aliarumque Illustrissimarum Europæ familiarum, ex Agilolfingis Guelfisque Alemanniæ atque Alsatiæ Ducibus certissima sanguinis deductione, ex

confir-

confirmatissima veterum Scriptorum sententia, atque ipsorummet Principum assertione, communi armorum gentilitiorum & sigillorum vsu, nec non, in communium genti iurium ac ditionum successione, prolixè libro peculiari aliàs egimus; nunc ad Germaniam è Gallijs reuertamur, & tertium Iudithæ Reginæ fratrem conueniamus.

Is Ethico, siue Atticus eo nomine II. fuit, non minus per Germaniam potens, quam fratres sui in Regnis Galliarum, adeo ab ipsis animo diuersus, vt indignum omnino genere, suo duceret, eosdem tantis, & cognatis quidem Regibus famulari. ob idipsum Henricum filium, tanquam conseruatæ à maioribus Regiæ magnificentiæ violatorem aspernatus, quod à Ludouico Germaniæ Rege, vectigalem in Boica Principatum accepisset, ipsum propterea & aditu & contuitu suo tanquam degenerem, ad obitum vsque suum prohibens, etsi egregia demum eius pietate victus eidemque reconciliatus.

Ethico Princeps.

Impulit tamen factum filij, vt splendor auitus ipse, patri vilesceret, & iam nihilo minus censeret atque æstimaret, quidquid tanta maiorum cura & gloria in se deriuatum esset. Monachis proin nostris accensus, duodecim Palatinorum præcipuos, suo simul exemplo pertraxit, & quam cum Ecclesiaste nullibi reperire quiuit beatitatem, in Cœnobio reperit; vt cucullo, quam ipsis parentibus & longæ maiorum propagini, multo plus in acceptis ferret, suoque feruore Vveingarttensium suorum, tam feræ sæculorum posteritatis studia quam vtilissimè concitaret, animos erigeret.

Fit Monachus.

Et 12. præcipui eiusdē Palatini.

Ethiconi primo ne infelicior secundus esset, secundus vt nomine sic professione obsecundauit Ethico, qui mortua, an idem professa institutum Lucarda Vngarorum Regina, seu Principe, pari se pietate in Cœnobio abdidit, & Christi seruis accensus, illustre de se exemplum atque spectaculum terris & cœlo præbuit, nunquam consequuturus in Regia, quantum sibi felicitatis cellula Monachica peperisset.

Item Ethico Secūdus.

Vltimus Altorffensium Guelphorum Christi anno 1055. immatura morte, & absque prole quidem, complorantibus super communi parente nostris, vitam abrupit. qui quamuis professione Monachis adscriptus non sit, amore tamen, studio ac meritis

Vltimus prima Guelphorum familia, totus Monachorū

con-

Immoritur amori nostrorum.

Regium ijsdem Palatium cedit.

Monachos ex asse hæredes scribit.

Tota familia Monachorum pedibus subiacere vult.

coniunctissimus fuit, vt suis in eosdem beneficijs immortalibus immortuus nunquã satis celebretur, nempe, quibus ipse viuens & valens, tanquam humiliore loco minusque commodo constitutis, proprium suum & Regium planè palatium cesserit, Vinearum dignissimum cœlo, nomen nouum, imposuerit, Monachosque loci eiusdem, quos germana sorore, quos cognatis & amicis omnibus chariores semper habuit, illis præteritis, bonorum suorum omnium, Regiæ planè opulentiæ hæredes ex asse scripserit. Quamuis supremam, à morte eiusdem, voluntatem, à Cæsare postea, cognati euerti impetrauerint. Vt nihilominus gratissima tanti Principis voluntas, rata ceu accepta nostris maneat, eodem & omnibus ferè familiæ eiusdem, ad Monachorum pedes tumulato, vt quibus satis non fuisset viuentibus conuiuere, sed quæ mutuo dedisent & accepisent beneficia, etiam à morte, ad pedes eorumdem plurimum iuuaret præstolari.

Altera Guelphorum familia.

Guelpho I. Secundus Vverngartensium Fũdator.

Eius cõiux Regina.

Summo orbis thesauro beantur Monachi.

Succesere in ius & hæreditatem Monachis debitam, posteri Guelphones, sorore vltimi Altorffensium nati, Atestini potentissimi Principes, vt tantos Principatus aditos in Germania, Monachis etiam deberent, imo deinceps agnoscerent, & quantis beneficijs possent, debitum agnitum compensarent. quo quidem in studio Guelpho eius lineæ primus, vix adita hæreditate nostra, strenuè desudauit, multoque maiore amore ac beneficentia, quam Altorffenses Principes omnes innotescere nostris ac celebrari voluit, apud quos ob merita grauissima SECVNDVS à Pipino Brabantiæ Duce Alemanniæ Rectore, postea Galliarum Rege, FVNDATOR appellari meruit. Cuius coniux lectissima Iuditha Angliæ Regina Balduini Pij Flandriæ Principis filia, cum marito cotendens, vt Monialem vita, in ipso auro expressit, sic totam colendis Monachis, & ornando Cœnobio se dedit, & longè ampliorem, præfata hæreditate thesaurum, imo mille mundis maius pretium, loco felicissimo contulit, quem nimirum SACROSANCTO CHRISTI IESV IN IPSA CRVCE, EX IPSO DIVINISSIMO ILLO PECTORE, PROFVSO SANGVINE, eodemque summa Historiæ celebritate, Sanctissimorum testium assertione, Pontificum Romanorum auctoritate, miraculorum iugi perpetuitate COMPROBATISSIMO, supra omnem omnium Regnorum splendorem atque opulentiam beauit. vt nemo morta-

lium

lium, vel proprio quidem suo & cum vitæ iactura profuso sanguine, amorem suum testatiorem reddere potuerit, atque hæc tam inæstimabilis thesauri donatione, suum Monachis amorem commendauit.

At quamuis tantopere demereri Vveinganttensium Monachorum æternum amorem, & perpetuanda precum suffragia Guelpho pater & Iuditha Regina mater studuerint, vt maiorẽ nemo potuisse videatur. Henrici tamen Principis filij benefaciendi ijsdem studium & conatus tantus fuit, vt ipsum denique totum exhauriret, cumque opibus, amplissimorumque Principatuum iugi & memorabili prorsus accessione iugiter cresceret, eademque tanta omnia, Monachorum sanctissimorum precibus accepta referret, restituto è fundamentis tam charo sibi Vinearum Cœnobio, minimè conquiescens, in eodem se se vergente iam ad senectam ætate, stupente Germania vniuersa condidit; & relicta filijs, tot prouinciarum possessione (quorum primogeniti solius Henrici nimirum superbi potentiam describens oculatus testis B. Ottho noster Frisingensis, dominatum à Meridionali Siciliæ mari, adusque mare Danicum æquinoctiale asseuerat) ipse supremam in terris felicitatem in cucullo quæsijt, & verè reperit; cuius exemplum imitata Vvulphildis coniux Saxonum Ducissa, inferioris Saxoniæ multorum Principatum hæres, in eodem Monasterio, quod & virorum tunc temporis & Virginum erat, DEO se consecrauit. A quibus quidem Serenissimis coniugibus, tam dignis parentibus, tota in hodiernam vsque diem, recta linea & nusquam interrupta serie, spectatissimorum Germaniæ Principum Ducum Brunsuicensium, Lunæburgensium, Embecensium, Grubenhagiorum, Gotthingensium ac Sangerbusiorum, familia descendit. Vt Ordo & Monasterium antiquissimum haud immerito, æternum sibi gratulentur, è sui corporis tam illustribus membris, tanto decursu sæculorum tam expectatam etiamnum posteritatem superesse.

Henrici filij studium.

Cui in acceptis referenda Principum potentia.

Fit Monachus Henricus Dux.

Ingens potentia contempta.

Vvulphildis Ducissa similiter fit Monialis.

Ab his duobus Principibus vniuersa Brũsuicensium Ducum posteritas.

Ordinis & Monasterij gloria.

Nec tacendum & illud insuper præstantissimum Principis nostri Henrici meritum, magno illi Pomeranorum Apostolo Diuo Otthoni nostro, in eiusdem conuersione gentis ope atque opera non solum adfuisse, sed & præcipuum ferè auctorem extitisse, cum Principis quam maximè Pomeranorum Vvartislai animum deme-

Henricus Dux noster conuertit Pomeraniã.

demereti, & data in coniugem Helena filia, in fide Christi atque officio Principis Christiani continere laborasset, & quæ ad conuersionem gentis vniuersæ pertinerent, sollicitè curasset, atque effecisset.

Patrimoniū S. Petri auctum ad ipsum similiter spectat.

Quin & illud memorandum, spectatissimam illam lectissimæ cognatæ & fraternæ iuxta coniugis Mathildis factam Ecclesię tot Principatuum & amplissimi iuris donationem ratam habuisse, suæq. familiæ posteris, dummodo Ecclesiæ Christi cederet, tantum, frendentibus vsque hodie omnium sæculorum & ætatum Hæreticis, patrimonium detrahi, propensissima voluntate tolerasse, imo comprobasse; vt tantis opibus sub Sanctissimo Pontifice Gregorio nostro Septimo auctum Diui Petri Patrimonium, præter æternam tanti generis Principum BENEFICENTIAE inexhaustæ memoriam, etiam non minima ex parte Henrico nostro eiusque posteris deberi appareat.

Aeterna familiæ gloria.

S. Cōradus Cardinalis Monachus.

Nec defuit huic etiam alteri Guelphorum familiæ, alteri illi vt æmulus nomine, sic vitæ sanctitate Sanctus Conradus, similiter Monachus, similiter, nisi recusasset, effugissetque demum, designatus Episcopus memorati Henrici Monachi, & Vvulphildis tā lectorum parentū lectissimus filius, quod propiore parentibus ac fratribus loco honorari metueret, in Clareuallēsi Reformatissimę Congregationis nostræ Monasterio Monachū professus, & inter Romanæ demū Ecclesię Patres Purpuratos pro meritis adscriptus; cuius nonnulli Sacros digitos, candelarum more de nocte effulsisse memorant. vt æternum merito plaudat Hēricus pater, & tota Brunsuicensium posteritas, nec non Ordo noster vniuersus, tales se Principes edidisse, qui non tam nomine, quam reipsa, & è cucullo quidem & tenebris, non vni prouinciæ, sed orbi vniuerso verè ILLVSTRISSIMI innotuerint, illuxerintque.

Verè Illustrissimus & vnde?

Multos Sanctos produxit familia.

Neque vnum solum atque alterum familia hæc Guelphica Atestina & Brunsuicensis, cucullo tam illustres, tam beatos protulit, multo etiam hac ipsa ex parte fœcundior atque felicior, quam prior illa cognatorum Altorffensium fuit, è quibus miraculo nōnulli, quin & è fœminis nonnullæ, sanctitatis fama, quam tanti generis titulo orbi notiores extitere, ita quidē vt vnius nominis, imo fortunatissimi ominis cognomines BEATRICES verè BEATAS, cucullo cultissimas tres omnino, & eodem insuper sæculo

pro-

produxerit, omnes sanctitatis opinione, supra omnem Regum gloriam eminentiores, cœloque ac terris celebratiores. Earum prima Actij Atestini Tusciæ Marchionis potentissimi & Leonoræ Sabaudiæ Principis filia, Sanctissimi Patriarchæ nostri Regulam in Salariolæ primùm Cœnobio professa, Gemmulæ deinceps Monasterio tanquã gẽma pretiosissima inserta, egregia vitæ sanctitate, lõgè illustrissimo generi decus immortale conciliauit, & humilitatis inprimis ac paupertatis studio admiranda effulsit. Cuius, alia inter prçclarè facta & dicta, dignum æterna commendatione, illud purissimi ab omni terrenorum cõcupiscentia animi argumentum, celebratur: cum aliquando nummus argenteus super altare repertus fuisset, & nullus alius in toto Monasterio esset reliquus: anxia quamprimũ præcepit in egenos erogari: *Ne quæso, inquiens, nummus iste, splendidum nomen, perfectissimæ paupertatis obnubilet, quam DEO promisimus, & is auaritiæ principiũ, & malum propagandæ cupiditatis semen apportet nobis*. Et quanta Illustrissimæ Atestinæ familiæ ab vna hac Viragine gloria! Imo quantum è cçlo subsidium! Sed & quale ac quantum, & quidem testatissimum tãto post: etiam à morte eiusdem, de eiusdem sanguinis sui genere meritum! Post eius siquidẽ mortem, ait Pigna, per longum temporis spatium est obseruatum, quod quoties noui aliquid, Atestinæ suæ familiæ immineret, toties multis ante diebus, in Sacello eius strepitus prægrandis audiretur, & sacrum corpus eius, quod de more supinum in sepulchro iacebat, videretur in alteram se partem reuoluisse. Tantç Patronç suæ beneficio, illustrissima gente fideliter deinceps commonita, nequis inopinatus casus, minus præparatam offenderet, atque obrueret.

B. Beatrix Atestina prima.

Fit Monialis.

Insigne exemplum paupertatis sãctius adamata.

Aeternum eius de sua familia meritum.

Altera Beatrix, Aldobrandinum, Atestinum Principem parẽtum, maritum Andream II. Vngarorum Regem habuit, insignis formæ ac pudicitiæ fœmina, quæ cum à morte mariti, vt generosissimo erat animo, nulli eo inferiori nubere in animum induceret Regum Regis intaminatissimum amorem sollicitè exambijt, & in eodem, quo cognata Beatrix Abbatissam tam sanctam egerat Gẽmulæ Cçnobio Monasticẽ professa, virtutum omniũ çmula, rarissimũ summo in genere generosissimæ demissionis exemplar, & speculũ sanctitatis, effulsit A.C. 1239. cum prior illa paucis ante aduentũ huius annis ad coronã çternitatis submigrasset.

B. Beatrix secũda eiusdem familia.

Ex Regina Monialis.

Tertia B. Beatrix Atestina.

Tertia eiusdem nominis & generis Beatrix, Azonis IX. Ferrariæ, Mantuæ, Veronæ, & Anconæ Marchionis filia, Manfredo Vincentiæ Principi nupta, eo mortuo, contemptis amplissimis opibus, genere & honoribus, arctiorem item viam ingressa, Monasterium Diui Antonij à se conditum hilaris petijt, DEOQVE in cucullo sese emancupās, tantis virtutibus effulsit, vt rara insuper miraculorum gloria à DEO honorata sit. ad quem post exactum sanctæ vitæ curriculum Christi anno 1262. felicissimè transijt.

Miraculis Illustrissima.

Brunsuicēsis prouincia à nostris conuersa.

Et quantū, vt ad Germanos eiusdem familiæ Principes, Brunsuigios Duces, reuertamur, quod eorumdem omnes Prouinciæ à Monachis olim nostris æterno ab interitu vindicatæ, Christo & Ecclesiæ aggregatæ, atque sacris Baptismi vndis expiatæ, optimis disciplinis institutæ, & mille modis adiutæ, promotæ, & propugnatæ sint? Quarum Metropolis Brunsuici conditor ipse Bruno recenti patrum memoria, tantum luminis gratiæq. ijsdem desuper impertitū Sanctis Vvillehado, & Bonifacio nostro, nec non plurimis ex Ordine nostro in Saxonia celebratis Apostolis debuit, prę omnibus tamen, peculiarem & principem Apostolū suū, Sanctum Suitpertum nostrum, Brunsuicensium & Boructuariorum amplissima prouincia, religiosissimè agnouit, & vt meritissimum Tutelarem coluit. Et quid, quod vniuersam sæpe prouinciā vnus Monachus mirè seruauit? bella grauissima consopiuit? Principes ab interitu, & sæpè æterno vindicauit? An non Guelphonem VII. Conrado Cæsari infensissimum infestissimumque Mellifluus Doctor noster Bernardus ad pacem non solum flexit, sed & ad Sacrum bellum concitauit permouitq. eoq. nomine nō vni solum prouinciæ, sed Germaniæ vniuersæ, pacem reddidit, æternum meruit? Et quis Otthonem IV. Cęsarem nisi Monachi, ad pęnitēdū salutariter permouit, qui exēplar ac speculū rediuiui Dauidis, & Theodosij orbi redhibuit? Quis, nisi Monachi eosdē Guelphones & Brunsuicenses Principes, vniuersis ferè reliquis desciscentibus & Cęsarum furorem approbantibus, in fide, deuotione atq. obsequio Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ continuit, & tot iniuriarum gloriosissimos triumphatores, imo scelerū sæpè vltores reddidit? Vt vix familia in Diui Petri fide constantior toto orbe reperiatur, cuius amplissimorum Principatuum pro fide in Sanctam Matrem ademptorum iactura, ad præcipuam sanè

Eius Apostoli.

Princeps Apostolus S. Suitpertus.

Ingentia nostrorum merita.

S. Bernardi.

Item aliorum.

Ingens nostrorum beneficium.

Vix familia constantior in fide Sedis Apost.

eiusdem gentis Principum gloriam sit referenda. quam, vtinam non tanto post Apostatæ seductoris Monachi malesuada temeritas temerasset, & à tam charæ, totque nominibus tam dilectis & spectatis filijs plurimum obnoxiæ, sinu abduxisset.

Ecclesia eidem plurimum obnoxia.

Nec plura, nisi hoc vnum addimus, non prouinciam solum vt diximus vniuersam, sed singulas ferè vrbes atque oppida, singulis ferè Monachis, seu Monasterijs, originē seu incrementa, quin & Metropoles vtriusque Ducatus Brunsuicū atque Lunæburgū præcipuam nostris fortunam debere, quarum illa S. Auctorem Treuerensium quondam Pontificem, præcipuum suum Tutelarem, nostrorum S. Maximini Monachorum beneficio donatum eoque translatum accepit, & quod immobile ante vrbem sacrum corpus consisteret, insigni desuper cōstructo S. Aegidij Cœnobio honorauit, ex quo deinceps ingens meritorum torrens in vrbem defluxit, eaque tantis incrementis sese exporrexit, vt ipsum postea suo ambitu Cœnobium concluderet, in eamque quæ hodie tota Europa celebratur magnitudinem, potentiam, opulentiamque excresceret; Lunæburgum autem ab ipso quod adiacet Cœnobio Ordinis atq. monte, cognomen consequutum, præcipuum similiter inde, iuxta nomen, etiam splendorem obtinuit, & à sanctissimis illic degentibus viris beneficia dum viuerent plurima, à morte autem, certissimum è cœlis subsidium ac præsidium meruit. Vt nihil eisdem, lectissimisque Principibus, quam dignam acceptorum memoriam, & gratiam ex animo voueamus, atque enixissimis votis apprecemur.

Singula Brunsuicensium oppida peculiariter nostris obstricta.

Ipsa etiam Metropoles.

Brunsuici incremēta.

Lunæburgi felicitas per nostros.

B A V A R I A.

DE Bauaria iam satis suo loco. hoc, pauca innuimus, & Principum è diuersis familijs eidem imperantium, sibique inuicem succedentium seriem, è diuersis Boiorum Annalibus, seriem obiter tantum notandam, deque singulis Monachorum & Sanctorum nostrorum merita obseruanda atque æstimanda, monemus. Nos breuitatis studio, & quod productius aliàs, exempli tantum gratia, pauculos numeramus.

De Bauaria satis superius.

Recensentur aliquot Reges nostris obstrictiores.

Theodo, Vtho, Theodoualda.

Nonne Theodo, primus è Regibus Boiorum Sancti Ruperti nostri opera, & laboribus Christum agnouir, salutem meruit, inter Christianos Principes felix, & spectatissimus fuit? Nonne Vtho frater eiusdem, gratiam eamdem, ab eodem Ruperto accepit? Nonne Theodoualda fratrum minimus, at potentia postea, auctoritate successioneque maximus, eundem Apostolum meruit, audijt, omnemque ipsi felicitatem debuit atque adscripsit.

Thassilo II.

Nonne Thassilo I I. vir, nostrorum item merito atque institutione eruditione clarissimus, & pietate conspicuus, Regni cura Theodoberto filio relicta, Monasterium S. Galli subijt, salutem in cucullo quæsijt, & verè reperit, in eo maiores Regum omnium opibus, opes, sanctitatem vitæ indeptus, & ab eadem supra omnem mundi gloriam tam breuem, etiam à morte immortaliter celebratus?

Theodo.

Et quantum gratiæ à S. Emmerammo nostro eiusdem filius Theodo accepit, quem vt suæ gentis Apostolum præcipuè coluit, vnicè dilexit?

Hugopert⁹. Grimoldus.

Quid autem non Hugopertus, quid non Grimoldus, S. Corbiniano nostro Frisingensium primo Antistiti debuit; quorum posteriorem vir Sanctissimus, mira constantia è grauissimo scelere, turpique infamia, quin & ab interitu æterno vindicauit?

Vtilo.

Vtilo Hugoperti filius, quantum alijs alij, tantum ipse Magno Germaniæ Apostolo Bonifacio debuit, cuius industria grauissimis è periculis Bauaria non semel erepta fuit, eiusdemque tam fidi Tutelaris monitione, septem celeberrima Ordinis Monasteria condidit.

Thassilo III.

Thassilo eo nomine I I I. vltimus Boiorum Rex, Regnum in cucullo finijt. A Carolo siquidem Magno triumphatus, oculisque orbatus atque in Cœnobium detrusus, felicior mille modis cucullo quam Regno fuit, quem victor ipse postea Carolus mirè reueritus, cum de nocte à cælestibus Genijs per Ecclesiam circumduci conspiceret, intelligens Thassilonem à se olim excæcatum esse, supplex adorauit, & veniam petijt; ab illo facilè impetrans, qui iacturam Regni, veræ felicitatis principium pridem agnouisset.

Supplex Thassiloni cõuerso Magnus Carolus.

Theo-

Theodo filius Thassilonis eamdem cum patre fortunam subijt, pariter felix, tantum similiter cucullo in acceptis retulit.

Theodo Princeps.

Caroli Magni occupata Bauaria posterorumque accepta à Monachis beneficia quis satis referat? Et iam non pauca inter Cæsares retulimus, ipsum acceptum à S. Leone nostro III. Occidentis Imperium, filiorum, Regnorum, institutionem. E nepotibus Carolomannus Ludouici Boij filius, præsentissima Diui Emmerammi nostri ope, de Morauis prodigiosissimè triumphauit; Carolus Crassus, à dæmonibus inuecta amentia pessimè agitatus, Sancti Remberti nostri opera conualuit.

Beneficia maxima Monachorũ in Caroli Magni progeniem.

S. Emmerãmi præsidiũ.

Arnulpho contra Zvventibaldum Morauorum Regem aduocatus è cœlo rursum Diuus Emmerammus adfuit, hostesque Boiorum admirabili triumpho debellauit. Similibus periculis prouinciam non semel S. Vdalricus liberauit. De Henrico Duce, cognomento Rixoso, postea verè Pio, æternis meritis S. Vvolfgangus noster meruit. Idem Principes Boiorum sanctissimos Diuum Henricum, & fratrem ac sorores sanctissimè instituit, eodemque tanto merito non Boicæ solum, sed Imperio, & Ecclesiæ vniuersæ mirè consuluit. Ipsummet Sanctissimum Imperatorem nostrum BENEDICTVM, idem lectissimus Boicæ Dux, Imperatorque Romanus, fidelissimum monitorem correctorem, vindicem, medicum, Patrem, & Tutelarem non semel expertus est, vt ei se denique, cum minus esse quidquid haberet agnosceret, haud immerito Casinensi in Cœnobio deuoueret.

Insignis victoria.

Henricum Rixosum demeretur S. Vvolfgang.

Henricum Sanctũ ipse S. P. N.

Eidem summi meriti gloriæque secum participium Gregorius noster eo nomine V. detulit, coniunctisque consilijs, præcipuum illum S. R. Imperij Senatum, ELECTORES SEPTEMVIROS æterna cum Germanorum gloria, commodoque inexplicabili designauit. Idem Henricus non vnum solum alterumque è nostris de se meritum, sed exercitus penè iustos Sanctorum Monachorum, eorumque maximos Duces Sanctos Popponem Stabulensem, Odilonem Cluniacensem, Romualdum Ratisponensem, Romualdum Camaldulensem aliosque habuit; vt si nullum alium Monachis obstrictum Ducem Bauaria, hunc longè obstrictissimum sexcentis titulis Sanctissimo Archiduci

Gregorius V eidem auctor summa gloria.

Plurimi de Henrico meriti.

Bauaria obstrictissima.

nostro

nostro deberet; vt de alijs longo ordine consequentibus Ducibus sileamus, quorum plerique sua in Monachos inexhaustâ liberalitate, conditis tot tantisque per Boicam Cœnobijs, tanquam illustrissimis æternaturisque ad omnem posteritatem seculorum monimentis, & merita Religiosissimi meritissimique Ordinis, & suam ipsi posteris pietatem commendauere, quâ tam frequenti, & penè incredibili virorum Religiosorum per tam amplam prouinciam multitudine, & coniuncto precum suffragio piaque contentione, fieri in hanc vsque diem non posse credimus, quin maximum, & præcipuum in Bauariam etiamnum defluat emolumentum, perennantibus inprimis eorundem, & meritis, & studio benefaciendi, qui olim magno numero Sanctitatis fama, & operibus celebres, eadem Cœnobia incoluere; vt in hodiernam vsque diem Boica Sanctorum nostrorum, præ cæteris ferè Germaniæ prouincijs, comprobatissimo miraculorum perpetuitate Patrocinio, non solum tutissima, sed & gloriosissima, vel solis quidem Diuis, Bennone in oculis sui Principis tam prodigioso, VVolfgango, Emmerammo, Ruperto, longè felicissima, inter ipsam ac tantam Germaniæ tempestatem ac calamitatem, à vicinis non solum, sed & procul positis suspiciatur ac deprædicetur.

Monasteriorum maximus numerus per Boicam.

Ingẽs multitudo Monachorum.

Sanctorum æterna beneficia.

In hodiernũ vsque diem Sãcti nostri miraculis illustrant Boicam.

SVEVIA.

SVeuiam amplissimo Alemanniæ Ducatus titulo, primi ferè, nostra opinione, post Reges Germaniæ primos, Veteres, de quibus iam supra, Guelphi, tenuere, qui postea, Galliæ Regibus Germaniæ incumbentibus, redacta in formam prouinciæ Teutonia, de potentia, & iuribus illorum non minimam partem detraxere. Obligatissimos magno Imperatori nostro BENEDICTO fuisse, qui Regum cæteroquin nulli detulerant, iam satis dictum; & tabulis Ecclesiasticis pridem deprædicatum, & notum, Gunzonis Ducis filiam, Sigeberti Regis sponsam, à Diuo Gallo nostro, summa Alemanniæ gratulatione, pessimo insessore cacodæmone liberatam. Quæ causa optimæ Principi fuit, cucullum non solum præ purpura adamaret, sed & sollicitè exambiret

Qui primi Duces Sueuiæ?

Veteres Guelphi Duces Alemãniæ.

Gunzonem Ducẽ demeretur S. Gallus.

Eius filia à Dæmone liberata.

biret dum eo denique potiretur. Cum enim sibi desponsam solemnibus nuptijs religiosissimus Rex ducere pararet, ipsa autem aram amplexa, Regis voluntati, quantum Virgo tenera poterat, obniteretur; trementem nihilominus ac reluctantem, nuptiali ac Regio cultu, sed & diademate coronari voluit, & ad se adduci imperans, in hæc denique ipse verba, voce libera, & dignissima Christiano Rege erupit: *ECCE*, inquit, *MEIS TE NVPTIIS PRAEPARATAM, SPONSI CAELESTIS, DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CEDO COMPLEXIBVS*, cumque his dexteram eius apprehensam ipse altari imposuit, & discedens ab Ecclesia, effusus in vberrimas testesque amoris pro Christo relicti lachrymas, pulcherrimo exemplo, & donatione plus quam Regia Christum, & Sanctissimum Patrem nostrum honorauit. Fridiburga autem in Metensi nostro Virginum Cœnobio, cucullum induta, præfecturam eiusdem paulo post virtutibus merita, æternum Alemanniæ eiusque Principum decus, sanctitatis opinione spectatior, quam diademate Regio, euasit. Vt hæc etiam Principum familia, primis statim temporibus, ex Ordine haberet, de quo sibi maior gloria, quam ab omni potentia atque opulentia accresceret: cui postea tantus deinceps etiam felicitatis, de quo supra, cumulus accessit; vt quæ Ruthardus, Varinus, Isenbardus magni Duces, vt quæ posteri Guelphones à Monachis receperint beneficia, quæque accepta ipsi, & in posterum etiam à morte sperata, regiæ munificentiæ argumentis ac monimentis consignauerint, de industria hoc loco prætereamus.

Regno, & Regi sponso cucullum præfert.

Offertur ab ipso Rege, Christo.

Illustrior cucullo quã regno.

Alij Duces Alemanniæ nostris obligati.

Ipsam prouinciam Alemanniæ demeruere inprimis, quam maximis atque immortalibus meritis, idem Diuus Gallus, spectatissimus Heluetiæ, & Sueuiæ circa Acronium maximè lacum Apostolus, eiusque lectissimi socij, & discipuli, Magnus, Theodorus, Eustasius Luxouiensis postea Abbas, Bebo, Vvalbertus, Deicolus, Attalus, Marbotto alijque, qui in diuersas deinceps diuisi regiones, Magnus ad Fauces Iulias, Theodorus per Algoniam, nonnulli per Alsatiam, & Burgundiam, omnes omnino quaquauersum insignem Ecclesiæ operam nauauerunt, idola, & Idololatriæ reliquias passim euerterunt, nouellum Christi gregem verbo prædicationis, vitæ sanctissimæ exemplo, & rara iu-

Præcipui Alemanniæ Apostoli.

Nostri diuersas prouincias prædicãdo obeũt.

xta

xta atque admirabili miraculorum gloria in Fide pijſque ad virtutem omnem conatibus confirmauerunt.

Alij viri Apoſtolici. Laborarunt poſtea ſtrenuè eodem in agro excolendo, magni cæteri Germaniæ Apoſtoli, Bonifacij Archi-Prędicatoris Germaniæ diſcipuli, in Vindelicia cumprimis Sanctiſſimus primuſque Vveingarttenſium Monachorum Antiſtes, Diuus *S. Alto.* Alto Scotiæ Regis filius, plurimique ex eodem Ordine, ad præcipuas Alemanniæ Cathedras Auguſtanam atque Conſtantienſem aſſumpti, *B. Ioannes Epiſcopus.* Ioannes quam maximè Diui Galli diſcipulus, cum recuſaret Magiſter, Conſtantienſium Pontifex conſecratus, *SS. Vvicterpus, & Simpertus.* Diuus Vvicterpus, ex Eluacenſi, Simpertus ex Murbacenſi Abbate, ad Sedem Auguſtanam euocatus, quiſque vt & ſucceſſores plurimi, longè lateque, ac multo quidem nomine meritiſsimus, de quibus ſuo loco inter ſacros Aquilæ noſtræ Principes, & Epiſcopos, nonnulla breuiter referemus.

Monaſteria S. Galli, & Augia. Sed ante omnia, celeberrimorum atque antiquiſsimorum Monaſteriorum Diui Galli, atque Augienſis, longè maximum de Alemannia meritum fuit, quorum vtrumque Sueuicæ ac *Promptuarium Pontificum.* Helueticæ felicitatis opulentiſſimum quaſi Promptuarium extitit, è quibus lectiſsimorum Sueuiæ non ſolum, ſed & Germaniæ ferè vniuerſæ, Antiſtitum magna copia, longo decurſu ſæculorum vtiliſſimè prodijt. *Schola Alemanniæ prima ad Diui Galli, & Augiæ.* Sed & vtrumque inæſtimabili ſanè beneficio, primas, doctiſſimorumque atque Sanctiſſimorum Magiſtrorum frequentia celeberrimas Scholas, Alemanniæ aperuit; è quibus, incredibile penè eſt, quanta illluſtrium ſyderum lux Germaniæ primis ſtatim receptæ Sacræ Fidei annis illuxerit, vt alia inde ſimul fluentia beneficia enumerare ſuperſedeamus.

Hirſaugiæ alterumque Cœnobiorũ merita. Tum Monaſterium S. Aurelij Hirſaugiæ, Sancti Blaſij, Sanctique Georgij Herciniæ, tanquam noui Alemanniæ ſoles exorti, ſplendore ſuo non vicinas ſolum prouincias, ſed Europam vni- *Monaſteria Alemanniæ portus Principum fluctuantium.* uerſam percelluerunt, maximos quoſque Principes, è ſeculi fluctibus emergentes, tanquam portus ſecuriſſimi exceperunt, tanta eorumdem pia contentione atque ęmulatione, vt vix locus ſatis concurrentibus pateret, Illuſtriſsimi etiam Principes, & Ba- *Quanta cõtentio pro cucullo?* rones, viliſſima quæuis in cucullo munia, lixarum, bubulcorum ſeruitia vltro expeterent, glorioſius quam ſceptra regerent ac gererent. Quantus ad Einſidlenſe, quantus ad Vveingarttenſe,

quan-

quantus ad Sanctorum omnium Schaffhusense, ad Campidonense, Vveissenburgense, Murbacense eiusmodi procerum concursus, vt ex vna sæpè familia, duo, tres, quatuor, imo septem aliquando ad Vveingartense simul ferè semelque fratres ac consanguinei Comites aduolarent, vt de Augiensi nil porro dicam, quod septingentis, & amplius, annis, solis ferè Principibus, solis omninò illustribus patuit, neque Monachos solum sanctè instituit, sed plerosque Sueuiæ proceres iuuenilibus annis excepit, aluit, optimèque institutos communi patriæ, & Imperij bono, in aream orbis, cœlo terrisque spectandos eduxit. Hirsaugiense viris sanctissimis frequentissimum, si quod vllum aliud Sueuiæ, & Alemanniæ vniuersæ miris modis profuit, namque noui omnino Ordinis gloriosissima mater, vnum quasi Cœnobium, Sueuiam vniuersam effecit, cum Magno, & Sanctissimo illo Abbate suo Vvilhelmo agente, adeo ipsum etiam, vti vocamus, sæculum Spiritu, & feruore Benedictino exarsit, vt cum capiendo, & Hirsaugia, & plurima alia atque patentissima Cœnobia, non essent, abdicata in ipso sæculo rerum proprietate, non è simplici solum populi grege optimi quiuis, sed & spectatissimi passim proceres, in ædibus proprijs, Vvilhelmi, & Hirsaugiensium arbitrio atque institutis viuerent, vt vix illustrius eiusmodi, omni sæculorum ætate exemplum, quale orbi vniuerso Sueuia nostrorum opera de se præbuit, vspiam reperiatur.

Ingens concursus ad Cœnobia.

Augia educatrix Principum, & nutrix.

Sæculū minimè sæculare.

Nouum Alemanniæ Institutum noua facies.

Sed & FRATRVM, vt vocabant CONSCRIPTORVM (omnium quæ hodie celebrantur Sacrarum Congregationum, & TERTII inprimis FRANCISCANORVM ORDINIS vetustissimum exemplar) longè pulcherrimum in Alemannia Institutum, à Sangallensibus primum an Augiensibus Ascetis, miro, & memorabili fructu, vt plausu, inchoatum, in plurima non solùm per Sueuiam atque Heluetiam Cœnobia, sed & per Europam penè vniuersam propagatum est: quo certis quibusdam Legibus ac ritibus, qui Ordinem profiteri Reipubl. causa, siue alio impedimento prohiberentur, in participium nihilominus bonorum operum, communi Fratrum consensu admitterentur, & FRATRVM nomine tam viui quàm mortui, CONSCRIPTORVM iuxta notati (ad differentiam CONVERSORVM) titulo, censerentur, & curarentur. Quo quidem censeri nomine non illustres solum, & Principes Germa-

Fratrū Conscriptorum institutum.

Ingens eius fructus.

Imperatores quiuis maximi Monachis accenseri volunt.

niæ viri, ſolliciti, & ſupplices ac certatim exambiuere, ſed & potentiſſimi Imperatores, Conradus I. alijque ad Diui Galli, plurimi Augiæ, ipſe etiam Fridericus Barbaroſſa, Pontifici cæteroquin fauentibus minus aliquandiu æquus, in S. Geórgij Iſnenſi Cœnobio, idem anxiè atque enixè à Monachis efflagitauere. Vt nihil de ingenti ampliſſimorum potentiſſimorumq; per Sueuiam Alemanniamque veterem Cœnobiorum numero, Sanctorumque tanto decurſu ſæculorum in ijſdem frequentia, & ab his certo è cælis in hodiernam vſque diem Sueuiæ præſidio, lucriſq; ac meritis dum viuerent in terris penè innumerabilibus in medium proferamus; vtq; nihil de diuerſorum ſæculorum, ſanctiſſimis reformationibus, de digniſſimis ſuperioris ſæculi cum emergente infero, damnatiſque iam olim, rediuiuis tamen Hæreſum erroribus, noſtrorum conflictu, feruore, patientiæ cæterarumque virtutum exemplis memoremus, ſolo Gervvico Vveingarttenſium nobiliſſimo Abbate, in oculis Imperij vniuerſi, & rebellium etiã Principum, adeo conſtantiam ſuam induſtriam zelumq; propugnandæ Sanctæ Matris Eccleſiæ comprobante, vt ipſos etiam hoſtes potentiſſimos percelleret, nutantes è magnatibus plurimos in officio cõtineret, quorum plurimum intererat Epiſcopos Germaniæ mirè accenderet, vrbes, & oppida plurima cogeret; vt ſeruatæ Sueuiæ haud minima pars eidem deberi, è plurimis datis ad ipſum ſacrorum aliorumque Principum, & procerum litteris, etiamnum ad rei memoriam perpetuam diligenter aſſeruatis, ipſiuſque Romani Pontificis, & Caroli Ferdinandiq; Auguſtorum aſſertione, manifeſto comprobetur. Sed quæ noſtri ſæculi haud leuia meritorum grauium argumenta in noſtri Ordinis hominibus, diuerſiſſimiſque noſtrorum per Alemanniam ſacris cœtibus, ſe prodidere, commendanda poſteris relinquamus.

Numerus Sueuiæ Cœnobiorum magnus.

Innumerabilia merita.

Superioris ſæculi cum Hæreticis conflictus.

Vnius Abbatis Gervvici quanta merita.

Agnoſcunt Principes.

Noſtra ætas ſimiliter fertilis.

L O T H A R I N G I A.

LOtharingia ſupra omnes omnino Imperij Principatus, potiſſimo, & præcipuo Ordinis Benedictini flore floruit, & ad miraculum vſque perpetuo excelluit, vt quia comparare alijs odioſum, enumerare autem omnia, nimis quam longum eſt, multo

multo compendiosius, innuere verius quam recensere, quæ necessario tangenda videntur statuamus.

Lotharingiæ inprimis nomen ipsum à Beatæ memoriæ, nostri Ordinis Monacho, Lothario Cæsare, originem habuit, & ab eodem, cui in sortitione obtigerat, in hodiernam vsque diem perpetuum mansit.

Ipsum Lotharingiæ nomen à B. Lothario nostro.

Cæterum Austrasiæ primum titulo celebrata, multo tamen amplior olim quam hodie patuit, Regni amplissimo nomine, & potestate haud immerito celebrata, cuius Reges ad Mosellam plerumque Mediomatricum celebri vrbe, quam Metas modo appellamus, consedere. Ab extremis Burgundionum finibus ad mare vsque Frisium, Rhenum inter Scaldim Mosellamq; exporrecta fuit; quo quidem tam amplo sinu Mediomatrices, Treueros, Vbios, Moguntiacum, Cliuios, Geldriam, Brabantiam, Hannoniam, Hollandiam, Zeelandiam, Hasbaniam, Tungros, Eburones, Limburgensem, & Luxeburgensem Ducatus, deniq; Alsatiam, Lotharingiam (vt hodie est limite angustiore) Palatinatum Rheni, Burgundiam, & Arduennam comprehendebat. Qua quidem tanta amplitudine, incredibile penè est, quantos ex Anglia solum Scotia, Hibernia, diuersarum partium APOSTOLOS Monachos acceperit, vt dimidiam Annalium nostrorum, & Menologij Benedictini partem inserere oporteat, si vel obiter, quod & illic fecimus, nostrorum recensere merita satagamus.

Fines Veteris Lotharingiæ.

Virorū Apostolicorum mira multitudo.

Exinde in Superiorem seu Mosellanam, & Inferiorem seu Ripuariam diuisa fuit: adeo vt vno eodemque tempore duo in Lotharingia Duces, eiusdem tamen ferè originis seu sanguinis, renouato sæpius, iuribus coniugij nexu, imperarent. qua similiter partitione mirabile prorsus est, quantus se nobis meritorum campus aperiret. Sed neglectis tot tantorum Monasteriorum Sanctissimis meritissimisque Christi militum agminibus, tot viris Apostolicis, tot Pontificibus selectissimis, tot Magistris diuersarum prouinciarum doctissimis, solos è tanti generis Lotharingię Ducibus oriundos Principes, qui è Serenissimo illo felicissimæ familiæ cœlo, cucullo quam purpura illustriores eluxere, quorum superioribus annis centum supra nouem in Syllabum retulimus, & in arbore quadam manu nostra depictos Serenissimæ ac Reuerendissimæ Principi Catharinę Ducissæ Lotharingię

Alia Lotharingia limitatio.

Montis Romarici Abbatissæ lectissimæ, pro eximia sua in nos beneuolentia, & meritis dicauimus, nunc paulo auctiorem Catalogum, ex quo ingentia alia metiri perfacilè sit, subijciamus.

SYLLABVS SERENISSIMORVM ILLVSTRISSImorumque Lotharingiæ Principum solemni professione Sanctissimi Patris ac Patriarchæ nostri BENEDICTI filijs accensorum.

Prim' Dux Austrasiæ, Monachus.

PRimus, de quo nobis constet, è Regia Ducum Austrasiæ familia, purpuram cucullo mutauit, & Sanctissimo Archiduci nostro nomen dedit Sanctus Vandelinus Ansoaldi Ducis, qui & Anchises dictus fuit, filius sub annum Christi 580. insigni deinceps sanctitatis fama multo illustrior factus, quam si amplissimis prouincijs imperasset.

2. Sancta Afra eiusdem Sancti Vandelini soror, Monialis Sanctæ MARIAE Treuerensis, eiusdem postea Abbatissa.

3. Sancta Seuera, Sanctorum Vandelini, & Afræ soror, eiusdem Treuerensis Cœnobij Abbatissa.

4. Bosso Dux Austrasiæ Sigeberto Regi admodum familiaris, Monachus demum Augiæ, sub A. C. 590.

5. S. Hidulphus Monachus, & Abbas Laubiensis è Duce Austrasiæ factus, postea creatus Episcopus, admiranda vitæ sanctitate, & miraculorum gloria illustris claruit Anno Christi 630.

5. Sancta Aia Austrasiæ Ducissa, prædicti Sancti Hidulphi coniux lectissima, mariti propositum, & ipsa sequuta Castrilocensi in Cœnobio Monasticen professa, sanctitate enituit A. C. 618.

Ecce quot Sancti ex vna Principũ familia!

6. S. Romaricus Romulphi Austrasiæ Principis filius, Clotharij II. Regis Galliarum Comes Palatij, Luxouiensis demum Monachus, Monasterij Auendi conditor, & Abbas, miraculorum gloria illustrissimus exsplenduit sub Anno Christi 620.

7. Sancta Gegoberga eiusdem filia, propositi paterni æmula, in condito à patre Virginum Cœnobio Christo se per vota Monachica emancipauit.

8. S. Ge-

8. S. Gebertrudis S. Romarici neptis in eodem quo Gegoberga Cœnobio se inclusit.

9. Sanctus Adelphus ex Austrasiæ Principibus oriundus, S. Gebertrudis germanus, Monachus & Abbas Remirmontanus, plurimis post obitum annis repertus est incorruptus.

10. Sanctus Amatus Sanctorum Romarici & Adelphi Cognatus, eiusdem loci Abbas, mira sanctitate conspicuus fuit sub A. C. *630.*

11. Sanctus Licinius è Principe Austrasiorum Cinciliacensis Monachus, Andegauensium denique Episcopus. claruit *630.*

12. Sanctus Arnulphus Austrasię potentissimus Dux, ex Duce Monachus Lirinensis, ex Monacho Metensium Pontifex, rursumque relicto Episcopatu Monachus. obijt A. C. *641.*

Ecce quanti Episcopi, & Tutelares.

13. Sancta Doda Austrasiæ Mosellanicæ Ducissa, Diui Arnulphi coniux, pari consensu, cum marito cucullum amplexa, sanctitate pari excelluit.

14. Sanctus Claudius Princeps Salinensis è Ducum Austrasiæ familia, Magnus Bisontinensium Patronus & Archiepiscopus, relicto Pontificatu Monachus & Abbas Turensis. Claruit *630.*

15. Sanctus Licinius è Principibus Austrasiæ Comes Burgundiæ è tanto Principe humilis Monachus. eodem tempore claruit.

16. Sanctus Basinus Austrasiæ Dux S. Clodulphi Austrasiæ Ducis filius, Monachum in S. Maximini Treuerensi Cœnobio professus, Treuerorum postea Archiepiscopus creatus. vixit A. C. *640.*

17. Sanctus Clodulphus S. Basini pater, Austrasiæ Dux, patris S. Arnulphi Ducis exemplum sequutus, cum non multo tempore Principatum amplissimum gubernasset, eo & ipse se abdicauit, & cucullum amplexus est. Metensis postea Pontifex renunciatus, demum Archiepiscopus Treuerorum electus, sub A. C. *673.* mortuus est.

18. S. Vvandregisilus S. Arnulphi Ducis ex filio nepos, Monachus & Abbas Fontanellæ.

19. S. Itha, siue Iduberga Princeps Austrasiæ Pipini Landensis coniux Monialis Niuellensis.

20. S.

20. S. Gertrudis Abbatissa Niuellensis eiusdem filia.

21. S. Begga Monialis, & Abbatissa Andennensis S. Gertrudis soror sanctissima.

22. Beatus Vvitgerus è Principibus Austrasiæ oriundus cõmuni cum sanctissima cõiuge consensu Monachum professus eodem sæculo 600. claruit.

23. Sancta Amelberga B. Vvitgeri Principis coniux, sacrum velum de manu S. Autberti Episcopi assumpsit.

24. S. Gudila Vvitgeri Principis Austrasiæ filia, Monialis Niuellensis, à morte Bruxellensium Patrona est cooptata.

25. Sancta Reineldis Princeps Austrasię Monialis Laubiensis & Martyr, soror S. Gudilæ.

26. S. Pharaildis è Ducibus Austrasiæ inferioris, S. Gertrudis cognatæ discipula, ædes postea proprias Cœnobium consecrauit.

27. Sancta Ermelindis prædictarum sacrarum Principum soror, sanctimonialem in Monasterio Meldricensi professa est.

28. Sanctus Luthvvinus Geruini Austrasię Ducis filius Clodulphi Ducis ex Gunza filia & S. Basini ex sorore nepos, Monachus & Abbas Mediolacensis, Treuerorum denique Archiepiscopus vixit A. C. 670.

Quot Principes Monachi tot ferè Sancti.

29. Dagobertus Sigeberti Austrasiæ Regis filius, Monachus cuiusdam in Scotia Cœnobij sub A. C. 658.

30. S. Bertha Sigeberti Principis Austrasiæ coniux, Monialis Blangiacensis sub A. C. 682.

31. Sancta Clara, postea Cæcilia, è Ducibus Austrasiæ oriunda. S. Romarici filia Abbatissa Remirmontana sub A. C. 650.

32. Sancta Rictrudis Ducissa, Aldalbaldi Infer. Lotharing. Principis coniux Marcianensis Monialis. Obijt 687.

33. Sancta Aldegundis filia S. Basini Regis Austrasiæ Principis Monialis Truncíniensis.

34. Sanctus Bauo è Ducibus Lothar. Infer. Comes Hasbaniæ Monachus Gandensis. Clar. 6;0.

35. S. Agletrudis eius filia sanctimonialis Gandauensis, filia S. Bauonis.

36. S.

36. S. Regina Vidua Principis Austrasiæ Monialis Dononiensis.

37. S. Amelberga Virgo è Ducibus Austrasię Inferioris Monialis Belisiensis.

38. Sanctus Bertulphus Abbas Bobiensis cognatus Sancti Arnulphi Ducis Austrasiæ.

39. Sanctus Baldricus filius Sigisberti Regis Austrasiæ. Claruit 640.

40. Sancta Boua, aliàs Bona, filia Sigisberti Regis Austrasiæ soror S. Baldrici, Abbatissa Rhemensis.

Iterum tres germani Monachi.

41. S. Doda eiusdem Sigisberti Regis Austrasiæ filia, soror sanctæ Bouæ, Abbatissa Rhemensis.

42. Sancta Deotila Princeps Austrasiæ Monialis Blangiacēsis. Claruit sub A. C. 690.

43. Sancta Gertrudis Sigeberti Austrasiæ Principis filia, soror B. Deotilæ, Monialis Blangiacensis.

44. Sanctus Maurontus Adalbaldi Austrasiæ Infer. Principis & S. Rictrudis filius, Abbas & Tutelaris Duacenus, vrbis eiusdem liberator. Claruit A. C. 640.

45. Sancta Eusebia S. Mauronti soror, Abbatissa Hamaticensis.

Quanti Sancti!

46. Sancta Clotsendis, S. Eusebiæ & S. Mauronti soror, Abbatissa in Belgio.

47. Sancta Adalsēdis Monialis Marcianēsis Austrasiæ Princeps prædictarum soror.

48. Sancta Adilia è Ducibus Austrasiæ, soror S. Bauonis Principis, Abbatissa Orpiensis.

49. Martinus Martini Austrasiæ Ducis filius, Monachus Treuerensis. Floruit A. C. 690.

50. Bertha Austrasiæ Princeps Martini prædicti soror, Monialis S. MARIAE Treuirensis.

51. Eleutherius Martini Austrasiæ Ducis filius, è Duce potentissimo Monachus, è Monacho postea creatus Episcopus, Tungrensis, vt nonnulli volunt. Claruit 715.

52. Sanctus Carolomannus Austrasiæ vniuersæ Rex potentissimus Casinensis Monachus humillimus, & sanctissimus. Claruit 750.

53. San-

53. Sanctus Adelhardus S. Carolomanni & Pipini Regis ex fratre Bernardo nepos, Austrasiæ partis Princeps, Abbas Corbeiensis.

54. Sãctus Bernarius eiusdem Adelhardi frater Germanus, & in Abbatia successor.

55. Gundrada SS. Adelhardi & Bernarij soror, sanctimonialis ad S. Radegundem Pictauis.

56. Theodrada è Principe Austrasiæ Monialis & Abbatissa Suessionensis prædictorum Adelhardi, Bernarij & Gundradæ soror.

57. Beatus Fulradus Abbas S. Dionysij. S. Carolomanni Regis Austrasiæ, è fratre nepos. Claruit 750.

Magnus omnino syllabus.

58. Landrada Abbatissa Sancti Carolomanni, incertum an eadem matre, soror.

59. Lambertus Dux Austrasiæ potentissimus Eleutherij supradicti filius Monachus Metelochiensis. A. C. 768.

60. Maria eiusdem Lamberti filia, Monialis S. MARIAE Treuerensis.

61. Beatrix eiusdem Lamberti Ducis filia, Mariæ soror, Monialis S. MARIAE Coloniensis. sub A. C. 790.

62. Irmina Austrasiæ Princeps, Monialis ibidem ex Treueris eodem tempore claruit.

63. Carolomannus Carolomanni Iunioris Austrasiæ Regis filius Monachus cuiusdam Cœnobij in Gallia.

64. Pipinus eiusdem frater, sortis eiusdem socius sub A. C. 780.

65. Sancta Ragenfredis Princeps Austrasiæ & Comes Austrouandiæ, proneptis Pipini & Carolomanni senioris, Regum, Monialis & Abbatissa Dononiensis.

66. Sanctus Simpertus, Amberti Austrasiæ &c. potentissimi Ducis filius, ex Monacho, & Abbate Murbacensi Augustanus Episcopus. Claruit A. C. 780.

Omnes nullo clariores.

67. Loherus Austrasiæ Dux, Lamberti, de quo superius, Ducis filius, patris exemplum sequutus cucullum induit sub A. C. 809.

68. Ferricus Austrasiæ Dux, Friderici Ducis filius Monachus Treuerensis, sub idem ferè tempus.

69. Anna

69. Anna Ferrici prædicti soror Monialis Coloniensis vixit sub A. C. 820.

70. Sanctus Aldricus Archiepiscopus Senonensis, è Ducibus Austrasiæ oriundus Princeps Palat. Vastinensis Monachus & Abbas Ferrariensis, vir sanctissimus.

71. Beatus Lotharius Imperator Augustus & Austrasię Rex, Monachus Prumiensis à quo & ipsius filio Lothario Iuniore LOTHARINGIAE nomen Austrasia accepit. Obijt A. C. 865. vel 66.

72. Hildebertus Rayneri Magni Lotharingiæ Ducis filius Monachus Coloniensis. Claruit 870.

73. Ermingardis Hildeberti prædicti soror, Monialis Sanctæ MARIAE Coloniensis.

74. Eua Rayneri Magni Lotharingię Ducis filia, Ermingardis & Hildeberti soror Monialis Treuerensis 870.

75. Hildegarda Ludouici Germaniæ & Austrasiæ Regis filia Monialis & Abbatissa Tiguri. 860.

Spectati cucullo Principes.

76. Bertha eiusdem soror, ibidem Abbatissa.

77. Sancta Verona Ludouici Germaniæ & Austrasiæ Regis filia, Monialis Veronhutensis.

78. Sanctus Gerardus Abbas Broniensis, è Ducibus Austrasiæ oriundus. Claruit 939.

79. Milo Ricuini Austrasiæ Ducis, primi Barri Principis filius Monachum professus sub A. C. 920.

80. Allidis Milonis prædicti soror, eiusdem propositum eodem tempore imitata.

81. Ludouicus Barri Dux, è Principibus Austrasiæ, filius Milonis, patris exemplum sequutus.

82. Beatrix Ludouici dicti soror, Monialis Treuerensis, vixit cum eo sub A. C. 950.

83. Fridericus Archiepiscopus Moguntinus è Ducibus Austrasiæ oriundus Monachus Fuldensis. Claruit A. C. 953.

84. Gerardus Abbas Sancti Vitoni, è Ducibus Austrasiæ oriundus Anno Christi 990. filius Theodorici Ducis Barri.

85. Sanctus Guibertus è Ducibus Lotharingiæ ortus, Abbas Gorziensis Monachus, A. C. 962.

86. Fridericus Godefridi Ducis Lotharingiæ filius, Comes Virdunensis potentissimus, Monachus S. Vitoni 1050.

87. Hermannus eiusdem Godefridi Lotharingiæ Ducis filius, fratris exemplum sequutus in eodem Monasterio Monasticen est professus.

88. Sanctus Stephanus IX. Pont. Max. alijs dictus X. Gozelonis Magni, Ducis Lotharingiæ filius Monachus & Abbas Casinensis. Obijt 1058.

89. Mechtildis Gothofredi Barbati Lotharingiæ Ducis filia Monialis in Belgio.

90. Odda eiusdem soror, Monasticen iam professa, è Monasterio extracta Balduino Hannoniæ Comiti nupta fuit.

91. Ludouicus Barri Dux, Princeps Austrasiæ. Theodorici Ducis filius, Abbas S. Vitoni. A. C. 1110.

92. Adela eius soror fratris charissimi propositum æmulata est.

93. S. Blidechilda Mosellanicæ Lotharingiæ Princeps & Monialis sanctissima.

Sex simul sorores cucullum amplectuntur.

94. Adelheidis Mosellanicæ Lotharingiæ Princeps Ezelini Comitis Palatini, qui frater fuit S. Chunegundis Imperatricis, filia Monialis Niuellensis, quam memorabili exemplo quinque aliæ sorores Principes imitatæ sunt. sub A. C. 1000.

95. Theophanes Adelheidis soror Monialis Essendiensis.

96. Heduvigis, item soror Monialis Nussiæ.

97. Mathildis soror quarta Monialis in Ditkircken.

98. Vvillihalda quinta soror, Monialis S. MARIAE Coloniæ.

99. Sophia, soror sexta, Monialis Gandersheinensis. Vt nemo satis tot Religiosissimarum sororum zelum admiretur.

100. B. Theodoricus Dux Lotharingiæ, Guilielmi Bilionæi Ducis filius relicto amplissimo Principatu Methelocensis Monachus, sanctitate vitæ spectatissimus A. C. 1128. obijt.

101. Agnes, siue Fronnica Ducissa Lotharingiæ, Theodorici præfati filia Monialis, & Abbatissa Remirmontana.

102. Hara eiusdem soror, Abbatissa Buxeriarum.

103. Bertha, Haræ & Fronnicæ soror, Abbatissa montis Romarici.

marici. Claruit cum iisdem A. C. 1140. circ.

104. Henricus, Simonis Lotharingiæ Ducis filius, è Duce Monachus. Claruit A. C. 1160.

105. Gertrudis Abbatissa Henrici prædicti soror.

106. Itha Abbatissa S. Irminæ Treuer. soror Henrici, & Gertrudis.

107. Iutta sanctimonialis, Matthæi Lotharingiæ Ducis filia, Floruit A. C. 1170.

108. Agnes Simonis II. Lotharingiæ Ducis filia Abbatissa Treuerensis. Claruit sub A. C. 1200.

Heroina Ordinis lectissima.

109. Bertha Agnetis prædictæ soror Monialis Fontisuallis.

110. Cathetina Iotiensis Monialis soror tertia.

111. Allidis Monialis Coloniensis quarta prædictorum soror, filia Simonis II. Ducis Lotharingiæ. 1200.

112. Agnes Matthæi II. Ducis Lotharingiæ filia, Monialis Longi-Campi A. C. 1260.

113. Agnes alia, Friderici II. Ducis Lotharingiæ filia, eiusdem Cœnobij Longicampensis Monialis. 1309.

114. Catharina Monialis Treuerensis Theodorici II. Ducis Lotharingij filia. A. C. 1320.

115. Blanca filia Theodorici III. Ducis Lotharingiæ Monialis Longi-Campi A. C. 1330.

116. Higinia Monialis Treuerensis, filia Ioannis Ducis Lotharingiæ. Claruit A. C. 1380.

117. Helena eiusdem Ioannis Ducis filia, soror Higiniæ Monialis Coloniensis.

118. Renata Ducissa Lotharingiæ (cuius nomen mihi ipsa retulit Serenissima Catharina Lotharingiæ Ducissa, at Monasterij referre nequiit) Abbatissa Ordinis nostri. 1200.

119. N. Ducissa Lotharingiæ soror Ducis Guisij, Abbatissa Monasterij Sán. Ver. eadem Principe recitante.

120. N. Ducissa Lotharingiæ Abbatissa Sancti Petri Rhemensis.

121. Maria à Lotharingia filia Claudij Ducis Aumalæ, Abbatissa Calensis.

Nostra ætate.

122. N. Mariæ prædictæ soror Abbatissa Suessionensis.

123. Francisca Abbatissa Sancti Petri Rhemensis filia Ducis Guisij.

124. Henrica Franciscæ Coadiutrix filia Ducis Ellebouij &c.

125. Ioanna Ducissa Lotharingiæ Abbatissa Regalis Monasterij Iotrensis. 1625.

126. ...... è Serenissima Principum Lotharingiæ familia, Reformata S. MARIAE Consolatricis. Viuit etiamnum A. C. 1640.

Serenis. Catharina. 127. Serenissima Catharina Ducissa Lotharingiæ, Serenissimi Caroli, & Claudiæ Galliarum Reginæ filia, Montis Romarici & S. MARIAE Consolatricis Abbatissa lectissima, Patrona nostra meritissima, cui superioribus annis arborem hanc ipsam inscripsimus, & ab eadem de postremis huius numeri, oretenus edocti fuimus, rarum & singulare postremæ ætatis nostræ totiusque Ordinis, & familiæ inprimis Lotharingiæ decus; Beatæ mem. Margaritæ de Villamont, prodigijs cœlestibus in vita & post mortem Illustrissimæ, discipula dignissima; cui Nestoreos annos, & iuuentutem Aquilæ ex animo precamur.

Mirandus numerus tot Principum Monachorũ Ecce, quantos sola Austrasia Principes, Archiduci nostro BENEDICTO sacrauit, cuculloque longè beatiores quàm Regnis amplissimis suspexit, eosque inter supra sexaginta eximia sanctitate celebres, æternos vtique tam felicis familiæ & prouinciæ Tutelares meruit, vt de reliquis nihil *Et quot ex ijs Sancti?* dicam, qui & ipsi plerique siue sanctitatis, siue raræ perfectionis fama spectatissimi fuere, vtque plurimos alios prætercam, quos eadem è familia, & è Ducibus Lotharingiæ, seu veteris Austrasiæ oriundos proferre potuissemus, qui tamen *Plures & qui in hoc syllabo præteriti.* ob numerositatem familiæ, vel in Comitum solùm Ordinem redacti sunt, vel sede familiæ in exteris prouincijs fixa, Austrasiæ auitum titulum, peregrino alterius Regni permutarunt, & amplissimis relictis opibus Sanctissimo Patriarchæ nostro nomen dederunt.

Neque addendum iam quidquam aliud existimamus, quamuis

uis talia suppeterent, quæ vix alteri cuiquam prouinciæ ab Ordine Monachico obtigisse arbitramur, tánta nimirum tot Sanctorũ Tutelarium copia; vt quotquot tota Austrasia Cœnobia numeres, tot quasi cohortes Sanctorum Monachorum, horum autem merita planè innumera, recenseas, durante in hodiernam vsque diem, felicitate eiusdem prouinciæ, per nouissimam maximè celeberrimamque SS. Vitoni atque Hidulphi Ordinis nostri Congregationem, tanto successu continuata, vt primæuus antiquissimi Ordinis vigor, perditissimis hisce temporibus restitutus bono periclitantis mundi maximo videatur, neque dubitaret magni nominis, alterius Instituti, Doctor Theologus, datis ad celebrem aliquam Congregationem litteris, constanter affirmare: per Lotharingiæ Cœnobia transeuntem, mira miranda se passim suis oculis, MONACHOS nonnisi ANGELOS conspexisse.

Alia Monachorum merita planè innumera.

Congregatio nouissima Lotharingia.

QVATVOR DOMVS, SIVE Familiæ Imperij Principes ac præcipuæ.

ANtequam ad tantum dignitatis potentiæq; verticem AVSTRIA domus, Habspurgensium Comitum familia, ascenderet, eædem Domus, qui & Duces quatuor, de quibus modo dictum, & satis est, in Aquila Imperij locum obtinuere; nunc SVEVIAE DVCVM, & DOMVS loco, longè potentissima AVSTRIAE ARCHIDVCVM DOMVS, reliquis tribus, BRVNSVICENSI, BOICAE, & LOTHARINGICAE accensetur.

Quæ olim quæ hodie Domus Imperij Principes?

Austriæ. *Brunswici.* *Bauariæ.* *Lotharingiæ.*

De Austriaca solum domo nonnulla, tantoque breuius, quanto maiora se ipsis sunt, obiter attingemus.

DOMVS AVSTRIA.

Austriaci Anicij.

SErenissimos Austriæ Archiduces, Habspurgios Comites, longè Augustissimi Anicij generis germen extitisse, PERLEONIIS scilicet Principibus satos, non quosuis tantum, & cuiuscumque fidei Authores, sed ipsos tanti nominis ac familiæ Cæsares, Diuum Maximilianum I. Religiosum, vt Iouius attestatur, suæ originis indagatorem, & Carolum V. rerum gestarum gloria, & vitæ religiosissimæ laudibus immortalem, Augustos de orbe Christiano meritissimos, habemus, quos ita constanter sensisse, Hieronymus Rubeus, Paulus prædictus Nouiomensis Episcopus, & Lucas Contilis, asseuerant. Eiusdemque etiam sententiæ fuisse Sigismundum Austriacum, Friderici IV. Imperatoris patruelem, Henricus Gundelfingensis attestatur, vt in ea sententia Sapientissimos Augustos, & Principes absque vllo fundamento, aut graui veterum auctoritate, aut sine certa à maioribus suis traditione, fuisse, nemo nisi temerarius, ausit affirmare. Quibus proin, tam Benedicti generis Principibus, haud immerito, quod de Vetustissimi æui Abrahamo, Numen ipsum, quodque de Sanctissimo meriti Spiritusque eiusdem Patriarcha nostro BENEDICTO, eadem, confirmatissima tanto decursu sæculorum in facie vniuersi Eiusdem Diuini Numinis, promissio, prænunciauit; tanti Patris, iure tam antiquo SANGVINIS, & numquam interrupti stemmatis hæredibus, conuenire ad amussim etiam videatur BENEDICENTVR IN SEMINE TVO OMNES TRIBVS TERRAE, vt quod in amplitudine, SACRAE ABRAHAMI NOSTRI GENERATIONIS, amplissimi Ordinis effusissima in orbem vniuersum propagatione expletum videtur, in tanto quoque sui generis, & sanguinis AVSTRIACORVM ARCHIDVCVM per orbis vtriusque prouincias dominatu compleri sit manifestum.

Perlemij.

Ecce quanti Auctores!

Verè Benedictum genus Austriæ Archiducum.

Sanguinis iure benedictionē S. P. N. vsurpât.

Ingens eorū inde dominatus.

Ad quos igitur, constat absolutè, quod ad Monachos professionis, ad ipsos sanguinis iure, & ex innumeris Magni Archiducis nostri atque Imperatoris meritis, omnem hanc tantam AQVILAE NOSTRAE gloriam pertinere, quid tamen præter

ter Generale hoc à BENEDICTO suo decus, in eosdem Principes specialius redundet, quam breuissimè enumeremus.

De Comitibus Habspurgi meritis.

Habspurgensem inprimis eorumdem primam in Germania occupatam à maioribus eorumdem ditionem, dici vix potest, quantum Monachi nostri, Sangallenses inprimis, atque Einsidlenses demeruerint, è quorum laboribus, omnes, vt omnium prouinciarum per vniuersam ferè Germaniam, fructuum Christianæ professionis primitiæ, enatæ prodierunt; sic quoque è Scholis Veteres illi Habspurgi Comites, eorumdemque cognati Alteburgij Kiburgijque tam spectati virtute, & ab hac fama, exiere; quorum beneficentia temporalibus etiam, vt sacri vocant, bonis haud leuiter aucti sunt, cum non solùm sollicitis, & Religiosis eorumdem votis quotidie iuuarentur, sed & præfecturis, atque muneribus Principum magnificentia dignis ornarentur. An non Habspurgensium Comitum familia diuturno admodum vsu, aulæ Præfecturam apud Einsidlenses Antistites obtinuit, eiusque muneris mercedem Dominium Kienberg ab ijsdem accepit? An non simili obligatione, eadem Comitum propago Sangallensi, Augiensi, alijsque Cœnobijs obnoxia, & obstricta fuit? Et quanti ex eadem illustri Domo extitere, quibus multo plus gloria, à toga, & vili cucullo, quam militari sago, obtigit? quibus summa in terris, quies, æterna in cœlo felicitas à professione vitæ Monasticæ prouenit, è quibus præ alijs Beatæ memoriæ Gebhardus I. Constantiensium Pontifex enituit, qui è Comite Habspurgiensi Augiensis Monachus, ex Monacho absolutissimo perfectissimus Episcopus, ex Episcopo demum, opinione nonnullorum gloriosissimus Christi Martyr euasit.

Veteres Habspurgij feudatarij, & Ministeriales Monachorum.

Præfectus Aulæ Einsidl. Comes Habspurgius.

Item aliorũ Cœnobiorũ Ministeriales.

S. Gebhardus I Constantiensiũ Pontifex.

Vt huic etiam gloriosissimæ Veterum Habspurgiorum genti, deuolutæque ad Perleonios Principes, eorumdem Ditioni, præcipua ex Ordine nostro gloria, & certus in cœlo Tutelaris euenerit, qui acceptarum gratiarum minimè immemores, suæ familiæ non solum insignia, sed & corpora ipsa, communi omnes voto, & more, ad Monachorum pedes, animis suis opem ad sera etiam sæcula petituri, abiecere; omnes in S. Trudperti Herciniæ Cœnobio tumulati.

Principes Habspurgiorum gloria ex Ord.

Ad pedes Monachorũ sepeliuntur.

Kybur-

Kyburgẽses Comites qualiter nostris obstricti.

Kyburgenses Comites, Augiensis Cœnobij Camerarij munus, quam diutissimè atque vtilissimè gessere, indeetiam haud parum aucti opibus, & benedictione insuper Numinis ad vota Monachorum, exaltati; è quorum spectatissimo genere, optimi quiuis Sanctissimo Archiduci, vt debitis tantis se soluerent, seipsos tradidere, longè maiorem beatitatem dando, quam accipiendo, referentes: quorum è numero frequentissimo, magnum illud Augustanæ Ecclesiæ, imò Germaniæ, & Orbis vniuersi Christiani decus, Sanctus Vdalricus noster, in Diui Galli primum educatus, alteram matrem gloriosissimam Christi Martyrem S. Vviboradam nactus, in ipso tandem Episcopatu, & pleno Patrum Concilij Ingelheimensis consessu Monachum professus, & cucullum indutus (quamuis Episcopatum deserere prohiberetur) immortalibus meritis patriam, & Imperium demeritus, Vindelicorum à morte Tutelaris cooptari meruit. Sed & alter, eiusdem nominis, non imparis sanctitatis Vdalricus, prioris nepos, Cluniacensis Monachus, miraculum Angeli hominis, prodigiorum cælestium admiranda prorsus patratione Illustrissimus, eiusdem nominis Kyburgij splendorem ad cœlum vsque euexit, & Brisgouiensem (deuolutum item hæreditate ad Perleonios Austrios Principes) tractum mirificè ornauit, & sibi obnoxium reddidit.

Plurimi sũt Monachi.

S. Vdalricus Episcop. August.

S. Vdalric. Cluniac. Kyburgẽsis itẽ Comes.

Quid Sanctum Adalberonem ex Elvvangensi Augustanum, quid Beatum Reginboldum ex Abb. S. Vdalrici, & Eberspergensi Spirensem, Episcopos sanctissimos memoremus? Quid Vvarmannum ex Augiensi; quid Eberhardum ex Einsidlensi; Constantiensium Pontifices; quid Vdalricum denique ex eodem Einsidlensi Asceterio Curiensem Antistitem, omnes Kyburgensis perillustris familię illustrissima sydera in medium proferamus, quorum tam repentino intuitu potius oculi perstringantur, quam prolixiore narratione, instituto nostro contraria, animus recreetur seu excitetur. Protulit multo his plures eadem familia, imo regenerandos altero professionis Monachicæ Baptismo Sanctissimo Patri nostro obtulit, & è fœmineo etiam sexu, gratissimas cœlo Virgines, per eumdem magnum Patriarcham Regum Regi sponsas consecrauit, vt si nulla re alia Kyburgensi Austriorum Principum hæreditati, longè maior

B. Adalbero August. B. Reginboldus Spirẽsis Episcopus. Alij itẽ Episcopi nostri ex eadem familia.

Plurimi alij Monachi.

è cæ-

è cœlis tantorum patrocinio, quam amplissima possessione in terris, felicitas euenerit.

ZARINGENSEM DVCATVM

Zaringensis Ducatus, et Brisaugia decora.

cum Friburgensi Comitatu alijsque permultis Dominijs, ad Austrios item Principes hæreditate deuolutum, demeruere inprimis Trudtpertini vetustissimi Cœnobij Monachi sanctissimi, & ij, de quibus paulò post, Alsatiæ proximæ adiacentis, ex Ordine nostro Apostoli; familiæ autem præ cæteris splendorem addiderunt, Beatus Gebhardus Bertholdi Magni Alemanniæ & Zæringiæ Ducis frater germanus, ex Monacho Hirsaugiensi Constantiensium Episcopus, & pro singularibus meritis à B. Vrbano II. per vniuersam Germaniam Legatus Apostolicus renunciatus, inter præcipuas Romanæ Ecclesiæ columnas à grauissimis Scriptoribus numeratus, Schismaticorum malleus, officio Apostolus, merito Martyr, vt de tanto Principe suo Brisaugia, & hæredes posteri haud immerito æternum sibi gratulentur.

B. Gebhardus Episcopus Constant. ex Mon.

Insigne Elogium.

Nec minor ab Hermanno Principe, ijsdem prouincijs gloria accessit, quando ille gloriam mundi omnem generosissimo animo protriuit, & in Cluniacensi Monasterio Monachum professus, Fratribus conuersis accenseri voluit, multoque tempore eiusdem Cœnobij pecora pauit. Vt à nullo Victoris Principis Trophæo maior & dignior gloria familiæ, quam ab Illustrissimi huius Pastoris, lituo seu flagello obuenire potuerit.

B. Hermannus Marchio Pastor.

Adiacet proxima huic prouinciæ, nobilis reapse vt nomine, fertilissima superarum Germaniæ prouinciarum ALSATIA, & ipsa pridem hæreditario iure Austriacorum Principum facta, quæ quidem Monachis à tot sæculis obligatissima, præcipuam & ipsa felicitatem, solidum veræ Fidei lumen, quin & humanitatem, litteras, ciuilem societatem, Ecclesiarum extructionem, plurima alia nostris ab antiquo debuit: è quibus primus Sanctus Leopardus noster, sanctissimi Archiducis nostri discipulus, mille & centum ab hinc annis, admirabili vitæ sanctitate spectatissimus, sedentibus in tenebris & vmbra mortis, vtilissimè illuxit. Sed & Magni Gregorij nostri, lectissima Monachorum colonia nō multo post obitum Leopardi, ad Vallem à Diuo Gregorio deinceps cognominatam diuertit, è quorum condito ibidem Cœnobio,

Alsatia quantum nostris obstricta.

Illatum Fidei lumen.

S. Leopardus S.P.N. discip.

Discipuli S. Gregorij.

infignis Apoftolicorum virorum & Pontificum fanctiffimorum copia fefe, bono Alfatiæ & vicinorum publico, effudit.

Et quanta Alfatiæ gloria, quod tot gentium meritiffimum Apoftolum, Tungrorum fcilicet, Eburonum, Brabantorum, Flandrorum &c. S. Amandum noftrum, Lerinenfem, pòft Augiæ, fiue Ogiæ Monachum, & ipfa non folùm Apoftolum, fed & primum Pontificem, Argentinenfi fede exftructa, habere meruit. Cui haud impari vitæ fanctitate & merito, Sanctus, Iuftus, è Monacho vallis Gregorianæ fucceffit. Quanto fructu Sanctus Arbogaftus nofter prope Hagenoam in exfcindendo dæmonum atque idolorum cultu laborauit? Quanto gaudio prouinciam vniuerfam, excitato à mortuis Regis fui Dagoberti Magni filio, Sigeberto, impleuit? Quantum inde gloriæ fedi cui præerat Argentinenfi addidit? Quid non eius fucceffor Sanctus Florentius nofter Scotus Monachus meruit, qui pari zelo in Alfatia laborans, non imparibus prodigijs honorari meruit, eaque inter de eodem Rege Dagoberto meritus, filiam eiufdem, ab vtero matris luminibus orbam, & mutam, folo fuo ad Regiam aduentu, facultate videndi atque loquendi illico donauit? Tacemus, quæ reliqui eiufdem ex Ordine noftro Sedis Antiftites, quid Etho, quid Remigius, quid Ratho, Gregorianæ omnes Vallis Monachi, meruerint. Præterimus, quid Murbacenfe, longè illuftriffimum Alfatiæ Archifterium, quid Eberheimenfe, quid Schuteranum, Altorffenfe, plurima alia Ordinis noftri Cœnobia, de fuo Alfatis contulerint, in quorum enumeratione, aliquot minimum quaterniones effent infumendi. Taceo fpectatiffima quæuis loca, Argẽtoratum ipfum totius & ampliffimi illius tractus Metropolim, dudum fuis in cineribus ruinifque fepultum, condito illic S. Thomæ Scotorum Ordinis noftri Cœnobio alijfq. alibi paffim conftructis, conuolante eo populo, fedefq. figente, confurrexiffe. Vt pulcherrimæ celeberrimæque per Imperium vrbes, fua ad Monachos initia progreffufque referant, eoque tam infigni obftrictæ beneficio, tantæ molis memoriæ & monimenta in oculis vniuerfi huius florentiffima & fpectatiffima perfeuerent.

S. Arbogaftus.

S. Florentius.

Alij meritiffimi Epifcopi.

Monafteria varia.

Argentoratum noftris debetur reftitutum.

BVRGVNDIAM inter præcipuos Auftriacorum Principum titulos celebratam, obligatiffimam fibi tot tantique, & Apoftolicis quidem meritis, ex Ordine noftro viri reddiderunt, vt planè præter

Burgundia quid debeat.

ter institutum, nimis quantum adaugere hoc opus cogeremur, si vel ex solis quidem nominibus, qui de Burgundia singulariter meruerint, enumerare aggrederemur. Meruere præ cæteris, Luxouienses inprimis sanctissimi Cœnobij Monachi, qui subnascentes passim grauissimas Hæreses fellicissimè debellarunt, sed & Idolorum cultum circumquaq. etiamnum vigentem prorsum sustulerunt. Præcipuè autem in pestilentissima illa Photini & Bononij Hæresi euertenda strenuam Romanæ Ecclesiæ operam nauarunt, quorũ meritorum illustre admodum à Diuo Vincentio Belluacensi profertur argumentum: Ipsis Concilij Gallici Patribus Christi anno 617. communi consensu decernentibus, ad exstirpandas Gentilium reliquias, & succrescentes Hæreses præfatas, neminem tam esse idoneum, quam Monachos Luxouienses, qui satis luculentum zeli sui & industriæ documentum quotidie dederint, in numero populorum, quos prædicatione sua ad fidem adduxissent &c.

Luxouienses Monachi meritissimi.

Idololatriā profligunt.

Insigne Luxouiensium elogium.

Proximi meritis Cluniacenses Monachi, tanta Sanctorum & Apostolicorum virorum multitudine opulenti, vt nisi sanctissimi Authores scriberent, sed & innumera exploratissimaque toto orbe merita altùm deprædicarent, incredibile videretur, ex vno hoc Cœnobio tot sanctitate illustres prodijsse, vt ex solis his duobus Cœnobijs (alia per Burgundiam grandi numero, & ipsa meritissima, nedum Monachos sanctos, minimè memoramus) in Burgundiæ messem, imo ad orbis vniuersi salutem, iustissimum constet exercitum prodijsse. Quid non de Burgundia solus ille sanctissimus Burgundiorum Metropolita, Diuus Claudius noster, eiusdem præcipuus Tutelaris, & viuus, & mortuus meruit? Quantum magnus ille Cluniacensium Antistes Hugo, quantum prodigiosissimus ille, Thaumaturgus alter, Maiolus, quantum Odo, quantum Odilo, Cluniacenses omnes sanctissimi Antistites? Quid de præcipuo illo Burgũdiæ ciue, orbis miraculo, mellifluo Doctore Bernardo nostro referamus? Quid de solis ex ipsa Burgundica domo, in familiam sanctissimi Archiducis nostri adscriptis Principibus, memoremus? Nunquid non Hugo I. post 22. annorum felicissimum in Burgundia Imperium cucullo illustrior & felicior, in Cluniacensi Cœnobio euasit?

Cluniacensium ingentia merita.

Quantus sāctorum numerus.

S. Claudius Burgundiæ Metropolitanus, & Tutelaris.

Alij Sancti nostri Burgundi.

Hugo I. ex Duce Monachus.

latus, præcipuosque inter Belgij Tutelares accensus.

Huic proximus, magnus ille, & meritissimus Vvillibrordus noster, Sanctorum Egberti, & Vvigberti Apostolicorum virorum discipulus lectissimus, Vltraiectensis postea Ecclesiæ Fundator, & Episcopus primus, innumerabilium mortalium conuersione longè celeberrimus, qui vnus, incredibile penè est quantas prouincias prædicando obierit, quantumque fructum à tam barbaris etiamnum cœloque infensis hominibus retulerit, ob eamdem causam æternis elogijs, à Belgis numquam satis celebratus, & Frisiorum, Hollandorum, Zeelandorum, Birflitanorum, Hulstensium, Ascellanorum, Hasnensium, Cliuensium, Siluæducensium, Campiniensium, Vlissingensium, Coloniensium, Traiectensium, Vesaliensium, Embricensium, Vvardensium, Xantensium, Luxemburgensium, plurimarumque aliarum prouinciarum, & vrbium Apostolus appellatus, & Tutelaris salutatus.

S. Vvillibrordus.

Ecce quot vnus prouincias obstrinxerit!

Nec minore fructu ac gloria, in Hollandia, Vvestphalia, Batua, Teisterbandia, S. Svvitpertus desudauit; S. Siluinus Taruanensium Apostolus audire meruit; Sanctus Vvilleicus, Hollandiam maximè, atque Vvestphaliam eodem modo sibi obstrinxit.

S. Suitpert⁹.

Sanctus Ioannes Blandiniensium Abbas, Gandauenses Christo adiunxit. Sanctus Marcellinus Magni Bonifacij socius, Transiselanos, & Dauentrienses ad gremium Ecclesiæ aggregauit. Simili merito Dauentriensibus item se S. Lebuinus commendauit.

S. Ioannes Abbas.

S. Vverenfridus Diui Vvillibrordi discipulus, Batauiam, Neomagum, Vvesterfordiam Elestensium ditionem Apostolica prædicatione conuertit.

S. Vverenfridus.

Sanctissimus Antuerpiensium Tutelaris, & Apostolus, Eligius noster, non illic solum, sed per Flandriam vniuersam tantos titulos meruit.

S. Eligius.

Similiter apud Flandros, Brabantos, & Gandenses ingentes fructus Apostolici muneris Sanctus Liuinus retulit. Sanctus Gregorius noster Traiectensium Pontifex Traiectensibus, & Dorstadensibus prædicatione sua immensum profuit. Atrebatensium Sanctus Chillenus; Holsatiæ, Sclauorum, & Vvandalorum

S. Liuinus.

S. Chillen⁹.

lorum S. Vicelinus; Taxandriæ S. Lambertus; Kenemariæ Sanctus Ingelmundus, eidem Hollandiæ S. Adelbertus Deirorum Regis filius, Theoraciæ, Flandriæ, Faniæ, Menapum Apostolus Sanctus Vrsmarus fuit. Populorum ad Helpram, & Iseram Sanctus Etho, ad & trans Albim S. Vvillehadus, Flandriæ Occidentalis Sanctus Erminus, Hannoniæ S. Foillanus, Ruremundensium finitimarumque prouinciarum S. Vviro, Frisiæ S. Radbodus, Traiectensium, Ruremundensium, Gruningensium S. Otgerus, omnes rarissima sanctitatis fama, & miraculorum gloria illustrissimi Monachi, Apostolatum meruere. Vt, reuera sola horum commemoratione fatigati, Egbertos, Pattones, Rumoldos, Adelgarios, Vltanos, Furseos, Abeles, Vvilfridos, Vvasnulphos, totas Apostolicorum virorum cohortes, volentes iuxta ac nolentes negligamus, nedum singula singulorum, quamuis spectatissima, de diuersis Belgarum prouincijs merita adumbrare præsumamus; Tædeat autem, tot Tantorum Principatuum Principes, qui salutem cucullo debent, Flandriæ, Brabantiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, &c. vel nominare quidem, è quibus Flandriæ ac Brabantiæ familia hoc in genere felicissima enituit, aliosque inter, illa quidem Alberonem, Balduinum Hierosolymitanum, Ingelbertum, Iuettam, Bertham, Sibyllam, Elisabetham, &c. hæc Henricum, Godefridum Margaritam, è vetustioribus autem, vt supra diximus, memorabilem omninò numerum, Sanctissimo Patriarchæ nostro, filios obtulit atque emancipauit.

SS. Lambertus, Adelbertus &c.

Quanta vis Apostolorū.

Principes Monachi.

Tanta de Belgicis Austriacorum nostrorum Principum prouincijs merita Monachorum fuere, vt verbo concludamus; nulla aut vix vlla è tot Ecclesiarum millibus vniuerso in Belgio, vt recenseatur, quæ non vnum, nisi plures etiam, ex Ordine nostro, tantisque Apostolis Patronum veneretur: perennantibus in hanc vsque diem Tutelarium eiusmodi grandibus meritis, cum vix morbi aliquod genus sit, quod non certum ex ijsdem Medicum, ab eiusdem prodigiosa curatione celebratum, inueniat, si ritè eiusdem Patrocinium imploretur; numquam non curantibus, & promouentibus, tam charæ dulcissimo Patri suo BENEDICTO cognatæque AVSTRIADVM gentis, res & Fortunam, Cœlitibus nostris, cuius præclarissimum superiori primum sæculo specimen

Vix Ecclesia in vniuerso Belgio, quæ non Patronum Monachum habeat.

Nullus morbus, quinō certum ex Ord. Sanctū habeat medicum.

San-

Sanctus Maurontus Abbas edidit, quando iuratissima Gallorum hostium odia, & molitiones prodigiosè auertit, & Duacum spectatissimam Flandriæ Vrbem, Christi anno 1556. à traditione Gasparis Colinæi summi Gallorum Ammiralij, spectabili forma cœlo descendens, feliciſſimè liberauit. Sed ad alias Austriacæ Fortunæ, & gloriæ partes properemus.

Prodigiosè defenduntur à nostris Belgium.

AVSTRIAM ipsam, à qua præcipuum ipsis hodie nomen, præ cæteris Magnus ille Boiorum Apostolus, primus Iuuauiensium, postea Salisburgensium Pontifex, Diuus Rupertus noster demeruit, & Apostolico merito sibi æternum obligauit. Cui proximus Sanctus Gisalaricus, eiusdem Ruperti discipulus S. Petri Salisburgensis Monachus, Austriæ incultiſſimum agrum excolendum suscepit, immensisque perfunctus laboribus, insuperabili constantia, merito incomparabili, AVSTRIAE sibi APOSTOLI longè illustriſſimum titulum comparauit.

Austriæ Apostolus præcipuus S. Rupertus.

Tum S. Gisalaricus noster.

Sed & celeberrimus ille Austriacorum Tutelaris Sanctus Colmannus, Huensis primum Monachus, Amerbacensis dein Abbas Lindisfarnensis denique Archiepiscopus, relicto Pontificatu, difficillimam itineris longi, & laboris longè maximi, molestiam, propagandæ fidei zelo, spontè suscepit, tantæque demum pietatis charitatisque mercedem, laureolam Martyrij meruit, post longa, & plurima tormenta in arbore suspensus, cuius merita admirandis statim prodigijs DEVS declarauit: quippe latronum duorum, quos inter seruus hic Christi, Domini exemplo reputatus est, carnibus, auium, & bestiarum morsibus laceratis, tantum abest, vt Sacrum Colmanni corpus quidquam iniuriæ pateretur, vt etiam vnguibus cum barba cæsarieque crescentibus, incorruptiſſimum refloresceret. Sed & arbor, in qua integro anno cum dimidio pependerat, refronderet; cumque venabulo transfigeretur, & carnes ex corpore rescinderentur, calidus semper sanguis deflueret. Cuius tanti Patroni sui propitiam opem innumeris deinceps exemplis Austria meruit, quemque olim tam indignè habuit, summo pro meritis eximijs cultu in hodiernam vsque diem religiosiſſimè veneratur.

S. Colomannus Mon. Huensis.

Martyrio coronatur.

Grandia miracula.

Beneficia innumera.

Apostoli item apud Austrios titulum Sanctus Virgilius noster Salisburgensium Pontifex accepit, qui in conuersione eorumdem plurimum laborauit.

S. Virgilius Apostolus Austr.

Meri-

S. Vuolfgangus Apostolus Austriæ.

Meritissimus ille insuper de Imperio vni uerso Ratisponensium Antistes Sanctus Vuolfgangus Einsidlensis Cœnobij Monachus, Apostolicam eidem prouinciæ operam impendit, tantumque apud eosdem verbo, & exemplo profecit, vt Sacrosanctum Vuolfgangi nomen è cordibus Austriorum, nulla deinceps sæculorum diuturnitas conuulserit. Vt alios è nostris, Salisburgensis præcipuè Ecclesiæ Pontifices, quorum pastorali curæ Austria subiacuerat, labores, & merita, propagatæque fidei gloriam prætereamus.

S. Leopoldus Austr. quãtum nostris detulerit.

E Principibus, qui potissimum obnoxij obligatique nostris, paucos commemoramus è plurimis: quos inter primum, & longè spectatissimum illum Sanctum Leopoldum, Austriæ, & Styriæ Marchionem potentissimum ac felicissimum, Monachis adeo addictum, vt totus ab ijsdem dependeret, imo in purpura Monachum ageret, Ordinis rem, vt suam curaret, omnem felicitatem Monachorum precibus acceptam referret, præterque inexhaustam in diuersa Cœnobia liberalitatem, spectatissima Austriæ Monasteria restauraret, alia de nouo maximis impensis conderet, & regia munificentia donaret atque dotaret; Mellicense item longè potentissimum à patre Leopoldo Pulchro inchoatum, incredibili studio absolueret, moriturus denique (tanti nominis Diuus) Monachorum suffragia, sedulo expeteret, & ne sui etiam à morte obliuiscerentur, & iuuare se pergerent, ante oculos, & pedes eorum sepeliri vellet, quem tamen deinceps, singulari suo solatio, Diuis solemni ritu adscriptum, summis illi honoribus coluerunt.

Plura Cœnobia condit.

Apud nostros vult se peliri.

Duo eius filij Monachi.

At quanta felicitas tam sancti, tam felicis patris, à tam charis à tam felicibus filijs Conrado atque Otthone Principibus, quorum vterque purpuræ cucullum prætulit, eoque multo plus famæ ac gloriæ, quam omni Principatuum amplissimorum, eminentissimæque in orbe dignitatis prærogatiua retulit, vterque ab eximia sanctitatis opinione, longè lateque celebratus.

B. Cõradus Austriacus.

Conradus ex Abbate S. Crucis, conditi à patre Cœnobij, Pataujensium creatus Episcopus, paulo post Salisburgensis renunciatus Archiepiscopus, vtrique Ecclesiæ, variè consulendo mirificè profuit, æterno autem, ob insignem vitæ sanctitatem fuit ornamento.

Illud

Illud eius alia inter dignum tanto Principe nostro elogium, quo *IVSTITIAE FAVTOR, & DEFENSOR SVMMVS, PAVPERVM NVTRICIVS MEMORABILIS*, prædicabatur. Sed longè grauissimum meritum istud, quo æterna sanè memoria, nomen suum Romanæ Ecclesiæ commendauit, & insolenti planè exemplo, carnem minimè respiciens ac sanguinem, Friderico I. Imperatori fratris sui vterini filio, in cuius insuper tunc comitatu erat, non sine maximo periculo in faciem contradixit, eumque læsæ Pontificiæ sanctitatis reum publicè reprehendit, Inuestituras impiè sibi arrogare exprobrauit, Alexandro autem Pontifici constantissimè adhærens, Ecclesiasticæ libertatis vindicem, intrepidè, & Cæsari, sui amantissimo, & aduersæ factionis Episcopis sese opposuit, inter præstantissimas Ecclesiæ columnas numerandus.

Insigne Elogium.

Eius constantia.

Columna Ecclesiæ.

Ottho, Morimundensi in Cœnobio Archiduci nostro, sub Sacra Cistercienſium nostrorum Reformatione se deuouens, eiusdem postea Abbas deligi, inde autem ad Cathedram Frisingensem subuehi meruit, cuius, ob præclarè in Pontificatu gesta, non tam Restaurator, quàm Fundator, habitus est, tandemque in Cœnobio suo, cum mortis suæ reuelatione Numinis non ignarus esset sancto fine decessit, non à sanctitatis solum opinione, sed & singulari eruditione, relictorumque ingenij monimentorum præstantia, supra omnem generis dignitatem celebratus.

B. Ottho Episcopus Frising. Princ. Austr.

Sed & Leopoldus eo nomine VI. quem ob insignem Virtutem partamque bello gloriam Victoriosum dixere, tam gloriosæ vitæ periodum in cucullo quæsijt, & in S. Crucis item Cœnobio senectam exigens (quod tamen Baronius, ab Anglis scriptoribus Leopoldo ob Richardum Regem suum interceptum, infensissimis, deceptus, non credidit) ibidem beato fine requieuit, multoque plus cucullo, quam purpuræ debuit, cum illius opera æternum, huius sorte breue admodum, & plenum periculis, Regnum obtinuerit.

Leopoldus Victoriosus.

Vt nihil porro, de alijs Austriæ Principibus, tam viris quàm fœminis dicamus, qui potissimam, & ipsi felicitatem, siue in cucullo quæsierunt, siue eidem acceptam retulerunt, ingentibus quamprimum beneficijs, à conditis per Austriam specta-

Plurimi Austriæ Principes cucullo felicitatem debeat.

spectatissimis Cœnobijs Mellicensi, Gotuicensi, Cremiphanensi, Lambacensi, alijsque quamplurimis, fœcundissimi instar atque auriuomi Tagi, cum in Principes ipsos, tum in prouinciam vniuersam effusissimè defluentibus. Sed cætera cæterarum Austriæ domus ditionum accepta à Monachis depropere-remus.

Monasteria Austriæ Tagi instar.

Carinthia, Carniola, Styria, Apostoli.

Carinthia, Carniola, Styria, Fidem etiam Christi, quod de plerisque iam dictum, nostrorum opera plantatam accepit, apud quos Diuus etiam Rupertus, & discipuli eiusdem, gentis magni APOSTOLI deprædicantur. Diuus etiam Virgilius, eodem labore ac merito apud Carenthanos plurimum desudauit, aliaque inter fructus æterni beneficia, primum ijsdem Episcopum dedit, multisque modis præclarè consuluit.

De Boemia supra satis.

Eius Regni insignia, quæ & quid portẽderint.

BOEMIA quantis debitis obstricta sit nostris, prolixius, cum de electoribus ageremus, iam patuit, quod ipsum opulentissimum Regnum, destinatum se pridem Austrijs Principibus à Numine, ipsis Regum insignibus, Leonis argentei in scuto purpureo prodidit, quæ propria ipsiusmet Sanctissimi Archiducis nostri BENEDICTI, eiusque familiæ Aniciorum PROBORVM fuere; eadem ab Austrijs tanto post, non absque singulari tanti Cognati sui ope recepta: cum iniurius in familiam Aniciam Ottocarus, improbus PROBIS, seris PROBAE ANICIAE FAMILIAE posteris, eadem ipsorum, & Regni Bohemici insignia, vna cum Regno reddere cogeretur. Quod etsi precario deinceps Ottocari concessum posteritati, ab alijs nonnullis per vim vindicatum esset, ad illam tamen tanto post familiam redijt, cui ex omine debebatur, redditum Probitati, cum verè PROBAE, Aniciæ Austriæ familiæ redderetur.

S. Gerardus Morau. Apostolus.

Alij Apostoli.

MORAVIAE magnus Apostolus, primusq; eiusdem gentis Canadinensis Episcopus Sanctus Gerardus fuit, S. Georgij Maioris in Vrbe Veneta Monachus, qui stabilem denique post alios prædicatores nostros, sæpè pulsos, sæpè reduces, sedem fixit, ijsdemque præ cæteris benè fecit, & plurimum profuit. Cæterum ante ipsum SS. Methudius atque Cyrillus S. Andreæ in Vrbe Monachi, Christum ibidem prædicarunt, plurimos, eosque inter, Regem ipsum ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium adduxerunt. Sed & Diuus Godvvinus noster, prouinciæ eiusdem audi-

audire Apostolus meruit, omnes illi, multique alijè nostris Tutelares cooptati.

Illud etiam insigne, quod & multis alijs Regnis euenit, Regnum Morauiæ, quod ad Boemos transferendum S. Methudius noster prædixerat, in Monacho etiam nostro desijsse, Svvatacopio scilicet, vltimo Morauorum Rege, qui in Methudium Regni sui Apostolum, præter meritum tanti viri summè iniurius, flagello Numinis correctus, dignè resipuit, cucullumque amplexus, felicissimo termino vitam conclusit, cum ad mortem vsque ne ipsis quidem Monachis, Regem ipsum esse constaret, ab insigni deinceps sanctitatis fama supra omnem Regni gloriam celebratus.

Regnum in Monacho desinit.

Felicior cucullo quam Regno Rex.

SILESIA eosdem quos Morauia, & Bohemia, de quibus iam satis dictum, Apostolos habuit, Sancto tamen Adalberto nostro Polonorum magno Apostolo ac Tutelari præ cæteris debuit, eo quod Regem ipsorum ille conuerterit, omni deinceps per nostros è Regno Poloniæ, (cui tunc parebant Silesij) felicitate, ad eosdem transfusa.

De Beato Casimiro nostro eiusque grauissimis de Silesia meritis, nemo satis dixerit, qui è Cluniacensi Cœnobio, vbi septem annos Monachus egerat, iussu Romani Pontificis, ad auitum Regnum reductus, & Sceptra capessere coactus, felicissimum statim ex infelicissimo reddidit, Silesiam recuperauit, & vt Regnum Sanctissimis institutis Religiosissimum effecit, sic & Silesiam instructissima Monachorum immissa Colonia, mirificè iuuit, plurimisque alijs beneficijs sibi æternum obligauit.

B. Casimirus Rex Monachus de Silesia meritissimus.

Oeni atque Athesis tractum Italiæque finitima, Tyrolim hodie vocant, Christi Regno adiecit Sanctus Rupertus noster, Theodoualda eorum Principe, Pisonij (in Bozen) sedem habente, Christi præceptis primùm instituto, & salutaribus sacrisque Baptismi vndis expiato.

Tyrolim conuertit S. Rupertus.

Fauces Tyrolis, quas vetustissima appellatione IVLIAS dicunt, Sanctus Magnus obsedit, atque inde Dæmones, impiumque eorum cultum profligauit. Fauces alteras prope Brigantium, & Sancti Petri Campum Diuus Gallus purgauit, sed & Diuus Arbogastus, atque Eusebius Sangallensis Mo-

Faucium Tirolensium Protectores.

 nachus,

nachus, patrocinio suo felices, & tutas reddidere.

Vngaria obligatissima nostris. VNGARIAE Regnum Austrijs hæreditarium, æternis sæculis Sanctissimo Imperatori atque Archiduci nostro obnoxium, Sanctus Adalbertus noster, idem Boemorum, Vngarorum atque Polonorum Apostolus reddidit, cuius ipse Ducem Geisam ad Christi fidem adduxit, & baptizauit, natumque postea filium Stephanum, Sanctissimum illum Vngariæ Regem, sacris quoque aquis abluit, & religiosissimè speculum omnium Regum formauit atque educauit. Idem plurimas toto Regno Ecclesias construxit, & sacras Vngaris leges condidit. *Legumlator Vngariæ.* Pari labore, fructu, atque gloria Apostoli Vngarorum illustrissimum nomen sibi comparauit, Sanctus Gerardus è Monacho S. Georgij Maioris Venetijs, primus Canadinensium in Morauia Episcopus, castissimus ille Virginum Virginis Amasius, quem Sanctus Stephanus haud aliter atque patrem suum veneratus est, cui & tanquam Imperatori suo in omnibus promptissimè obtemperauit, Regnumq; suum Augustissimæ Cælitum Imperatrici vectigale fecit. *S. Gerardus magnus Vngar. Apostolus.* Cuius etiam Gerardi opera, Deiparæ cultus per Vngariam, ac deinde Germaniam, mirificè propagari cœpit, & familiaris ille Germanis Vngarisque DOMINAE NOSTRAE titulus, eiusdem instituto receptus est, cum magnus Apostolus, MARIAE, nec efferri quidē propter reuerentiam nomen pateretur, eoq; pronunciato, lachrymis quamprimū difflueret. *Deipara cultum promouet.* Habuit successus prædicationis longè felicissimos, laboresque tandem Apostolicos, suo sanguine consecrauit. *Martyrio consignat Apostolatum.* Tulere Apostolicos item apud Vngaros honores Sancti Emmerammus, & Vvolfgangus Ratisponensium Pontifices, nec non Diuus Gaudentius Breunouiensis Monachus, S. Adalberti discipulus, Gnesnensium postea in Polonia Archiepiscopus, plurimique Monasteriorum Beelensis, & S. Martini in Vngaria Monachi, qui immensis laboribus, suam Sanctæ Matri Ecclesiæ cœlisque ipsis operam comprobauerunt. *Alij Vngarorum Apostoli.*

Regnum coronam, & insignia debēt Vngari. Cæterum Hungariam Regni titulo sublimauit, coronamque cum nomine Regio, Sancto Stephano, à nostris tantopere commendato, iubente DEO ipso, Syluester noster, eo nomine Secundus Pontifex Maximus concessit, raroq; insuper indulto, Crucem eidē pretiosam dono misit, quę ante ipsum, ceu Apostolatus insigne deferretur, quod eius opera multi infideles populi ad Christū

con-

conuersi essent. Quæ postea crux, pro insigni Regni vsurpata; in hodiernam vsque diem tanti meriti monimentum æternum perseuerat. Vt hoc etiam Regnum, & coronam, & seipsum, & fortunam omnem Monachis acceptam referre comprobetur. Et quid si Duces, si Reges solos commemoremus, singulos singulis tamque diuersis ac multiplicibus beneficijs obligatos? Quorum Geisa primus fidem debuit, Stephanus Regnum, Emmericus sanctitatem, omnes ferè cęteri institutionem, debitam correctionem, sæpè mentis, sæpè corporis sanitatem. Et quot cucullo maiorem debuere, quam diademati felicitatem, quibus prima exemplum ac facem Sancta Gisala præbuit, Sancti Stephani Regis coniux, soror germana S. Henrici Imperatoris nostri, quę à morte sanctissimi mariti, diadema sacro velo permutans in Monasterio S. M. V. Patauiensi proximo, Archiduci nostro BENEDICTO manus dedit, eiusque postea loci electa Abbatissa, insigni sanctitate, multo illustrior, quam è Regio solio, orbi illuxit. Sed & filij Virginis Sancti Emmerici Virgo sponsa, Sponso ad cœlos sublato, proximum cœlo locum, Cœnobium elegit, & felicior multo, quam Regno fuit.

Plurimi à Regibus Monachi.

S. Gisala Regina.

S. Emmerici sponsa.

Salomon quoque Vngarorum Rex sextus, cum castigantis manum Numinis intelligeret, diuino afflatus spiritu, & salutari pœnitentia percitus, habitum Religionis sumens, in solitudinem patriæ se recepit, & quam vix in Regno, in cucullo gratiam reperit, & plenus bonis operibus in Domino requieuit.

Salomon Rex.

Sed & Stephanus II. multis rebus pace & bello præclarè gestis, duodeuigesimo Regni anno eo se abdicans, cucullum in Agriensi Cœnobio induit, inque eodem felicissimè diem clausit extremum.

Stephanus II. Rex.

Almus designatus Vngarorum Rex, præter omne meritum à Colomanno patruo indignè excæcatus, Demesiensi in Cœnobio cucullum indutus, quietem feliciorē nuspiam quam illic reperit.

Bela filius Almi, eamdem cum patre fortunam subiens, tantum virtutibus in cucullo profecit, quantum vix satis admirari & capere postea Vngaria quiuerit. adeo vt quem Regno olim extruserat, tunc vel maximè exambiret & Cęnobio demum extraheret, quod mira ille sapientia & felicitate gubernauit.

Bela Rex Monachus.

E Reginis Vngarorum, præter supra memoratas, Agmunda

Agmunda Regina.

præci-

præcipuè Andreæ I. eo nomine Regis filia, cucullo exſplenduit, quæ poſt mariti obitum Admontenſe, Cœnobium Styriæ ingreſſa, paupertatem Chriſti Regum opibus prætulit. Sed & Beatrix Andreæ II. coniux ſanctiſſima, Regum Regi immortali, poſt mortalis Regis coniugium, amoribus caſtis animum adiecit & manus dedit, inſignem in Cœnobio Gemmulę ſanctitatis famam indepta, omnemque Regiæ maieſtatis ſublimitatem tranſgreſsa. Vt Vngariæ item præcipuam à noſtris felicitatem & gloriam, innumeros autem fructus, è tanto Cœnobiorum numero, quibus olim plen.ſſima fuit, obtigiſſe videamus.

Beatrix Regina.

Sclavoniam, Bvlgariam, Croatiam, Chriſto & Eccleſiæ, exploſo inani dœmonum cultu, adiecere, magni, & meritiſſimi Apoſtoli noſtri, Sancti Cyrillus, atque Methudius, Sancti Andreæ in vrbe Monachi, Bogore Illirici potentiſſimo, & fortiſſimo Principe conuerſo, & innumerabili hominum multitudine ſacris Baptiſmi aquis luſtrata, vt mirabile prorſus videatur in tantos & penè immenſos labores, duorum hominum induſtriam ac zelum ſuffeciſſe.

Croatiæ, Bulgariæ, Sclauoniæ Apoſtoli.

E Bulgarorum Regibus, Sanctus Trebellius cumprimis plurimum ſanctiſſimo Archiduci noſtro debuit, in cuius ſacra caſtra, Diuina motus inſpiratione ipſe tranſijt, cucullumque amplexus, illud eximia vitæ ſanctitate exornauit. cuius quidem illud admirabile zeli ſanctiſſimi exemplum fuit: cum, quem conſtituerat Regem filius, pauló poſt reuerſus ad gentilitatem eſſet, in tantum indoluit pius parens, vt Monaſterium egreſſus, cingulum reſumeret, ſubactumque bello filium luminibus orbaret, perpetuoque carcere mulctaret. Quo facto, cum minorem natu filium Regem renunciaſſet, reſumpto ſacro habitu, in eodem ad finem vſque vitæ, Domino Regum Regi ſanctiſſimè militans, Triumphos & Regnum æterni meruit.

S. Trebellius Rex Monachus.

Zelus eius perinſignis.

Præter autem principium apicemque ſolidæ felicitatis, Fidem nimirum Chriſtianam Apoſtolis noſtris debita, Croatia inſuper coronam ipſam, ac ſceptrum debuit, à S. Gregorio noſtro eius nominis Septimo Pontifice Maximo, ad id dignitatis euecta. Quo ipſo titulo idem Gregorius Dalmatiam honorauit, & immortaliter demeruit, quando Demetriũ Dalmatiæ Croatiæque Ducem, per Apoſtolicæ Sedis Legatos, Gebizonem, tunc

Croatia coronam noſtris debet.

Dalmatia ſimiliter.

SS. Bo-

SS. Bonifacij, & Alexij in Vrbe Abbatem, Cesenatem postea Episcopum, & Folcuinum Fori-Sempronij Antistitem, Regio nomine dignitateque, per vexillum, ensem, sceptrum, ac coronam inuestiuit; cui pro tanto beneficio gratus vt esset Demetrius de concordi totius Cleri populique Croatarum Dalmatarumque consensu, pro eisdem Regnis fidelitatem Sedi Apostolicæ, ipsique Gregorio ac successoribus, in manus Legatorum iurauit, tributumq. annuum ducentorum Byzantiorum in perpetuum constituit. Vt horum quoque Regnorum coronas, vnde prouincijs illis obtigerint obiter aduertamus.

Regna tributum Sedi Apostolicæ pendunt.

SICILIAE VTRIVSQVE REGNA, tot ante secula Anicij iuris, Tertulli Patricij hæreditatem, eiusdem filij sanctissimi Placidi fratrumque Martyrum sanguine consecrata, præter tanti triumphi gloriam, mille modis demeruere nostri, ipse præcipuè summus Imperator atque Archidux noster, nepósque eiusdem Triumphator Placidus, quorum meritis grandi metu cùm Sicilia, tum Italia vniuersa, statim à morte Martyris tanti liberata est, vniuersa Abarum Saracenorum classe, vltricibus Oceani vndis absorpta. Sed & superstes etiamnum Placidus, euocatos ad se vndique Regni totius ægros, interpellato Numine per viuentis Magistri, Patris & Cognati sui BENEDICTI merita, memorabili inprimis tam multiplicis beneficij prodigio, sanos omnes domum remisit. Siculum præterea agrum innumerabilis ferè, diuersorum ex Ordine nostro Martyrum numerus, diuersa Barbarorum irruptione purpurauit & impinguauit. Eadem Regna, non semel item ab exitio Magnus Gregorius noster vindicauit, diuersarum Hæresum pestes, Manichæorum inprimis repullulascentes errores profligauit; Episcopatus instituit, sanctissimos eisdem Monachos præfecit, Monasteria construxit, Ecclesias erexit, &c.

Siciliæ Regna obligatissima.

Grandi metu liberantur.

Ingens prodigium.

Martyrum numerus maximus.

Sed ipsiusmet Beatissimi Archiducis nostri BENEDICTI spectatissimum illud, & grauissimum meritum fuit, ex quo demũ ad sui generis posteros Regnum tanto post illud denuo deuolutum transijt: quando nimirum inde iuratissimos Hispani nominis hostes, Gallos exturbauit. Cùm enim Carolus Ludouici VIII. Galliarum Regis filius, Siciliæ Rex Casinenses Monachos summam per iniuriam, rerum capitalium foro exuisset, omni

S.P.N. Immortale meritum.

Gallorũ in in ipsum iniuria.

omni iurisdictione spoliasset, permisissetque liberè, à suis militibus Cœnobij oppida impunè occupari ac retineri, grauissimi illius sceleris contumeliæque meritas pœnas dependit: nam quo die (dictu mirabile!) Casinatibus sua iura ademit, eodem ipse Siciliæ Regno spoliatus est: Gallorum quotquot tota Sicilia degebant, condicto inter Siculos Vesperarum signo, omnibus miserrimè contrucidatis. Cuius atrocissimæ cladis causam, illatæ potissimum Casinatibus Monachis à Carolo iniuriæ, disertè attribuit Vrbanus V. Summus Pontifex, vir sanctissimus, datis hac super re Neapolim ad Ioannam Reginam codicillis. Cuius tam insignis vindicatæ iniuriæ memoria VESPERARVM SICVLARVM nomine orbi notissima, celebratissima à scriptoribus perseuerat.

S.P.N. Se se vlciscitur.

Ingens clades Gallorum.

Vnde Vespera Sicula.

NEAPOLIM, sępissimè aliàs à nostris, à Sancto Agnello maximè Abbate, prodigiosissimè contra hostes defensam atque seruatam, cum amplissimo Regno BENEDICTO cognato suo, Archiduci nostro debent Austriaci Seri nepotes, recenti prorsus beneficio, superiori nimirum sæculo, ab ijsdem hostibus suis Gallis, grandi similiter prodigio vindicatam: cum idem magnus Imperator noster Consaluo Ferdinandi Hispaniarum Regis Archistratego, per quietem apparens, certis conditionibus victoriam ac Regnum concessisset, quod quia prolixius inter prima Aquilæ nostræ retulimus, modo supersedemus.

Neapolis à nostris prodigiosè defenditur.

Regnũ amplissimum Austrijs à S.P.N. traditur.

SARDINIAM & CORSICAM plurimi è nostris Romani Pontifices æternis meritis obstrinxere, Sanctus Gregorius inprimis cognomento Magnus, varijs inde erroribus profligatis, qui & Barbaricinos Sardiniæ populos, gentilitatis etiamnũ cęcitate miserrimos ad Christiana sacra perduxit, eorumdemque Apostolus celebrari meruit. Corsos è Saracenorum potestate S. Leo IV. eripuit, & quod infesti nimium hostes Corsicæ incumberent, Corsorum Coloniam in vrbem Portuensem induxit, ijsdemque non aliter atque amantissimus pater, dilectissimis liberis prouidit, & consuluit. E Regibus Sardiniæ Sanctus Gummarus cucullo plurimum debuit, qui Regni cura filio tradita, Claræuallensi Cisterciensium nostrorum Cœnobio se abdens, illustrior multo sanctitate euasit, quam in ipso regno maiestate effulsit.

Sardinia & Corsica obligatissimæ.

Apostolus Sardiniæ S. Gregorius.

Corsorum Pater S. Leo IV.

S. Gummarus Rex Monachus.

ME-

MEDIOLANVM varijs beneficijs S. Gregorius I. Magnus Abbas Columbanus, Doctor Mellifluus Bernardus, alijq. è nostris obligarunt, diuersis inde erroribus abstersis. Ante omnes tamen sanctissimus ille noster Petrus Damiani meruit, & S. Anselmus Lucensis Episcopus Monachus Casinensis, quorum opera Nicolaitarum & Simoniacorum hæresis ibidem conuulsa est & extirpata. Sed & grauissimus ille error per eosdem sublatus, quo, pro respectu sanctissimi Doctoris sui Ambrosij, Ecclesiam suam Romano Pontifici subiacere non debere Mediolanenses temerè nimis atque periculosè contendebant.

Mediolanū quid debeat.

Meritissimi è nostris.

HISPANIAM ipsam, summæ Austriacorum potentiæ genitricem, obiter obeamus, adeo Monachis obnoxiam, vt nisi iurato studio nos inde abstraheremus, inuoluti tanta materiæ mole, prolixius, quam toto parabamus opere, immorari cogeremur. Paucissima ergo ex innumeris delibamus. Et quantum illud vnicum, quod solus Sanctus Leander noster S. Claudij Legionensis Cœnobij Monachus, Pontifex demum Hispalensis præstitit? qui summo Ecclesiæ vniuersæ, summique eiusdem Pastoris Magni Gregorij nostri applausu Reccaredum Visigothorum potentissimum Regem, Baddamque Reginam, cum vniuerso Regno, ab Ariana Hæresi, ad fidem Catholicam traduxit. Sed & ante ipsum, Hermenegildum Reccaredi fratrem, suum ex sorore nepotem, eo etiam permouit, & acri prælio eidem à patre Leouigildo eam ob causam imminente, ipsum animauit, & captum denique ad gloriosam Martyrij coronam, generosissimè capessendam concitauit. Vt tantum triumphum nemini post DEVM nisi auunculo tam sancto, acceptum Hermenegildus referret, & purpurata Regio sanguine Hispania, eo nobilitatem felicitatemque suam præ cæteris Europæ regnis haud immerito iactaret & deprædicaret.

Hispaniam qualiter nostris debeat fine.

Hispani as conuertit sāctus Leāder cum suo Rege.

Duos Reges conuertit sāctus Leander.

Nec dispar germano fratri Leandro, industria fructuq. Magnus Isidorus fuit, qui è Monacho Agalliensi, ad Hispalensem & ipse extractus Cathedram, industriam suam Ecclesiæ quamprimum vniuersæ, & omnium sæculorum posteritati comprobauit, eo inprimis: quo pestilentissimos Mahometis impij errores & conatus, primus ipse obseruauit, hominemq. sceleratissimum, Hispania expulit, serpensque primo ortu venenum felicissimè

Sāctus Isidorus Hispal. Episc.

Hæreses obterit.

auertit. Idem Arianiſmi per Hiſpanias reliquias extirpauit, Acephalitarum Hæreſim obtriuit & profligauit, Catholicos in fide confirmauit, præclariſſima multa ſummo Hiſpaniæ atque Eccleſiarum bono inſtituit, Clerum ac populum, diuerſis maxime Concilijs, ſeu Synodis, Toletano, Hiſpalenſi &c. quibus ſumma cum auctoritate præfuit, diſciplina & moribus ſanctis reformauit; ingenij denique maximis, plurimis, & præclariſſimis monimentis æternitati conſuluit; tanti ab vniuerſa Chriſti Eccleſia factus, vt, deliberante Bonifacio VIII. Pont. Max. de ijs, qui DOCTORVM ECCLESIAE nomine & numero eſſent cohoneſtandi, fuerint qui AMBROSIO ISIDORVM præferendum, aut quatuor certè alijs quintum adijciendum iudicarent. Quem Concilium Toletanum VIII. inſignibus excolens titulis: *Doctorem egregium, Eccleſiæ Catholicæ nouiſſimum decus, in ſæculorum fine doctiſſimum, & cum reuerentia nominandum*, appellauit, vniuerſa autem Hiſpania, ingenti gratulatione Diuum Tutelarem cooptauit, & vt poſtea dicemus, ſæpiſſimè experta eſt prodigioſiſſimum in prælijs defenſorem.

Alia merita.

Quintus Eccleſiæ Doctor.

Encomium ingens.

Sanctus Fulgentius Epiſcopus.

Connixus cum fratribus prædictis Sanctus Fulgentius & ipſe ex Monacho Aſtigitanus Epiſcopus, cum mira eruditione præcelleret, linguamq. Hebræam, Græcam, Arabicam, Syram, Latinam apprimè calleret, in purganda, liberandaque tantis erroribus Hiſpania tantopere deſudauit, vt Apoſtoli Hiſpanorum glorioſiſſimum titulum meruerit; ab ijs præcipuè, quæ contra Iudæos ſcripſit celebratus. Sed & Florentina ſoror Hiſpaniæ miraculum, quod fratres ſcripto, ipſa exemplo precumque ſuffragio effecit, iuſti ſacrarum Virginum exercitus anteſignana, tanti quidem, vt diuerſis quidem Cœnobijs, decem millium numerum ſub cura ſua habuiſſe perhibeatur. Ex quo intelligas, quantum tantæ Hiſpaniæ profuerint, cum eo ipſo tempore magnus Doctor noſter Gregorius, omnem Italiæ felicitatem, & ſeruatæ patriæ decus, Sanctimonialibus Romanis, accepta referret. Proximi, ſancto huic meritiſſimoque quaternioni, Sancti Ioannes & Braulio noſtri & ipſi ex perfectiſſimis Monachis abſolutiſſimi Epiſcopi, prædictorum Sanctorum ex Theodoſia ſorore Regina nepotes ſanctiſſimi, omnes omnino non tam ſanguine Aumalæ Gotthorum Regiæ gentis, quam vita ſanctitate illuſtriſſimi.

Apoſtolus Hiſpan.

S. Florentina 10000. virginũ Abbat.

SS. Ioannes & Braulio Epiſcopi.

ijdem

ijdem affinitate & sanguinis coniunctione. Anicio Serenissimi Archiducis nostri generi, additi, vt eo etiam maior gloria, à tantis Hispaniarum Apostolis, & Tutelaribus, ad seros eorum posteros Austriæ Archiduces videatur deriuari.

Et hi omnes Regij sanguinis Anicijs cognati.

De Martino, primo Dumiensium ex Monacho & Abbate loci eiusdem, Episcopo, Galliciæ Patrono & Tutelari, ita inter alia Fortunatus:

sanctus Martinus Dumiensis.

———————Martini Gallia Prisci
Excellente fide luminis arma capit.
Martino seruata nouo Gallicia plaude
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.
Qui virtute Petrum, præbet tibi dogmate Paulum,
Hinc Iacobi tribuens, inde Ioannis opem.
Pannonia, vt perhibent, veniens ex parte &c.

De Idelphonso solo, siue Alphonso Toletanæ Ecclesiæ è Monacho Agalliensi Archipræsule, quis satis referat, quantis ille beneficijs Hispanias, quantis orbem iuuerit vniuersum, vt haud immerito, *Lucifer inter Sydera*, à Luca Tudensi, & communi Cleri ac populi voce, Os Avrevm & Anchora Fidei, à Concilij vero ad Pennam fidelem Patribus, *Gloriosæ Virginis, DEI Matris Capellanus, & virginitatis eiusdem specialis præco*, appellaretur, Eluidiana inprimis Hæresi ex Hispanijs eliminata, immortaliter meritus & celebratus. Sancti Aemiliani Abbatis Cogalliensis, tanta fuere de Hispanijs merita, vt nulla satis posteritas miretur prædicetque, eo præsertim, cum non semel visus est in Hispaniæ defensionem magnis prodigijs de cœlo descendere. & cum Mauris pugnare, ex illisq. vna sola vice, octuaginta millia mactare, vnde cognomen Patroni Hispaniæ simul cum Iacobo Apostolo Maiori meritissimè adeptus est, ipsamet ex tunc, cum annuæ oblationis voto se gratam ostendente. Sancti Gregorij nostri, S. Damiani ad Micam Auream Abbatis, postea S. R. E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, atque ad Hispanos à latere Legati, non solum viuentis prodigiosa de Hispanis fuere merita, sed & à morte immortalia, & ad hanc vsque diem continuata, vt ab Hispania vniuersa, contra Locustas præcipuè, eruginem, alijque id generis animalcula, ijs Regnis ad desperationem prope vitæ sæpius infesta, Patronus sit adoptatus, vt cuius

s. Idelphonsi ingentia merita.

Elogium insigne.

sanctus Aemilianus Abbas.

80000. vna cæde profligat.

Tutelaris Hispaniæ.

s. Gregorij S.R.E. Cardinalis.

Patronus contra Locustas.

Aeternum eius Patrocinium.

in eiusmodi malo, præsentissimum auxilium experti fuerint. Vnde & factum, vt eius aqua, sacrorum ossium contactu, siue aspersione sanctificata, vineis, hortis, segetibusque aspergi contra noxias bestiolas consueuerit.

Ingens sanctissimorum virorum copia.

Nec alios iam commemoramus, vt qui ipsa tam grandi se se offerentium numero deterreamur, solo Agalliensi Cœnobio integras Sanctorum Archiepiscopotum Episcoporumque phalanges obijciente qui ingentibus pleriq. & Apostolicis meritis Hispanias demeruere, ipsomet Beatissimo Patriarcha nostro B E N E D I C T O, à se in Hispanias missos discipulos, Adelphium, Exuperium, Venantium, Turibium, Exuperantinm, Euphemium, præ cæteris commemorandos, Episcopalibus plerosque infulis ornatos, Apostolicis sudoribus Hispaniæ vtilissimos, ingerente, à quibus tamen omnibus & innumeris penè alijs, animum modo atque manum de industria abstinemus.

Reges Monachi.

S. Bamba Visigoth. Rex.

Quin Reges tamen Hispaniarum nonnullos, cucullo quã diademate Augustiores, vel ex solo quidem nomine recenseamus, non possumus prætermittere. Exsplenduit ex illis supra cæteros Sanctus Bamba, siue Vvamba Visigotthorum in Hispania Rex potentissimus, idemque prodigiosissimis Victorijs longè spectatissimus, præsentissimis sæpè, in oculis vniuersi exercitus, Angelorum agminibus circumuallatus, Pampligensis demum Cœnobij Monachus, tantam ibidem vitæ sanctitatem indeptus, vt à morte Diuorum albo inscribi, & toto orbe eo nomine celebrari meruerit.

Cixilona Regina.

Plurimi alij Hispan. Regis Monach.

Eius propositum imitata Cixilona Regina vxor, illustrior & ipsa cucullo, quam summo imperio euasit. Quot solum Legionense Regnum è Regibus Monachos habuit? Nonne vnicum Sanctorum Facundi & Primitiui Cœnobium, velut portus securissimus, quatuor omnino Legionis Reges, è sæculi fluctibus, tot Regnorum periculis laboribusq. emergentes, Veremundũ, Alphonsum Secundum, Quartum, & Sextum eo nomine recepit, & securissimos, imo felicissimos reddidit? Nonne Sanctia, nonne Vrraca Veremundi Tertij vxor Mafalda Hẽrici I. Teresa Sãcij I. Eluira Veremundi II. Nunilo Veremundi I. Tarasia Sancij, coniuges, Reginæ lectissimæ, purpura abiecta, cucullo & sacro velo amiciri maluerunt? Nõne Maria Silonis, Sancia Veremundi II.

Eluira

Eluira Ramiri II. Berengaria Ferdinandi III. filia, pluresque è sola Regum Legionis familia, Magno Archiduci nostro in Cœnobijs se deuouere, quam Regni habenas, Regesque maritos habere elegerunt?

Eosdem ferè Reges, qui & Legionis, Astures habuere: Alphonsum cognomento Castum è Cœnobio denique dispensante Rom. Pont. retractum; vt contra datam tamen DEO, voto solemni fidem, coniugem duceret, nulla vnquam ratione persuasum, Saracenorum Triumphatorem felicissimum; Veremundum, Alphonsum IV. Nugnesam Reginam Veremundi I. coniugem, Vrracam Veremundi III. Tarasiam Sancij Crassi coniuges Reginas. Adosindam Alphonsi I. filiam, Monachos monialesque lectissimos. Ex Aragoniæ Regibus Ramirus maximè enituit Sanctij I. filius, Sancti Pontij de Tomerijs à pueritia Monachus, Sanctorum deinde Facundi, & Primitiui Abbas dignissimus, Rotæ demum ac Barbastri pro meritis creatus Episcopus, Petro, & Alphonso fratribus sine mascula prole mortuis, non magis studio gentis quam necessitate ad vitandos motus intestinos, iubente Rom. Pont. Cœnobio extractus coactusque sceptra capessere, & coniugem ducere, Monachum in ipso Regno numquam exuit, idem Rex Monachus Sacerdos, & coniux, mirabile orbi de se spectaculum præbuit, & cum vitæ sanctitate religionem coniunctam habens, S. P. N. habitum, sub ipsis Regalibus vestimentis semper gessit, Ecclesias frequentauit, Monasteria, & Sanctorum ædes multas ædificauit, totusque in operibus pietatis perseuerans, tandem in Cœnobio S. Petri Veteris, à se in Osca ciuitate constructo, resignato Petronillæ filiæ Regno, vitam Monachicam denuo complexus, decennio integro superstes, beatissimo ibidem fine requieuit.

Reges Legionis Monachi.

Arragoniæ Reges.

Ramiri Regis, & Monachi commendatio.

Ex ijsdem Regibus Aragonum, Leonora Regina Ferdinandi Regis vxor, Ioanna, & Isabella Caroli Regis filiæ, Beata Teresa eodem genere nata, miraculorum gloria illustrissima, pluresque eiusmodi flosculi prodiere.

Castellæ Regnum Malfadam Henrici I. Reginam coniugem, Constantiam Alphonsi, Berengariam Ferdinandi III. filias, cucullo cultiores quam purpura produxit. Valentia Beatam Teresam Reginam suam, decus præcipuum Regni in cucullo suspe-

Castella Reges.

Valentia.

Toleti. ſuſpexit. Toletum Tharaſiam item ſeu Tereſam aliam Abdallæ Toletano Regi nuptam, Sanctiſſimam ex Regina monialem coluit.

Nauarræ Reges.

Nauarræ, & Vaſconiæ Regna, Fortunium Regem, fortunatiorem cellula quam Regia, Eleonoram item Theobaldi I. coniugem, & Geloiram Sancij Regis filiam profeſſione Monachica inſignes meruere. Qua etiam Regij generis gloria, & felicitate præcipua, Regnum Luſitaniæ ſeu Portugalliæ beatiſſimum enituit, quod omnes quidem Reges ſuos Sanctiſſimo Archiduci noſtro BENEDICTO obligatiſſimos, & addictiſſimos habuit, diuerſis tamen ſæculis, lectiores quoſque Principes, eidem omnino in cucullo conſecrauit.

Luſitaniæ Reges Monachi.

Alphonſus Luſitaniæ Rex primus.

Fuit in hoc genere longè ſpectatiſſimus Beatæ memoriæ Alphonſus Henriquez, Luſitaniæ Rex primus, licet numquam depoſito Regno, quod minimè è re Chriſtiana eſſet, in ipſa tamen purpura verè Monachus, obedientiæ ſtudijs ſupra Monachos omnes, exercitijſque Monachicis verſatiſſimus, Sacratiſſimi Ordinis, ſub Regula Beatiſſimi P. N. BENEDICTI, Equitum de Ala conditor, & membrum lectiſſimum, eximijs triumphis, oraculis atque miraculis etiam poſt mortem à Numine illuſtratus.

Sub Regula S. P. N. militat.

Petrus eiuſdem Regis frater Monachus.

Huic proximus, vt ſanguine ſic ſpiritu, Regis eiuſdem frater, Petrus, heros bello ſpectatiſſimus, qui poſt inſignes de Chriſtianæ fidei hoſtibus victorias, ſui ipſius glorioſiſſimus triumphator, S. P. N. ſub Sacra Ciſtercienſium reformatione ſe ſe emancipans, in Alcobaciæ Monaſterio Monachum profeſſus, eximia vitæ ſanctitate ſpectatiſſimus euaſit, & rarum Deiparæ fauorem atque amorem meruit, mira cæleſtis odoris fragrantia poſt mortem commendatus.

B. Ferdinandus Princeps.

Nec minor Ordini, & familiæ Regiæ ſplendor, à Sanctiſſimo illo Ferdinando noſtro Ioannis eo nomine primi, Regis filio, qui ſub Regula S. P. N. & Equeſtris Ordinis de Auis religioſiſſimo inſtituto militans, ſacram militiam Martyrij laureola coronauit, miris à morte prodigijs refulgens. Numerum hunc auxit, Henricus eiuſdem Ferdinandi carne, & ſpiritu germanus, & ipſe Legibus noſtris, ſub Ordine militum de Chriſto adſtrictus, ſupra omnem rerum præclariſſimè geſtarum gloriam, ſancti-

ctita-

ctitatis opinione spectatissimus. E Reginis cucullo illustrissimæ Portugalliam illustrarunt, Beata Philippa Petri Lusitaniæ Principis, & Elisabethæ Aragoniæ Infantis filia, Ferdinandi Cypri, & Petri Aragonum ac Nauarræ Regis soror germana, in Monasterio S. Dionysij de Odiuellis cucullum amplexa, rara eruditione, & vitæ sanctitate celeberrima. Maria item Dionysij Regis filia, in eodem Cœnobio sanctitatis famam, omni diademate illustriorem consequuta.

Reginæ Portugalliæ moniales.

Sed & Blanca Alphonsi III. Regis filia, monialis Cœnobij nostri de Olgis, spectatissimæ Virtutis præstantia, Abbatialem ibidem honorem merita. Felicior tamen tanta liberorum gratia, nemo è Regibus Portugalliæ fuit Sancio I. Alphonsi I. filio, qui vnus quatuor filias, Sanctissimo Patriarchæ atque Archiduci nostro offerens, multo maiorem inde familiæ suæ indeptus est gloriam, quam si potentissimis Regibus desponsasset. Ex ijs Berengaria, & Teresa in Loruaniensi, Sancia in Cellensi, Mafalda in Aroucano cucullum amplexæ, mira in stadio Virtutum perfectionisque contentione, altera alteram transgredi conatæ, posteritati sæculorum omnium, & exemplo, & miraculo factæ sunt.

Mira in sanctis liberis felicitas Sancij I. Regis.

Quatuor filiæ sanctimoniales.

Teresæ, & Sanciæ, cum superioribus annis, Christi nimirum 1617. iussu Philippi III. Hispaniarum, & Indiarum Regis sacra corpora ritu solemni eleuarentur, post trecentos, & amplius sepulturæ annos, incorrupta reperta sunt, multisque & grauissimis prodigijs à Numine fidelibus populis eo concurrentibus commendata. Qua tanta cognatarum Principum, in facie Regni vniuersi gloria, incredibile dictu est, quantum sibi Monarcha Catholicus, familia Austria, Hispania, & Ordo cum primis vniuersus gratulati sint.

BB. Teresa. & Sancia Reginæ post 300. annos incorruptæ.

Insignis Austria domus ab his gloria.

Vt nihil iam de alijs cùm Lusitaniæ tum diuersarum Hispaniæ prouinciarum Regibus, qui specialissimis beneficijs, singuli nostris obstrictissimi fuerunt, memoremus, quorum paucissimos perfunctoriè solùm, & quasi ex obliquo notabimus. E quibus Alphonsus I. Portugalliæ Rex, cumque eo vniuersa Lusitanorum posteritas, Regnum ipsum, Regium titulum felicitatemque præcipuam, post DEVM Beato Innocentio nostro eius nominis Secundo Pont. Max. & Mellifluo Doctori nostro

Alphonsus I. Rex Lusitaniæ obligatissimus.

Ber-

Regnum Lusitaniæ coronam nostris debet.

Bernardo debuit. Idem huius etiam orationibus munitus, memorabiles de hostibus victorias retulit, de quatuor Regibus triumphauit, Scalabim, voto facto de condendo Cœnobio, expugnauit; quorum acceptorum beneficiorum ritè memor, ad centum quinquaginta Ecclesias, & Monasteria solus hic Princeps condidit, inductisque Sanctissimis Monachorum Colonijs Regnum vniuersum beatissimum reddidit. Idem Claræuallensibus Monachis, Sanctissimę Reformationis clarissimo Monasterio Regnum Portugalliæ stipendiarium fecit, & super hoc ipso insigne Instrumentum erexit.

Insignes victoriæ.

Regnum nostris tributarium.

S. Adelberti nostri precibus Triũphi debetur gloria.

De eodem Regno haud imparibus meritis Sanctus Aldebertus noster Abbas de Tarouca meruit, cuius precibus, prodigiosissimè Lusitani de Saracenis hostibus triumpharunt, quo absente victi quamprimum, eo rursum Moysis exemplo, in preces effuso, grandi strage infestissimos hostes profligarunt. Hermenegildum, Reccaredum filiosque ab Arianismo nostrorum opera reuocatos Reges iampridem diximus, Sisenandum, Atanagildum, Egicam à nostris ita institutos Hispania nostris debuit, vt vix meliores Reges vniuersa posteritas viderit, colueritque. Sisenandi sanè tanta erga Pontifices nostros obseruantia fuit, vt pleno in Concilio, sola concitante reuerentia, grauissimos inter singultus ac lachrymas, humi prostratus, omnium preces, & suffragia, in quibus tantum confideret, imploraret.

Reges à nostris instituti.

Quantum detulerint nostris.

Athanagildus Magni Ildephonsi nostri admirator, ab eo non aliter atque Diuino oraculo pependit, omnem nostris, vt pietatem sic felicitatem debuit, & debere agnoscens Regiæ munificentiæ mira in eosdem exempla edidit. Tantum S. Iuliano nostro Toletano item Archiepiscopo Rex Egica, quantum Ildefonso Athanagildus detulit. Et integrum quidem taliter obligatorum Regum syllabum pertexeremus, sed pauciores libet, & absque ordine, prout se ingerunt, recensere. Et quantum quæso meritum Magni Hugonis nostri Cluniacensium Sanctissimi Abbatis, qui Aldephonsum Legionis, & Asturum Regem optimum, Sancij fratris scelere Regno deiectum, & catenis vinctum, tam procul absens in Gallia, è carceribus imploratus, prodigiosè liberauit, Regno restituit, turpissimaque à tyrannide Hispaniarum populos vindicauit?

Alphonsum Regẽ Regno mirè restituit S. Hugo.

An

An non Alphonsus cognomento Iunior Bœciam S. Isidori nostri præsentissima è cœlis ope expugnauit, & à suis desertus, ab ipso autem excitatus atque adiutus, paruis copijs, ingentem hostium exercitum obtriuit, innumera spolia, & victorias retulit, cui deinceps, *tantam*, inquit Tudensis, *Dominus gloriam, & gratiam contulit, vt omnes Hispaniarum Reges, & Principes, Christiani, & barbari suo Imperio se subderent.* Ferdinandum filium Alphonsi, haud aliter atque patrem, idem Diuus Isidorus noster cœlo descendens mirè iuuit, æternum obstrinxit, deque hostium coniuratione, ingenti collecto exercitu, & conatibus, securum Regem disertè edocuit, seque cum Iacobo Apostolo, ope sua Christianis adfuturum amantissimè promisit, quo quidem fultus auxilio Fernandus, *tantam*, idem Tudensis ait, ex hostibus *prostrauit multitudinem, quod præ numerositate indicibili non poterat numerari*: vt Hispalim Cordubam, Bœticam Granatam, Vandaliam magna ex parte recuperata Regna, & vniuersam ferè restitutam Hispaniam, & Fernandus Rex, & vniuersa posteritas Isidori merito adscribant celebrentque.

Vnde tanta Alphonsi potentia.

Prodigiosa ope S. Isidori victoria.

Quot Regna Isidoro recepta debent Hispani.

De Cordubensi Victoria, Voto ad S. Isidori corpus facto, sic inter alia prædictus auctor: *O quam beatus*, inquit iste *Rex, qui abstulit opprobrium Hispanorum, euertens solium barbarorum!* quem etiam Victorem Toletum reuersum, spolia Sancto Isidoro consecrasse memorat. De capta Emerita per Alphonsum Regem sub Eram 1268. idem Tudensis, Beatum Isidorum quibusdam visum dicit, cum certa pollicitatione, se cum Sanctorum exercitu Alphonso Regi opem laturum properare, traditurum Emeritam, & campestri prælio hostem profligaturum. Ita factum, & memorabili inprimis prælio profligatus Abenfuth Barbarorum Rex potentissimus, *cui tot millia prostrata sunt*, inquit Lucas, *quod multa Barbarorum oppida remanserunt vacua, omnibus habitatoribus eorum extinctis in ipso bello, &c.*

Opprobrium Hispanorũ tollit S. Isidorus.

Memorabilis Victoria.

Retulit gratiam Isidoro memorabili exemplo gratissimus Alphonsi filius, Rex Ferdinandus, & ipse prodigiosissima ope ab ipso adiutus, & plurimis Regnis auctus, qui post tantas demum victorias, communem carnis viam ingressurus, cum sub Matuti-

Ferdinãdus Rex, vt acceptum regnũ referat S. Isidoro.

num tempus vehementius ægrotaret, Sacra Missarum solemnia maturius inchoari rogans, regia pompa ad Altare progressus, splendidè ornatus, & coronatus, ante Sacratissima SS. Isidori, & Vincentij corpora diadema seque ipsum proijciens, exutus purpuram cilicium induit, & audientibus vniuersis, in hæc erumpens; TVA EST POTENTIA, TVVM REGNVM DOMINE, &c. animum suum fidelissimo Protectori suo Isidoro sollicitè commendauit: haud multo post, ipso S. Ioannis Euangelistæ Festo, beata morte, ad feliciorem vitam translatus, sub Eram circiter 1103. Vt de antiquioribus Hispaniæ Regibus nihil porro memoremus. E recentioribus præter superius allatam Neapolitani maximè Regni, ad rationes Hispanorum accessionem, vel solas quidem Philippi II. Hispaniarum Regis, eiusque lectissimi Archistrategi Ioannis de Austria celebramus victorias, Diuorum etiam nostrorum, summique eorum Archiducis, Austriæ familiæ antiquissimi Tutelaris, & illustrissimi syderis, Beatissimi P. N. BENEDICTI præsidio, & auspicijs partas, cum prædictus Illustrissimus heros, totus tanquam ab Oraculo, à Beatæ memoriæ Ludouico de Estrada Hortensis Cœnobij Monacho, superioris sæculi miraculo, dependeret, quocum, tanquam Angelo, maximi ponderis negotia tractabat, nihilque illo inconsulto suscipiebat, res suas, & proposita viro DEI impensius commendans. *Nec dubium*, ait vitæ scriptor, *quin ea de causa tantis victorijs potiretur, & de inimicis tanta Trophæa erigeret*. Dum enim hic gladium hostium cruore imbueret, ille vt alter Moyses, puras ad cælum leuabat manus, DEVM rogans, vt populo suo faueret, eosque qui nomen suum extinguere conabantur, confunderet. Quod inuictissimum Principem non latuit, ideoque non tam sibi quàm DEO, & huius sancti senis precibus fisus in bella ruebat, &c.

Insigne exemplum.

Philippus II. Rex Hispaniarum.

Ioan. de Austria.

Quantū debuerint B. M. Ludouico de Estrada.

Vt de plurimis alijs nihil dicamus, qui proxima Seniorum, & nostra memoria, è nouissimis maximè Ordinis Congregationibus, & reformationibus cum Regna Hispaniarum, tum Reges ipsos, cum sanctitatis opinione vniuersos percellerent, consilio, auctoritate, & potentissimarum maximè apud Numen precum suffragio, mirificè iuuerunt; quos inter Beatæ memoriæ Alphonsus de Burgos, auctoritate atque opibus inter Palatinos,

Nouæ Congregationes Ordinis.

& familiares Caroli V. Imp. olim Princeps, Sacratissimi Monserratensis postea Archisterij Cœnobita lectissimus, Benedictus de Toco, è Regum Albaniæ, siue Epiri, & vltimorum Orientis Imperatorum sanguine oriundus, & ipse eidem Carolo Augusto charissimus, è Pincerna eius Regio Monserratensis item Monachus, Ludouicus Blosius Lætiensis Abbas, ab eodem Carolo summè adamatus, Archiepiscopatu, & Ducatu Cameracensi repudiato gloriosissimus; cuius sacros libellos in sinu, non secus atque Alexander ille Magnus, in Narthecio Homeri Iliadem gestare consueuerat, quosque haud dissimili studio voluens Philippus II. Rex, in ipso fatali lectulo Isabellæ Claræ Eugeniæ filiæ Belgarum Principi, diligentissimè commendarat, & quotidie, sibi auscultanti, legendos, præceperat; Frater Candidus Nucalensis, prodigiosissimus nostra ætate Hispaniarum, & Hiberniæ Tutelaris, vir verè Apostolicus, mortuorum ad vitam reuocatione, aliorumque miraculorum, & meritorum mira magnitudine ac multitudine celeberrimus, alijque quamplurimi Congregationis Vallisoletanæ, de Propaganda fide, de Monte Syon, ad Sacra Mœnia, quorum merita nouissimis temporibus de Hispania tanta fuerunt, vt minimè dubitandum sit, iis tantopere Regum Hispaniæ, & Domus Austriæ splendorem promotum, quo constat, nullam vnquam toto orbe familiam pertigisse.

Merita nouissima de Austrijs Princ.

Viri aliquot illustres proximæ ætatis.

Mirificus vir B. M. Candidus.

Vnde splendor domus Austriæ.

Sed vt coronidem denique tantis nostrorum de Augustissima Domo Austria meritis imponamus: Benedictinus se labor, non per Hispanias solum, sed quousque Hispanum se extendit Imperium exporrexit: quin, & ante mille iam annos, in Canarias vsque Insulas præuolauit, & Fortunatas nomine, Fortunatiores reapse effecit, dum Christi nomen intulit, Sanctis Machuto, & Brandano nostro agentibus, qui eò cum Sanctissima Monachorum Colonia profecti, Veri Numinis cultum ibidem primi prædicarunt.

Insulas Fortunatas con uertunt nostri.

Ipsam etiam Americam Apostolico labore primi omnium nostri aggressi, primum eidem auctoritate Romani Pontificis Patriarcham, Beatæ memoriæ Buellium Catalanum, Montis Serrati Monachum dederunt, insigni eo etiam Monachorum deducta Colonia, qui primi etiam omnium nouum orbem sacra-

Primi America Apostoli.

Primus noui orbis Patriarcha.

Apostoli nostri, & Martyres noui orbis. tissima sui sanguinis purpura tinxerunt, ac consecrauerunt, tanto quidem in euertendo Inferi Imperio successu, vt in sola Sanctæ Crucis Insula, plus quam centum septuaginta Idolorum millia euertisse memorentur.

Felicissimũ gens S.P.N. Ita felix quacumque se intulit, felicissima Sanctissimi Archiducis nostri BENEDICTI sera Austriorum Principum posteritas, in labores nostrorum, suo generis iure, singulari Numinis propensione succedit, successura etiam, quod ominamur atque apprecamur, in omnem multoque ampliorem, cum vitæ huius, tum immortalis, partam Apostolicis nostrorum sudoribus fortunam, vt sicut promissam Ordini nostro, *Austrij Principes nostrorum laboribus fruuntur.* supremam in fine mundi, moderandæ Ecclesiæ curam, & rei benè gerendæ copiam, prophetico Sanctorum spiritu docti sumus, ita alteram moderandi orbis potestatem, quod in Petri clauibus Sacris BENEDICTI filijs, hoc in gladio; carne, & sanguine Eiusdem posteris Austrijs Principibus; à Numine decretum, haud improbabili coniectura, auguramur. *Omen fortunatum.* Sed vnde digressi cum AVSTRIA Principum nostrorum FORTVNA sumus, ad limites, & Aquilam nostram reuertamur.

QVATVOR SACRI ROM. IMP. LANDTGRAVII.

Thuringiæ. *Alsatiæ.* *Hassiæ.* *Leuchtenbergæ.*

BReuius deinceps, quod pleraque cum in superioribus comprehensa, tum in altera Imperij in Classes septem diuisione veniant memoranda.

Thuringia à nostris euersa. THVRINGIAM meritorum maximo, Veræ Fidei illato lumine, pulsis gentilitatis, & Barbariei tenebris, obsttinxit ante, & supra omnes magnus ille Germanorum Apostolus, Sanctissimus Bonifacius noster, primus Moguntinensis Cathedræ Archiepiscopus, qui teste Othlono indubitatæ Fidei scriptore Sanctissimo, *omnes illius Prouinciæ Principes, ad sacra Fidei agnitionem, totiusque Religionis tramitem reuocauit.* *Apostolus Thuring. S. Bonifacius.*

Cui

Cui quidem tantò Apostolo nostro, felicissimus Apostolorum Germaniæ director & Mecœnas Sanctus Gregorius eo nomine Secundus, ex absolutissimo Ord. nostri Monacho Pontifex Maximus, in eodem labore, cura & sollicitudine Apostolicis strenuè collaborauit; qui data ad populum Thuringorum vniuersum Epistola, suam Bonifacijque commendans industriam, sic alia inter eosdem paternè affatur: Ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidem Christi docere, & ab errore ad viam salutis deducere, vt salutem habeatis, & vitam sempiternam. Sed vos ,, ei in omnibus obedite, & sicut PATREM vestrum illum honorate, & ad eius doctrinam corda vestra inclinate, quia illum non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, sed pro lucro animarum vestrarum, ad vos eũ misimus. Diligite ergo DEVM, & in nomine eius Baptismum suscipite. Iam recedite à malis o- ,, peribus, & agite benè: non adoretis idola, nec immoletis car- ,, nes; quia DEVS non recipit ista, sed in omnibus, secundum ,, quod Frater noster Bonifacius docuerit, obseruate & agite, & ,, salui eritis vos & filij vestri in sempiternum. Facite ergo & do- ,, mum, vbi habeat ipse PATER VESTER habitare, & Ecclesias vbi debeatis orare, vt DEVS vobis indulgeat peccata vestra, & donet vobis vitam perpetuam. Hucusque Sanctissimus Papa no- ,, ster Gregorius II. Profecit plurimum prædicatione Bonifacius, ,, & exhortatione Gregorius, adeo quidem vt persecutionem in nouellum Christi gregem vicinis Barbaris concitantibus, mori, quã à fide semel suscepta desciscere decernerent. vnde ea eiusdem Gregorij ad Thuringos Epistola, cuius initium necessario duximus inserendum, sic habet:

Item S. Gregorius II. Pont. Max.

Insignis Epistola Gregorij ad Thuringos.

Ecce qs ales nost. i prædicatores.

Pater Thuringorum.

Constantia Thuringorum.

VIRIS MAGNIFICIS ASOLPHO, GODOLAO, VVillario, Gunthario, Albordo, & omnibus DEO dilectis Thuringis fidelibus Christianis Gregorius Papa.

Gregorij II. alia Epist.

INsinuatam vobis magnificæ Fidei constantiam agnoscens, ,, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in ,,

Insignis cõmendatio. „ Christo acceptam aliquatenus violare, repleti nimia exultatione, grates debitas persoluimus DEO nostro &c. vt manifesto „ appareat, quantum tantis viris debeat æternum Thuringia, quibus Fidei lumen, Ecclesias, proscriptam barbariem, & ab his innumera alia profecta beneficia, in acceptis sint referenda.

Quantum nostris debent Thuringi. Potuit nihilominus, in tenellæ etiamnum adolescentiæ Christianos, interque eosdem Principes nonnullos incussus à gentilibus terror, & propria nonnullorum libido, priorisque licentiæ desiderium, vt à fide semel accepta non pauci deficerent, quos iterato labore & merito, nulla cuiuscunque periculi habita ratione, verus eorundem Pastor, & Pater Bonifacius, ab interitu, & quidem æterno reuocauit. Sed & diuersas diuersorum Hæresiarcharum pestes & Hæreses Dorthvvini, Bertheri, Cambercthi, & Hunredi, felicissimè profligauit, & plurima passim templa & Cœnobia condidit, è quibus primum & celeberrimum illud Ordorffense Monasterium in honorem Diui Michaelis Archangeli extruxit, quod eo ipso loco idem cœlestis genius, tantis laboribus fatigato apparens, animum ad maiora addidisset, & cœlestem opem promisisset; vbi etiam, cum tantus Episcopus, post tantos labores, non haberet quo reficeretur, piscem à volucre allatum, & ex aere ad pedes proiectum accipere eoque ad saturitatem vsque vesci cum suis meruit.

Deficiunt nonnulli.

Iteratũ Bonifacii meritum.

Idem Hæreses profligat.

Monasteriũ primum in Thuring.

Condita deinceps plura per Thuringiam, & inprimis quidem illustria Cœnobia, in quibus duodecim potentissimas Abbatias (Gefurstete Abbteien appellant, inquit Ortelius) præ cæteris excelluisse constat, vt vix in vlla alia eiusmodi prouincia, tanti nominis Monasteria viguisse æstimemus, appareatque haud ita propensos atque effusos studijs in Monachos fuisse Thuringos, quin maiora iisdem deberi, quin & ampliora deinceps ab iisdem expectari, ipsa sua liberalitate faterentur.

Duodecim principales Abbatiæ.

Meruere & alij è Monachis nostris de eadem Thuringorum prouincia Apostolico labore, quos inter Sanctus Albuinus noster Huensis Monachus, conuertendarum gentium studio, ex Hibernia veniens, apud Thuringos Sedem fixit, vbi assidua verbi Diuini prædicatione, plurimos felicissimo successu, ab insano inanium Deorum cultu auocans, Christo & Ecclesiæ cum aggregaret, vt maiorem faceret fructum, Romani Pontificis au-

S. Albuinus Thuring. Apostolus

thoritate

thoritate Frislariensis ordinatus Episcopus, in oppido Burbach consedit, totumque se commisso sibi gregi impendens, plurimis perfunctus laboribus, circumpositos, & verbo, & exemplo, & miraculorum insuper virtute, ad veræ fidei agnitionem inuitauit atque induxit, pro tantis labore ac fructu, merito & ipse Thuringorum Apostolus cognominatus.

Eius labores.

Desudauit pari conatu in eodē excolendo agro Sanctus Sturmio Fuldensis Abbas, Magni Bonifacij discipulus dignissimus, qui optimum Magistrum per omnia imitatus, gentilitatis reliquias passim eradicauit, profecitque tantum apud obstinatiores etiam barbaros, vt & ipsi denique iugo Christi colla subderent, idola suis ipsi manibus comminuerent, dœmonibus consecratos lucos exscinderent, & vero DEO templa vndequaque exstruerent. Vt nihil de alijs aliorum laboribus memoremus, quorum agmina deinceps integra è conditis à Bonifacio Cœnobijs in messem agri Dominici, æterno cum feliciſsimæ prouinciæ fructu, prodiere.

S. Sturmio Apostolus Thuring.

Feruor Thuringorum.

Cæterum è Principibus Landtgrauijs Thuringiæ, vt omnes plurimùm Monachis, eorumque instructioni, consilijs & precibus debuere, sic illi præ alijs, qui cucullum ipsi induti, Monachosque professi sunt, potissimum inde fructum, beatitatemq. retulerunt. Horum Ludouicus Landgrauius, cognomento Saltator, à præcipitio vitiorum, saltu ingenti in sublime elatus, condito Cœnobio Rinhartsbrunnensi celeberrimo, cucullum amplexus in eodem se abdidit, & conuersis Fratribus accensus mira animi demissione spectatissimus in pœnitentiæ luctu perseuerans, ibidem denique religiosissimè decessit.

Plurimi è Landgrauiis Monachi.

Ludouicus Saltator.

Sequuta mariti exemplum Adelheidis Princeps nostris addictissima, Othonis Marchionis Stadensis filia, quæ postquam cum marito quatuor nostri Ordinis Monasteria Reinhartsbrunnense scilicet, Schipplizense, Sangerhusanum, & Oldesleybense fundasset & magnificè dotasset, in postremo seipsam Numini magnoque Archiduci nostro BENEDICTO obtulit, cuius etiam prima Abbatissa effici meruit, Sed & Adelheidis Ludouici prædicti soror, incertum in eodem an alio Monasterio Monastice professa à nonnullis Scriptoribus memoratur. Fridericus, cognomento Grauis, felicior præ cæteris, in hoc genere fuit, vt

Eius nomine.

Adelheidis Ludouici II. soror.

qui

qui tres omnino filias cucullo illustriores beatioresq. quam purpura, habere meruerit, Beatricem nimirum Claram atque Annam, quæ pari consensu sæculi eiuratis pompis, in Suselicensi Cœnobio, Virginum sponso, memorabili inprimis pij zeli & contentionis exemplo se consecrarunt, quarum prima Beatrix ad Abbatialem euecta honorem, memorato Cœnobio dignissimè præfulsit. Sic & Henrici I.eo nomine Thuringiæ Landgrauij filiæ duæ Adelheidis & Hedvvigis, cucullum inhiantius quã Regna appetiuerunt, & in Cœnobio Vveissenfeldensi nostris adnumeratæ sunt. Adelheidis Ludouici III. filia Cæciliæ Bohemorum Reginæ soror, Monasterium S. Nicolai intra muros Isenaci fundauit, Christique ancillis accensa, plurimis annis ibidem religiosissimè vixit, & tandem eidem Cœnobio suo Abbatissa præfuit.

Tres filiæ Friderici Grauis.

2. Filiæ Henrici primi.

Adelheidis.

Gertrudis item Ludouici V. & Sanctæ Elisabeth Vngarorum Reginæ filia in Monasterio Aldenburgensi prope Vvetzlariam Christo se emancupans, sanctissimæ Matris pietatem æmulata, Abbatiali pro meritis honore insignita est.

Sed alij eiusdem generis plures, vel inter nostros conscripti, vel maximis beneficijs obstricti, omnes ferè ad pedes nostrorum sepeliri voluerunt, præcipui quiuis Monasterio Reinhartsbrunnensi illati, opem à nostris etiam à morte summè opportunam ac necessariam, humillimè ac deuotissimè præstolantes; quibus olim de se meritis, tanto decursu sæculorum, iugi & quotidiana litatione, & feruentissima precum contentione altisque clamoribus ac suspirijs, grati Monachi, nullo vnquam tempore suffragari desierunt.

Omnes ad nostrorum pedes sepeliri volunt.

ALSATIAM, eiusque Principes, qui demeruerint, qui fidem Christi, qui litteras, qui optima quæuis introduxerint, paulò superius cũ dè Domo Austria, subditisq. eidẽ prouincijs ageremus, retulimus. vt hic repetere molestum potius quam gratum seu necessarium existimemus.

Alsatia nostris obligatissima.

HASSIA, eosdem omnino, quos proximè adiacens Thuringiæ prouincia, primos sacræ Fidei nostræ præcones & Apostolos habuit; Magnum ante omnes Bonifacium nostrum, de cuius altera ad Hassos profectione loquens Otthonus, *cum consensu* (inquit) *Caroli Principis Hessorum metas, quibus & antea prædi-*

Hassia quãtum debeat

dicare cœperat perrexit. Illuc ergo adueniens, pergit, *reperit plures ex eis relicta Christianæ Religionis cultura* (plurimos enim pridem ad Ecclesiæ Matris gremium aggregauerat) *varijs erroribus implicatos. Alij namque lignis, & fontibus clam vel apertè sacrificabant, alij vero haruspicia, & diuinationes, prastigia & incantationes exercebant. Quidam autem nefanda alia sacrilegia intendebant, pauci vero in via veritatis, quam semel acceperant, perstiterunt, &c.*

S. Bonifacius Princeps Apostolus Hassiæ.

Quid meruerit.

Laborauit proin iterato labore in excolendo Hassiæ agro insuperabilis patientiæ Apostolus, & relapsos obstinatioresque omni contempto vitæ periculo, ad saniora denique reuocauit, & ARBOREM, quam SOLIS, appellauerant coluerantque religiosissimè Hassiæ populi, ferro exscindere aggressus, prodigiosam illico è cœlo adesse opem sensit, cum ea statim mira quadam vi, vt ingens mole fuerat, in quatuor partes disrupta est. quo territi prodigio, qui conuenerant trucidaturi cum socijs Bonifacium, eiuratis statim eroribus Christo manus dedere.

Arborē Solis colebant Hassi.

S. Bonifacius eam exscindit.

Cæterum Hassia, cæteris Saxoniæ prouincijs multo felicior, duo Apostolicorum virorum opulentissima Promptuaria Hirsfeldense, vicinumque Fuldense Cœnobia habuit, è quibus ipsi, non vt cuiuis alij ditioni duo tresve, sed integri Apostolorum manipuli, ad gentilitatis reliquias, aliosque errores exterminandos, deinceps, admirabili cum fructu prædicationis submissi sunt, vt Hassiæ felicitatem, & sub tantis cultoribus fæcunditatem, nemo non suspiceret, & plurimum miraretur. Agnouere gratiam Principes, omnes obstrictissimi Monachis, è quibus non pauci, præter fundata & dotata amplissima Cœnobia, seipsos denique in cucullo Christo obtulerunt, Heroissæ inprimis eiusdem stemmatis illustrissimæ, qualis fuit Margarita Henrici primi Hassiæ Landgrauij filia, Anna Ludouici primi, & Agnes Ludouici quarti filia, in Isenacensi vtraque Cœnobio, Anna Ludouici tertij in Annebergensi, Monasticen professæ. vt alia omnia Monachorum de Hassis merita, Scholas etiam Hirsfeldenses atque Fuldenses, Germaniæ primas ac præcipuas, tot templa fundata, Xenodochia erecta, assidua precum suffragia, & prodigiosam Monachorum è cœlo opem, ac miracu-

Hirsfeldĕ & Fulda Promptuaria Hassiæ.

Mira felicitas Hassiæ.

Plurimæ Principes Moniales.

Primæ in Germania Scholæ.

lorum perpetuitatem, verbo potius innuamus, quam attingamus.

Leuchtenberg. Landgrau.

LEVCHTENBERGENSIVM Landtgrauiorum minus quidem certo compertam originem, è Pogijs tamen Comitibus, seu à Vochburgi Marchionibus fuisse potior opinio est. quæ vtraque familia viris ex Ordine nostro Sanctissimis, ob ingentia eorundem merita, plurimum obnoxia fuit & obstrictissima, quod cum omnibus liquido constitisset, Principibus maioribus suis Christi primùm vnicè salutarem doctrinam & Fidem instillatam, liberalitate & ipsi cum nostris contenderunt; neque pauca cùm à fundamentis Cœnobia extruxerunt, tum vetustiora restaurarunt ac locupletauerunt. è quibus spectatiora Elsenpacense & Heilbrunnense, nec non restaurata plurima, vt Altaichense, Geisenfeldense vt nihil de Embricio Einsidlensium Abbate, de Henrico Obertshausensi Antistite, Rapatone an Conrado Heilbrunnensi Monacho, alijsque eiúsdem familiæ illustribus viris referamus, qui omnes vitam Monachicham omnibus mundi thesauris ac gaudijs præferentes, multo plus cucullo, quam ipsis parentibus debuerunt, in eo summam felicitatis solidæ inuenientes, æternoque cum animorum suorum lucro, dignè vsurpantes.

Principes Leuchtenberg. & eorum maiores à nostris conuersi.

Plures ex ijs Monachi.

Excelluit eosdem inter Beatus Fridericus, ex Monacho & Abbate Lanckeimensi, & Ebracensi, Eistettensium Episcopus, qui eam à Numine gratiam consequutus est, vt sanctitatis odore & fama & Episcopatui & Cœnobio, quin & Ordini vniuerso decus ingens adderet, eoque ipse præcipuum Landgrauiorum Leuchtenbergensium ornamentum, & de cuius certo vt æterno in cœlis Patrocinio plurimum confiderent, euaderet: vt hæc quoque familia, non minus quam ceteræ, de quibus superius iam dictum est, Sanctissimo Archiduci nostro, ob tanta in se collata beneficia plurimum deferre teneatur.

B. Fridericus Ladgr. Leuchtenberg. Episc. Eyst.

QVA-

QVATVOR S. R. IMPERII MARCHIONES.

Morauia. *Brandeburgi.* *Misnia.* *Badena.*

BReuissimè cætera deinceps, vt quæ vel in Superioribus iam attigerimus, vel in altera Imperij diuisione veniant attingenda.

Ita de Morauia prolixius, cum de Austria ageremus, sed & de Brandeburgij Marchionibus inter Electores septemuiros egimus.

MISNIAM, qui Saxoniam vniuersam, Apostoli nostri duodecim simul missi, Vvillibrordus præ cæteris, Suitpertus ac Bonifacius demeruere, turpissimo inanium Deorum cultu extirpato, reuocatisque ab exitio æterno incolis, varijs tota prouincia, conditis Ecclesiis, & felicissimis contra dęmonum hæresumq. incursionem exædificatis Monachorum Castris siue Cęnobijs, ex quibus irremisso studio lectissimi pugiles, in aream, vbi necessum foret, educerentur. Misniæ nihilominus Metropolim, iuuit, fouit, atque exornauit præ cæteris Burcardus noster, primus eiusdem vrbis Episcopus; vt Misnia quoque primum nostris debeat Episcopum, imo Episcopatum ipsum, à nostris primum cùm Romanis ex Ordine Pontificibus, tum opera lectissimorum Germaniæ Apostolorum, de quibus iam satis, institutum, quem quidem insigni sanctitatis opinione prædictus Burcardus haud leuiter illustrauit. Sed & simile ornamentum Misniæ Sanctus Gerungus noster Putzaugiensis Abbas, inde eiusdem Sedis Episcopus enituit, Benno autem S. Michaelis Hildesiani Monachus, & ipse demum Episcopus prodigiosissimæ vitæ vir, ob admirabilem sanctitatem, Misnensium Tutelaris cooptari, & Sanctorum Albo solemnissimo ritu ab Adriano VI. adscribi meruit.

Misnia Apostoli. *Monasteria DEI. Castra.* *Misnia Metropolis.* *Eius primus Episcopus.* *S Gerungus. S. Benno.*

Cæterum de Principibus Misniæ, à Vvitikindo ortis, nostrorũ opera ad Fidem Christi conuersis, deque plurimis, cucullo quam Principatu felicioribus, prolixius in Saxonia. Quibus paucula

Plurimi Principes Monachi.

hæc, Misnensis Marchionatus, vt à cæteris diuisus est, singularia, addenda videbantur: solum Conradum Magnum cognomento, siue Pium, quatuor Principes filias Sanctissimo Patriarchæ nostro, & quidem duas in Gerbstettensi Cœnobio Bertham & Odam, Agnetem in Quedlinburgẽsi, Gertrudem post obitum mariti Hermanni Palatini Comitis, in Bambergensi ab ipsamet condito Virginum Monasterio obtulisse. Pari studio deuotioneque, duas filias Gero, siue Gerohus Marchio, alteram in Gerbstettensi, alteram in Gerenrodensi, gratissimum DEO sacrificium sacrauit, quarum vtraque Abbatiali demum honore insigniri meruit.

Vide mirã & sanctam tot Principũ ambitionẽ.

Sic & Fridericus II. Sophiam in Quedlinburgensi, Theodoricus III. Gertrudem filiam in Gerbstettensi, suæ erga Monachicũ Ordinem obseruantiæ testes esse voluit, & plures ex eadem familia, nihil expendere rati, quidquid expenderent pro tantis per Monachos acceptis beneficijs, seipsos, sub eodem sanctissimo atque felicissimo Instituto Numini deuouerunt.

Nihil dare se putant, nisi offerant ipsos.

BADENSEM Marchiam iidem qui Alsatiam, & Brisiacam Magni Apostoli nostri Amandus, Arbogastus alijque ab interitu vindicarunt, & vnicè saluantis Fidei præceptis imbuerunt, quamuis Marchiæ tunc titulo minimè notaretur. Meruere de eadem lectissimi aliquot ex Ordine nostro Spirensium Episcopi, è Vveissenburgensi Cœnobio plerique extracti, sed & tota laboratorum agmina è Diui Trudperti, Hirsaugiensi, S. Basilij alijsque plurimis cùm finitimis, tùm in ipsa Marchia sitis Cœnobijs, in messem eiusdem agri prodiere. Accepere & ipsi posteri Badenses Principes, & à Monachis beneficia, vt varijs & amplissimis donationibus, debitores se esse, omni posteritati proderent, nec pauci etiam, Sanctissimo Patri nostro seipsos addicerent, siue liberos Numini in Cœnobijs consecrarent, è quibus Henricus I. Marchio Agnetem in Cœnobio Licthalensi, eiusdem postea loci Abbatissam, Bernardus Margaritam in Portu Herciniæ, Carolus Margaritam alteram, in Lichtaalensi, duas filias Christophorus in Lichtaalensi item alteram, Mariam, ad portam Herciniæ Ottiliã, Fridericus III. Annam in Monasterio Coronæ Cœli, alij alibi liberos dulcissimos gratissimas cœlo victimas, summa animi gratulatione, donatione liberrima obtu-

Badensis Marchia Apostoli.

Meritissima Cœnobia.

Multi cucullo se deuouent Principes.

Plurimi Marchiones Badẽses Monachi.

obtulerunt, quos inter Ortliebus Rudolphi Senioris filius præ cæteris in cucullo enituit, pro insignibus animi dotibus, Abbatiali honore sublimatus. Vt in hac quoque familia excolenda, haud minimum sibi meriti gloriæque vendicet Ordo magni BENEDICTI verè Benedictus.

QVATVOR IMPERII COMITES, &c.

CÆteræ Aquilæ Imperialis pennæ, singulæ quatuor Officialium insignijs scutulatæ, quia è Comitibus pauci, plerumque nobilium seu equestrium familiarum, aliquot etiam Vrbium, & oppidorum designatione adumbrantur, ne vel multa ex ijs, quæ iam diximus repetere, nevè minora quam par esset, & obscuriora afferre cogeremur, multo maiore cum gratia, minore cum inuidia tractaturi, nec tam paucis, quàm plurimis familijs consulturi, cum pleræque præsertim in Aquila designatæ, omnino extinctæ, & vix suo ex nomine notæ sint, alia deinceps diuisione Imperium percurrere placuit, & prout in SEPTEM DISTINCTVM EST CLASSES breuiter perstringere.

Relicta diuisione Aquilæ priore, aliam aggredimur.

In septem Classes distinguitur Imperium.

SACRI ROM. IMPERII Classes Septem.

CLASSIS PRIMA

Septem eiusdem Sacri R. I. Electorum.

DE horum à Gregorio nostro eius nominis V. Pontifice Maximo institutione, plurimisque nostrorum in Electoratus singulos, specialissimis, & immortalibus meritis, satis superque cum primam Aquilæ nostræ pennam explicaremus. Alteram ergo CLASSEM aggredimur.

CLAS-

CLASSIS S. R. I. SECVNDA.

ARCHIEPISCOPORVM.

Magdeburgensis. Salisburgensis. Bremensis. Vesontinus.

Septem Archiepiscopatus Germaniæ similiter nostris obstricti.

QVam gloriam Tres præcipui Germaniæ Archiepiscopatus, Electorali dignitate sublimes, Moguntinus, Coloniensis, & Treuerensis (de quibus suo iam loco dictum) Monachis eorumque Sanctissimo Imperatori BENEDICTO debuere, debent, & reliqui quatuor, Magdeburgensis, Salisburgensis, Bremensis, & Vesuntinus, paribus omnino, & immortalibus quidem meritis Ordini Monastico æternum obligati.

Magdeburgensis Archiepiscopatus quæ nostris debeat?

MAGDEBVRGENSIS Archiepiscopatus, ab Otthone I. Imp. nostris addictissimo, ijsdem, vt plurimæ aliæ per Germaniam Cathedrales Ecclesiæ, initia, florem, gloriam, incrementa, decus omne debuit, condito primùm eo loci celeberrimo Ordinis Cœnobio, vbi impurissimæ Veneris Gratiarumque symulachra, cultu impijssimo colebantur; & castro, quod illic visebatur in oppidum conuerso, quod postea Sanctorum labore, & meritis, cum eo Religionis ergo plurimi confluerent in tantam magnificentiam excreuit, vt inter præcipuas Europæ Vrbes haud immerito computetur.

Vrbis incrementa vnde?

Cathedrale Templum.

Additum Cœnobio Cathedrale Templum, viris deinceps ex Ordine Sanctissimis longè illustrissimum, ex quo nimirum, æterna cum Magdeburgi gloria, Doctores non solum maximi, sed & vicinarum, quin & remotissimarum gentium meritissimi Apostoli Magnus ille Boemiæ, Vngariæ, Poloniæ, Lituaniæ, Tutelaris Adalbertus, Russiæ, Prussiæ, &c. Magister S. Bruno, alijque spectatissimi DEI pugiles, inuictissimi Martyres prodierint.

Doctores, & Apostoli varij è Monasterio Magdeburg. S. Adalbertus Vngariæ Apostolus. S. Bruno Russiæ Apostolus.

Allatæ & spectatissimæ è Monasterio nostro Agaunensi SS. Mauritij, & Sociorum Reliquiæ, sub cuius nomine, & Patrocinio Monasterium, & Cathedrale erectum Templum, vt hoc

etiam tanto thesauro, & Diuorum Patrocinio beatissima Vrbs, beatitatem illam nostris debeat, multis deinceps alijs modis, gratijs, & beneficijs adiuta, exculta, & sublimata.

Reliquia, & Patrocinia Eccl. Cathed. nostris debita.

Sed antè & supra omnia præcipuus, vt primus eidem splendor, à primo suo Archiepiscopo, Sancto Adalberto nostro, Monasterij S. Maximini apud Treueros Monacho, alterius S. Adalberti, de quo primùm, Boemorum Apostoli Magistro Sanctissimo, qui admirabili vitæ sanctitate, Cathedram illam, vrbem, & Diœcesim non solùm vniuersam mirificè illustrauit, sed & mirabile Episcoporum omnium speculum, idem pater, pastor, ludi-moderator, præco Christi, & Apostolus, nullis seu laboribus fractus, seu periculis absterritus, in remotissima vsque loca ipse excurrit, multosque Vvandalorum populos prædicatione sua Christo, & Ecclesiæ Matri adiunxit, pro tantis laboribus fructibusque augustissimum *Vvandalorum Apostoli* nomen consequutus. Vt tanti APOSTOLI, & PRIMI SVI ARCHIEPISCOPI nomine, & gloria, æternum non solum glorientur Magdeburgenses, sed & de tanti in Cœlis Diui Patrocinio, plurimum confidant, sibique polliceantur.

S. Adalbertus primus Archiepiscopus Magdeburg.

Ei' merita.

Apostolus Vvandalorum.

Successit Adalberto dignissimus tanto Antecessore discipulus Beatæ memoriæ Othricus, siue Ordericus, Sancti Viti Corbeiensis Cœnobij Monachus, vitæ integritate, & miræ eruditionis laude, optimus, Maximus: cuius, inquit Krantzius, doctrinæ fama celebris, Auditores etiam illius illustrauit. *Qui enim Othricum meruit audire Præceptorem, aliquid sibi supra cæteros accepisse videbatur*. Sensit nihilominus de se humillimè tantus Doctor noster, & quod in vsu perpetuo fuit nostris, nihil minus quam honores quoscumque expetiuit. Electioni proinde de se factæ inuitus admodum assensum præbuit, & sollicita prece ab Numine contendit, ne se Episcopum fieri permitteret; idque ipsum impetrauit, ipso in itinere, pro Confirmatione Romam proficiscens, morte felicissima præoccupatus.

B. M. Orthricus II. Archiepiscop'.

Othrici nostri laus.

Eius animi demissio.

Præfuere plurimi deinceps è Monachis Archiepiscopi, meritis omnes grauissimis illustrissimi, è quibus Dado siue Dudo Sancti Emmerammi Ratisponensis Cœnobij Monachus, habitu, & conuersatione venerandus, Sancto Vvolfgango Ratisponensium Episcopo, & Magno Tutelari amicissimus, præstantissimis

Alij è nostris Archiepiscopi Magdeburg.

ſimis de Imperio vniuerſo meritis ſpectatiſſimus, eamque ipſam ob cauſam Sancto Henrico Imperatori, qui ipſum CANCELLARIVM ſibi delegerat, chariſſimus; vt ab hoc etiam tanto viro æternum ſibi comparatum decus, merito agnoſcat Magdeburgum.

Dado noſter Cãcellarius S. Henrici Imp.

Vvalthard⁹ Archiepiſcopus.

Proximi Vvalthardus, ſiue Vvaldardus, Sancti Adalberti lectiſſimus diſcipulus Magdeburgenſis Cœnobij Monachus, & Præpoſitus, vir digniſſimus, ſummiſque Clericorum votis expetitus; tum Hunifridus ſiue Meinfridus, è Monaſterio S. Burcardi Herbipolenſis poſtulatus atque extractus, non ſine ſanctitatis opinione annis viginti ſeptem præfuit, aliaque inter merita, vrbis ſplendori, ciuium pietati conſulens, duas ibidem Collegiatas Eccleſias Sanctorum Nicolai, & Petri condidit. Vt eo mortuo, ex eodem S. Burcardi Cœnobio, alium quamprimum ſucceſſorem ſibi Magdeburgenſes deligerent Engelhardum, & ipſum ſingulare deinceps Archiepiſcopatus celeberrimi ornamentum. Vt nihil de ijs dicamus, qui ex ipſo Magdeburgenſi Cathedrali Monaſterio, tam ad eam, quàm alias Archiepiſcopales Epiſcopaleſque gubernandas Eccleſias euocati, ſtrenuam vbiq; operam poſuere.

Meinfridus Archiepiſcopus.

Engelhardus Archiepiſcopus.

Vnum non præterimus, alterum Magdeburgi è præcipuis ornamentum, S. Nortbertum Præmonſtratenſium Auctorem candidiſſimum, noſtris item obligatiſſimum, ab ijſdem præcipuè ſpiritum feruoremque hauſiſſe, quorum iuuenis etiamnum conſortio mirè delectatus, ſpiritualis vitæ apud Sigebergenſes Monachos, rudimenta non ſolum poſuit, verum grauibus ſubinde tempeſtatibus deinceps iactatus, in Cœnobio eodem, quietem ac ſolatium quæſiuit. Quem & poſtea, noui Ordinis Inſtitutorem, Sanctiſſimi ex Ordine noſtro viri, mirificè demeruerunt, iuuerunt, propugnauerunt. Vt vel ipſo quidem agnoſcente Norberto, tanta eius, & ab ipſo Magdeburgi gloria, ad noſtros item haud minima ex parte referenda videatur.

S. Nortbertus Archiepiſcop⁹ quid noſtris debeat.

S. Norbert⁹ ſpiritũ apud noſtros hauſit.

Noſtri ipsũ multis modis demerentur.

SALISBVRGENSIS Archiepiſcopatus, initia ſimiliter, fortunamque omnem, & gloriam, Monachis debuit, & debere vſque hodie agnoſcit. Meruit præ cæteris Maximus ille Boiorum, plurimarumque aliarum prouinciarum APOSTOLVS Sanctus Rupertus noſter, qui Theodonis Ducis à ſe conuerſi

Salisburgẽſis Cathedræ fortuna noſtris debita.

uersi optima voluntate, & promptissima ope celeberrimum in antiqui Iuuauij ruderibus S. Petri Cœnobium condidit, illicque Sedem Pontificalem figens, primus Salisburgensium Antistes, admirabili vitæ sanctitate, & grandibus prodigijs meritisque, Cathedræ illius celeberrimæ fundamenta iecit, & consecrauit, cuius etiam à morte præcipuus TVTELARIS designari, & adorari meruit.

S. Rupertus I. Salisburgensis Pontifex, & Patronus.

Successit tanto Salisburgensium Soli, pari sanctitate, & fulgore sydus illustrissimum, Sanctus Vitalis, S. Ruperti discipulus, eiusdemque vt in Abbatia S. Petri, sic & in Pontificatu successor dignissimus, Apostolici & ipse meriti vir, grandibus, & in vita, & à morte prodigijs à Numine commendatus, è quibus rarissimum illud, & iuxta spectatissimum celebratur, cum post mortem eiusdem, niuei coloris lilium è Sancti Pontificis corde enascens, & summa cum omnium admiratione, per ipsam marmoris, quo sacrum eius tegebatur corpus, duritiem erumpens, multis annis, ab vniuersis, eo confluentibus conspiceretur, quod nulla vi frigoris aut æstus marcesceret.

S. Vitalis II Episcopus.

Rarum miraculum.

Successere plurimi deinceps ex eodem Cœnobio, Ansologus, Sauolus, Ezius, Flobargisus, Ioannes, Virgilius, Bertricus alijque plures, insigni omnes sanctitatis opinione celebres, eoq; nomine vt multis alijs meritis Cathedræ illi immortaliter consulentes: è quibus Ioannes cognomento Aquila, admirabilis eruditionis laude effulgens, iam tunc ominatissimo principio spectatissimæ tanto post restauratæ Salisburgensis Academiæ fundamenta iecit, & de circūpositis prouincijs, & sera posteritate æternum meruit; Virgilius autem, *inæstimabilis sanctitatis, & meriti vir*, id enim ei à vitæ scriptore tributum elogium, ingentis, & posteris quoq; admirabilis molis Basilicam plurium annorum opere exædificauit, & Episcopalem ibi collocans Cathedram, eamdem primo Boiorum Diuinæ Legis Præconi, & Apostolo, primoq; Salisburgensium Episcopo, Diuo Ruperto nostro, nuncupans, partem sacri eius corporis, nec non SS. Cunibaldi, & Gisalarij sociorum eius eo transtulit: qua quidem in Templi molitione illud inprimis memorabile accidit: quod toto eo tempore, cum quotidie in peluim Sanctus Pontifex pecuniam seu mercedem conijciens, exposuisset, ex ea tamen nemo operariorum plus

B. Ioannes cognomento Aquila, Archiepiscopus Salisburg.

S. Virgilius Archiepiscopus incomparabilis.

Ei⁹ merita

Insigne miraculum.

accipere valuerit, quam quantum labore suo meruisset. Contulit & multa alia in Salisburgenses, & subiectas lituo suo prouincias beneficia, verùm nullum, vni illi anteferendum, quod Carantanis Christianæ Fidei Mysterijs erudiendis præstitit, eoque tanto merito gloriosissimum *Apostoli Carinthiæ* nomen est consequutus. Idem æterna cum nominis sui, tum Ordinis vniuersi gloria SECVNDVS à Ruperto, quem ipse consentientibus vniuersis primum elegerat, Metropolitanæ Ecclesiæ, vrbis, & Diœceseos amplissimæ PATRONVS est cooptatus, & à Sancto Gregorio IX. eius nominis Pontifice Max. solemni ritu, Diuorum numero publicè adscriptus.

Apostolus Carinthiæ.

Secũdus Tutelaris Salisburg.

Neque his solùm tantis cæli syderibus illustris Cathedra Salisburgensis fuit, plures insuper Sanctitatis nomine celebres, titulo tantis Cathedris longè dignissimo, & conuenientissimo, Pontifices habuit, è quibus Sanctus Eberhardus Comes de Hiltpoltstein, ex Abbate Biburgensi Salisburgensis Archiepiscopus, verus gregis sui pastor, qui cum solus ferè è Germaniæ Episcopis impijs Friderici I. contra Romanam Sedem conatibus se opponeret, Sanctamque Matrem Ecclesiam suo etiam sanguine propugnare satageret, concitatissimi cæteroquin Cæsaris furorem minimè expauit, quin & ipsi metuendus iuxta & venerandus extitit; adeo vt ipse Fridericus fateretur, se, cum nimio furore contra Eberhardum exarsisset, cum primùm Episcopus occurreret, *ob dignitatem in vultu eius Angelicam, pondusque oculorum ac mentis, non nisi, plus quam mortalem timere, contremere, parcere, & venerari potuisse.*

S. Eberhardus Archiepiscopus.

Constantia eius.

Eum vt reuereatur Cæsar hostis.

Vidit paulò ante mortem Eberhardi Inclusa quædam inter superas Cælitum mansiones, admiranda maiestate thronum eidem præparari, cui vtrimque adstantes, Apostolorum Princeps Petrus, & Diuus Rupertus noster primus Salisburgensium Pontifex, mirantem sic affati sunt: *Hæc est sedes Eberhardi Archiepiscopi, quam ad eius vsque custodimus aduentum.*

Visio insignis.

Claruit egregijs, & in vita, & post mortem miraculis, VERVS PAVPERVM PATER, HOSPITVM MECOENAS, ET PRINCEPS PACIS appellatus, vt quantum sibi de Tanti Principis patrocinio Salisburgenses è cælo polliceantur, facilè aduertant.

Princeps Pacis dicitur.

Nec

Nec minore constantia eiusdem Sedis Archiepiscopus Beatus Conradus noster (de quo superius in Austria) Sancti Leopoldi Austriæ Marchionis filius, Friderici Cæsaris patruus Henrici V. Imp. sororius, orbi vniuerso spectandum se præbuit, æternoque Salisburgensis Sedis ornamento, *Iustitiæ fautoris defensorisque summi, ac Pauperum Nutricij memorabilis* Titulos dignissimos meruit. Vt nescias planè in tam illustri tantorum Pontificum, & Principum numero, quem potius suspicias, æstimes atq; admireris, cum ad cumulatissimos ab his ipsis Salisburgensis Cathedræ honores, nihil ad supremam gloriæ laureolam deesse, quam consecrata sacri Sanguinis per Martyrium purpura, eadem Salisburgensium Archiepiscoporum dignitas, videatur. Nec defuit ea etiam Salisburgo à nostris gloria, & memorabili quidem Martyrij genere triumpho longè gloriosissimo, à S. Thiemone nostro, è Principe Boiorum Altahensi Monacho, tum S. Petri Abbate, mox Archiepiscopo Salisburgensi parta, cum religionis ergo ad sacrum Domini Sepulchrum iter suscepisset; quippe à Paganis, Turcis, & Saracenis interceptus, ac pedicis indutus, cum simulacrum Mahumetis truncum (nam statuaria pingendi fingendique disciplina pollebat) integrare iuberetur, illud membratim comminuit. Hinc iussu irati Principis vestibus spoliatus, iumentoque impositus, scutica toxicata per viam cæsus, vbi in campum certaminis peruenit, circumfusus carnificibus, & barbaris, articulatim, per digitos, manus, pedes, brachia (velut Iacobus ille Persa, vulgo Intercisus) inciditur, ac demum omnibus membris detruncatis, ad modum, Magni Martyris Erasmi, recluso ventre, intestini caput bacillo implexum euoluitur, quoad per flexuosos orbes exhaustis ilibus, ipsa sedes vitæ cor auulsum sequeretur, cum quo simul extremus tanti Principis, Archiepiscopi, & Martyris spiritus est extractus, qui inter horrenda crudelitatis exempla, assiduè Numen veneratus, in Dauidis Hymno animam in DEI sinum ac manus effudit, quam cælitum symphonia cum Epinicio, in templa cælestia deduxit, vbi in omnes omnium temporum æternitates beata triumphabit; triumphatque in hoc Heroe suo immortaliter Salisburgum, multis insuper alijs modis benefacientibus ac merentibus nostris vsq; hodie obstrictissimum, cui tanto post, restitutis litterarum studijs, à Sanctissimis Ruper-

B. Cõradus Archiepiscopus.

Insigne elogium.

Suprema gloriæ laurea qua?

S. Thiemo.

Ad S. Sepulchrũ pergit.

Capitur à Saracenis.

Memorabili Martyrij genere coronatur.

Triumphus S. Martyris.

Restituta Salisburgi studia.

to, & Ioanne Pontificibus, summo cum Bauariæ fructu ac splendore inchoatis, strenuam hodie nostri operam nauant, primæuũ, fauente Cœlo, florem vigoremq; prouinciæ vniuersæ reddituri.

Bremensis Sedes quid debeat Monachis.

Bremensis Archiepiscopatvs, & initia æquè atq; præmemorati, à nostris, & felicitatem, & quotquot ferè è Cœnobijs Episcopos postulauit, tot Sanctos, tot Tutelares, tot conuersione gentium illustrissimos Apostolos habuit.

S. Ansgari' noster primus Archiepiscopus. *Inexplicabilia eius merita.* *Tutelaris I.*

Porro celeberrimæ illi Cathedræ Maximus ille Septentrionis, vniuersarumque Aquilonarium regionum Apostolvs S. Ansgarius siue Anscharius Corbeiensis Monachus initium dedit; quem eadem Cathedra atque amplissimus Pontificatus, sed & Gotthia, & Suecia vniuersa, Metropolitanæ item Sedis suæ Vpsalensis conditorem, pro inexplicabili meritorum multitudine, & admirabili vitæ sanctitate præcipuum sibi à morte Tutelarem adoptarunt; Vt de tanto, & primo Archiepiscopo, & Apostolo, & Patrono suo, nunquam satis Bremensis, & vrbs, & Ecclesia, & subiectæ omnes prouinciæ sibi gratulentur, cuius nimirum splendor Ecclesiam Christi, & gloria orbem impleuerit vniuersum.

S. Rembertus II. Archiepiscopus. *Elogiũ perinsigne.* *Tutelaris Secundus.*

Successit Ansgario, Sanctus Rembertus, Corbeiensis, & ipse Monachus, successor planè, vel ipsa quidem S. Ansgarij attestatione longè dignissimus, cum rogatus ille, quemnam dignissimum eo honore indicaret, æterno sanè Elogio Rembertum commendans, *magna conscientiæ securitate, de meritis Remberti pronunciare se*, dixit, *ipsum Archiepiscopi sede digniorem esse, quam se Diaconi functione*. Tantus ecce tanto successit, raro omnino euentu, vt proximi ætate, & successione Diui, eiusdem postea Sedis Tutelares, & eodem ex ordine sibi succederent. Meruit idem Apostolicis meritis, innumerabilium hominum, & Erici inprimis Gotthorum Regis conuersione, de Aquilone vniuerso; ab admirandis prodigijs, & meritorum magnitudine, toto terrarum orbe celebratus, quę inter grandi clade Germaniam, Danis Normannisque ipsam inuadentibus, liberauit, Moysisque exemplo, collem ascendens, dum precibus Numen flecteret, memorabilem inprimis victoriam, paucis Christianis contra ingentem infidelium exercitum impetrauit.

Exercitum hostilem profligat.

Sed & tertius Bremensium Archiepiscopus S. Adalgarius Corbeiæ

biæ item Monachus, Apoſtolici anteceſſorum laboris piè æmulus, admirabili contentione laborauit, meritiſque ac fructu memorabili, æternum ſimiliter decus Bremenſi Eccleſiæ addidit, & ipſe maximis Septentrionis Apoſtolis accenſus.

S. Ad. algarius 3. Archiepiſc.

Quartus Bremenſis Cathedræ Archipræſul Sanctus Hogerus fuit è Corbeienſi etiam Monaſterio extractus, qui inſuperabili charitate, laboribus & ipſe indefeſſus, merita ſua immortalia cęlo terriſque commendauit, admirabili inſuper vitæ ſanctitate ſedem ſuam mirificè exornans, cuius ſanctiſſimum & virgineum corpus, Ioannis Archi-Euangeliſtæ exemplo, creditur mirabiliter translatum, cum poſt annos centum viginti, præter cruces pallij & ceruical Archiepiſcopi, nihil in eius tumulo reperiretur.

Sacrũ eius corpus mirabiliter transfertur.

Interceſſit vnicus Reginvvardus Archiepiſcopus, de cuius profeſſione Monachica dubitetur, cui mox Diuinitus ſubrogatus eſt, Sanctus Vvimo, ſiue Vnni noſter, à DEO vocatus tanquam Aaron, Corbeienſis etiam Monachus, qui cum onus Pontificale annis octodecim ſtrenuè ſuſtinuiſſet, eo reſignato, ſubſtitutoque Adaldago, adſcitis ſocijs aliquot Monachis, regna Aquilonaria Gotthiæ Daniæque ingreſſus, immenſis perfunctus laboribus, reliquam paganorum multitudinem, eoſq. inter Haroldum Daniæ Regem, abrogato impio idolorum cultu, Eccleſię matris gremio aggregauit.

S. Vuimo noſter Archiepiſc.

Haroldum Regem conuertit.

Nec minus Apoſtolico zelo fructuque conſpicuus S. Lubentius fuit, ex Abbate Hersfeldenſi Bremenſium Archiepiſcopus creatus, de Danorum maximè Regno meritus, admirabili & ipſe ſanctitate, necnon miraculorum gloria illuſtriſſimus. Vt tanta Apoſtolicorum virorum, & primorum Bremæ Archipræſulum copia contenti, plurima aliorum de Sede illa merita, & ingentes per ampliſſimas illas prouincias labores conſultò prætermittamus, nimium cæteroquin, extra limites Imperij, extra Aquilæ noſtræ iura, & præter propoſitum noſtrum longius excurſuri.

S. Lubentius Archiepiſc.

Vesontinvs, ſiue Bisvntinvs Archiepiſcopatus, Monachis non olim ſolum, ſed & perpetuo decurſu ſæculorum, in hodiernum vſque diem obligatiſſimus, præcipuum ferè ſplendorem, ab ingenti ſanctiſſimorum Cœnobiorum frequentia, & incredi-

Veſuntium quid debeat noſtris.

credibili penè Sanctorum ex Ordine nostro copia habuit, alijs alijsque ad hæc vsque tempora, velut ex Phœnicis cineribus renatis, è quibus, cum celeberrima hodie, & sanctissima SS. Vitoni & Hidulphi Congregatio, orbi etiamnum vniuerso præferat facem, & primæuum sanctissimorum & antiquissimorum Cœnobiorū vigorem & florē referat, religiosissimorū virorū rubori parcimus, & quæ se ipsam commendat vniuersis, spectatissimam vitæ sanctitatem, commendandam minimè suscipimus, relinquentes etiam posteris, indagandi, de proximis maioribus suis, pulcherrimam occasionem.

Cõgreg. SS. Vitoni, & Hidulphi.

Spectatissima sanctitas nostrorum.

Cæterum è Vesontinis Archiepiscopis, loco plurium ex Ordine ad id muneris euectorum, vnum solum, at longè maximum, atque illustrissimum, Vesontij, Galliæ, imo Ecclesiæ vniuersæ sydus, accipimus, Sanctissimum illum Archipræsulem CLAVDIVM nostrum, qui illustrissimo Principum Palatinorum Salatinorum genere oriundus, familiæ, patriæ, Ordini vniuerso, rarissima vitæ sanctitate, & meritis grauissimis ornamentum perpetuum addidit, voce cœlo delapsa ad Cathedram Bisontinam vocatus, cui cum annis septem sanctissimè præstitisset, & pompæ negotiorumque sæculi pertæsos, Christo liberius frui desideraret, admonitus ab Angelo, in Cœnobio Iurensi, abdicato Episcopatu Sāctissimi Patriarchæ nostri institutum complexus est, eiusque demum loci Abbas effectus, tanta perfectione discipulos ad se vndique confluentes educauit, vt non hominum, sed Angelorum, in humanis corporibus degentium conuictus videretur. Decessit centenarius ferè Sanctissimus Archiepiscopus & Abbas, cuius sanctissimum corpus tanto post tempore incorruptū, merita viri dignissimi commendauit, innumeris prodigijs ad hęc vsque tempora illustratum.

S. ClaudiusArchiepis. Bisont.

Voce cælesti designatur Archiepisc.

Fit Monachus.

Eius merita.

Adoptatus est magnus hic Pontifex noster à Vesontinensibus plurimisque alijs Vrbibus atque Ecclesiis Diuus Tutelaris, toto Galliarum Regno, æterno cultu præcipuisque titulis mirè celebratus. Vt de hoc etiam sibi merito amplissimus Archiducis nostri BENEDICTI Ordo glorietur, hunc quoque eminentissimum Archipræsulatum, è Monachorum gremio, tam eximiæ ac miræ sanctitatis Patronum sibi delegisse.

Patronus Bisuntinensis.

SA-

SACRI ROMANI IMPERII CLASSIS TERTIA,

Quæ est

EPISCOPORVM.

HOrum vigintiseptem hoc tempore in Comitijs locum habent: Bambergensis, Herbipolensis, Vvormatiensis, Spirensis, Argentinensis, Eichstettensis, Augustanus, Constantiensis, Hildesiensis, Paderbornensis, Vverdensis, Halberstetensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Passauiensis, Frisingensis, Basileensis, Ratisponensis, Mindensis, Lubecensis, Verdunensis, Cameracensis, Metensis, Tullensis, Leodiensis, Tridentinus, Brixiensis.

Syllabus Episcoporum in Comitijs considētiū.

His adnumerantur, Abbas Fuldensis, Magister equitum Ordinis Teutonici, Abbas Hirsfeldensis, Campidonensis, Corbeiensis. De singulis, quæ è re fuerint, paucula perstringamus.

Bambergensis. Herbipolensis. Vvormatiensis. Spirensis.

Bambergensi, quod nulli in Europa, imo, quod remur, in orbe vniuerso, Diœcesi contigit: Conditores duos, vtrumque Monachismi insignem gratia, Imperij sublimem gloria, vtrumque denique sanctitate illustrissimum, & Sanctorum albo solemni ritu inscriptum, & quidem ex suprema vtriusque voluntate, vtrumque in gremio suo conditum, vtrumque præcipuos à morte Ecclesiæ & Diœceseôs Tutelares cooptatos habuisse. Diuos, Henricum Cæsarem, & Cunegundem Imperatricem dicimus, miraculum sanctissimorum coniugum, coniugum Virginum, è quibus illum initio Aquilæ nostræ, iam pridem inter Cæsares nostros laudauimus, in sanctissimorum Monachorum sinu educatum, ab ipso Sanctissimo Patriarcha cœlis descendente prodigiosè curatum, voto solemni Casinatibus Monachis accensum;

Nullus Episcopatus tantopere obligatus nostris.

Eius Conditores Monachi.

S. Henricus Imper.

ipso in Imperio Monachum, Monachorum speculum, sola obedientia & necessitate Augustum; Chunegundem autem similiter celebrauimus, non tam virginem in coniugio, quam Monialem in Imperio, post mariti autem obitum, in eo ipso, quod sibi adhuc Imperatrix texuerat cucullo, in Confugiensi Cœnobio, calcato diademate, nostris virginibus, portentum virginis adnumeratam, vt quæ maiora, quæ rariora, ad Ecclesiæ Dioeceseosque Bambergensis, ab Ordine nostro gloriam, dici seu excogitari possint non videamus.

S. Chunegundis laudes.

Nihil amplius dici potest de Bamberga.

Contulere ijdem Sanctissimi conditores Bambergensibus, ea insuper beneficia ac iura, quæ nulli antea Præsulatui concessa memorantur, exiemtatem ab Archiepiscopis eximiè eximiam, priuilegia rarissima, possessiones ac prædia amplissima; constituitque Henricus, quo nimirum honori, & splendori Bambergensium quam amplissimè consuleret, vt sæculares quatuor Imperij Electores, ipsa ELECTORATVS FEVDA, ab huius Ecclesiæ Pontifice petere cogerentur: quod insigne, & longè præstantissimum beneficium ac Priuilegium, vulgo SERICATVM SANCTAE CHVNEGVNDIS FILVM appellant.

Immunitates à nostris concessæ.

Electoratus feuda à nostris Bambergæ concessa.

Contulit eidem à se fundatæ Ecclesiæ Henricus noster, præter spectatissimas alias Sanctorum Reliquias, vexillum S. Georgij fortissimi Equitis, in maximis Imperij bellis, ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus summo in pretio habitum, memorabiliq. cum solatio, exercitus nostri, tãquam certum probatissimumque tot fortunatis euentibus, Triumphi signum, prælatum; vt si quæ per vniuersum Imperium Ecclesia, Bambergensis certè ista nostris obstrictissima conuincatur. Sed & à mortede condito à se Episcopatu Henricus, bis quasi Fundator praeclarissimè meruit, Brunonemque fratrem, Episcopatus fundationem iam euersurũ, sibique ac cognatis arrogaturum possessiones & iura eiusdem amplissimas, cęlo descendens deterruit, & ab ea temeritate sacrilegioque grauissimis tremefactum minis reuocauit.

Item vexillum S. Georgij.

Bis Fundator S. Henricus noster.

Nec alia iam Monachorum de Bambergẽsibus merita, Scholarum præcipuè celebritatem, *Montis* Diui Michaelis, vulgo *Monachorum*, exundantissimam meritis vbertatem, quin nec Bambergæ eiusque olim Principum per nostri Ordinis homines conuersionem

Montis Monachorum fecunditas.

uersionem memoramus, solum tertium, duobus Bambergæ Tutelaribus Sanctissimum illum Pomeranorum Apostolum Diuum Otthonem nostrum adijcimus, qui perillustri Andecensium Comitum natus familia, illustrissimum eidem decus accessit, suique nominis, tanquam lucidissimi solis radij, non patriam solum, Franconiamque ac Poloniam, sed & Imperium, immo orbem terrarum vniuersum illustrauit.

Tertius Tutelaris Bambergensis, item noster.

Eum Henricus IV. impijssimus licet Imperator, pro eximia tamen sanctitatis opinione religiosissimè coluit, quem &, inuitum licet omnique modo reluctantem, Bambergensium Pontificem renunciauit; & præclarissima oratione legatis illum commendans, hæc inter alia: *Cernitis*, inquit, *quæ sit huius hominis ambitio; duos antea ipsi oblatos Episcopatus ad socios reiecit. Augustanum & Halberstadensem; tertium vero, qua animi humilitate & pertinacia recuset, vos ipsi mihi testes estis* &c. quibus dictis, annulum inserens eius manui, pedoque tradito, inuestitum tradidit Legatis. Sed Ottho Romam profectus, abiectis ad pedes Summi Pontificis insignibus, iussusque resumere, nec sic acquieuit, vsque dum Roma digressus, diei iam vnius confecto itinere, reuocatus à Papa, obedientiæ durissimo præcepto, Pontificatum admittere cogeretur. Præfuit tantis meritis admirabiliq. vitæ sanctitate, vt Diœceseos post obitum Tutelaris adoptari mereretur. Fuit cultor DEIparentis virginis præcipuus, eodemque nomine de Franconia, Pomerania & finitimis Germaniæ prouincijs meritissimus, in quibus nimirum, institutum olim à nostris Psalterij Mariani vsum, quem Diuus Dominicus postea nouo merito orbi restituit, vtilissimè maximo fidelium fructu ac solatio reuocarit. De quo postquam Admirabilem eiusdem Psalterij præconem Sanctissimum Archiducem nostrum BENEDICTVM descripsisset Beatus Alanus de Rupe, insigne Ordinis Prædicatorum sydus, & magnæ Matris Cancellarius, ista mox subijcit. In illa, inquit, exercitatus perfectusque Schola, „ Sanctus Ottho, in Ecclesiæ præsidiũ, ac Fidei proferendæ incremen- „ tum, à DEO ad Episcopatum, adeoque Apostolatum euocatus, „ Slauia tota, cum Fide Christiana Psalterium prædicauit, quo no- „ uella plantatio ad Christum Christiq. Matrem, precum suarum „ veluti debitum pensum reddere docta consuescebat. Quibus „

Eum quanti Henricus IV Imper. faciat.

Cogitur esse Episcopus.

Deipara cultor præcipuus.

Psalterij Mariani propagator S. Ottho.

Vsus per netustus gestandi Psalteria.

„ prædicabat, orare, & ſic eos orare, condocebat: quos bapti-„ zabat, eos & Pſalteria ſecum quaquauerſum ad orandi aſſi-„ duitatem capeſſendam circumportare iubebat. Quæ cępta pia „ conſuetudo, ad omnem retro valuit poſteritatem, vt hoc ipſo „ etiam tempore, vtriuſque ſexus viri ac fęminæ, cuiuſque gradus „ & ætatis è collo ſuſpenſa torquis inſtar gerant Pſalteria, &c.

Inſignis inde gloria etiã ad Ecclesiam Bãberg ſpectat

Hucuſque Alanus vir ſanctiſſimus; vt hanc etiam propagandi, immortali merito, Pſalterij laudem, in Otthone Epiſcopo & Tutelari ſuo, in ſe quoque deriuatam Bambergenſis Eccleſia, inter præcipua ſua numeret, & Otthonem, Deiparæ cultores vniuerſi, haud immerito ſpecialiſſimè adament & venerentur tam mirificè ſalutaris orbi Chriſtiano orationis promotorem.

Initia & fortunã omnẽ noſtris debet Herbipolis.

Apoſtolus Franconiæ S. Chilianus

Ducem ipſum conuertit.

Tutelaris eligitur.

Epiſcopatus dicitur Patrimonium S. Chiliani.

HERBIPOLENSIS Epiſcopatus longè potentiſſimus atque ampliſſimus, omnem æquè fortunam ac gloriam, ſed & initia ipſa, ſeq. ipſum noſtris debuit; eo etiam cæteris felicior, quod primum ac Principem Franconiæ vniuerſæ APOSTOLVM & TVTELAREM Sanctum CHILIANVM noſtrum, Hiberniæ Regis filium, Huenſem Monachũ, præcipuæ beatitatis ſuæ poſt DEVM auctorem habuerit; vt qui Franconiam vniuerſam, è poteſtate Principis tenebrarum ereptam, & in veram Fidei lucem aſſertã, profligato dęmonum cultu, ipſoque Franconum Duce Goſberto conuerſo ac baptizato, ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ aggregarit, quin & Regio ſuo ſanguine, cum lectiſſimis ſuis diſcipulis, purpurarit, & vt ornatiſſimam, ſic fęcundiſſimam reddiderit. Et quamuis incertæ is Sedis Epiſcopus fuerit, ad CONVERSIONEM, vt vocant, *gentium* ordinatus, tantum tamen, & merito, apud poſteros tanti Apoſtoli & Martyris nomen potuit, vt & Pontificatus, poſt ſexaginta ſex ab eiuſdem obitu annos conditi præcipuus TVTELARIS deligeretur, & ipſe etiam Epiſcopatus ab eodem cognominatus, pulcherrimo ſanè, & conuenientiſſimè meritis noſtrorum titulo PATRIMONIVM SANCTI CHILIANI vocaretur.

Ipſe Epiſcopatus initia & omnia noſtris debet.

Cæterum Epiſcopatus ipſe poſtea primùm, vt diximus, conditus, initia item ſua omnino Monachis debuit, non ſolum in ſanguine Chiliani noſtri primũ fundatus, ſed à Magno illo Germaniæ vniuerſæ Apoſtolo, primoq. Moguntinenſium Archiepiſcopo Bonifacio noſtro, auctoritate Sancti Zachariæ, item noſtri Ponti-

Pontificis Maximi, primùm institutus, & à Sancto Burcardo similiter nostro, Muschellensi in Anglia Monacho, Regij sanguinis viro, & Sancti Bonifacij cognato, primùm inchoatus. Vt de tantis Auctoribus suis, fortunatissimus, auspicatissimi principij successuûq. Pontificatus, nunquā sibi satis gratuletur glorieturq.

S Burcardus noster prim. Episc.

Ecce quanti auctores Episcopatus

Detulit tantum Sanctitati primi Episcopi, Burcardi nostri, Pipinus Princeps, eiusque filius Carolus, quem à factis postea Magnum Orbis compellauit, vt pari vterque consensu, plus quam regia donatione, tanto Pontifici, successoribusque ad omnem posteritatem vniuersis, ipsum Franciæ Orientalis amplissimum Ducatum, liberrimè donarent & Episcopatui, vt vocamus, plenè *incorporarent*; meritis Burcardi vt assignet sera Principum Pontificum posteritas, tantopere rationes suas auctas, cumque amplissimi Pontificatus iuribus, tantum iuxta fortunæ, potentiæ maiestatisque in sese deriuatum ac deuolutum.

Quanti fiat Burcardus.

S Burcardo donatur Frāconiæ Ducatus.

Memorabilis ille plausus, quocum, eidem primo Episcopo suo, Franconia vniuersa occurrit, cum eum à S. Zacharia Papa Romæ ordinatū, Magnus Bonifacius noster Herbipolim deduceret, ingenti siquidem vterque vicinorum vndique confluentium occursu exceptus est, acclamantibus vniuersis: *Venite Patres, venite serui DEI excelsi, venite liberatores animarum nostrarum, augmentate Diuini verbi semitam, à Beato Chiliano olim nobis monstratam, quo vomere sermonum vestrorum, exculta tellus nostrarum mentium, dignos queat ferre fructus prouentuum* &c.

Quāto plausu exceptus Burcardus.

Insignis gratulatio.

Construxit plurima templa passim & Monasteria, præfuitque ac profuit mirificè Franconiæ suæ Burcardus annos omnino quadraginta, Scholis cumprimis celeberrimis institutis, quibus ipse & Monachi sanctissimi præessent, è quibus ingens cùm Franconiæ tum Germaniæ vniuersæ fructus prodijt, diuersis inde ad diuersas Cathedras, & Pontificios honores, summo & Burcardi, & Herbipolis, & Ordinis cum vniuersi honore expetitis. Eleuatus eodem auctore è tumulo solemni ritu S. Chilianus noster, & à Pontifice Maximo Sanctorum albo adscriptus, qui ipsi etiam Burcardo post mortem honos obtigit, idemque æterna cum Ordinis nostri gloria, secundus à Chiliano Ecclesiæ, Diœceseos & Franconiæ vniuersæ PATRONVS est cooptatus.

Scholæ Burcardi.

Fructus maximus.

Secundus Franconiæ Patronus.

Mirum demissi animi exemplum.

Mirum illud demissionis exemplum, quo se tantus Episcopus idemque primus Franconiæ Dux Sacerdos, commendauit, cum neque APOSTOLICIS tantis suis meritis confisus, sub Pontificali onere, vitam ponere est ausus, sed eo abdicato, annum vitæ supremum, in Hohenburgensi Cœnobio exigere voluit, ibidemq. Monachicis exercitijs totum denuo DEO se consecrans, miraculorum illustratus gloria, plenus dierum ac meritorum decessit.

B. M Maingutus secundus Episcopus.

Monasteriũ repetit.

scholas instituit.

Nec alios iam memoramus, è Monachis eiusdem Sedis Episcopos, meritis omnes grauissimis illustrissimos, è quibus Beatæ memoriæ Maingutus Comes Rotenburgius ad Tubarum Abbas Neostadensis, proximus Burcardo successor, proximus vt dignitate, sic vitæ exemplo fuit, quã & ipse abrumpere in Cenobio suo maluit quã in Principatu, ad quod velut salutis securissimũ portum se recipiens, Pontificatũ præsente S. Vvillibaldo nostro primo Eistettensium Pontifice liberè resignauit, cumque in Cœnobio suo Neostadiensi insignes Scholas instituisset, non multo post mortuus ad præmia æterna euolauit, cuius corpus Herbipolim reuectum, & prope sepulchrum magistri conditum fuit, nequid Ecclesiæ illi ad cumulum thesauri deesse videretur.

E diuersis Cœnobijs expetuntur Episcopi.

Insignes Episcopi.

Constantia Adalbenonis Episc.

Meruere & alij è nostris Episcopi plurimum, pro ipsa vitæ dignitate è remotis etiam Cenobijs expetiti, vt ex Altaichensi Godeboldus, D. Mainguti ex sorore nepos, è Neostadiensi rursum Theodo, siue, Thiedo, ex Hersfeldensi Burcardus, qui duo proximi, Basilicam Cathedralem, maximis mole ac sumptu cõstruxerunt, vt is quoque splendor nostris debeatur; è Monasterio Sancti Andreæ nouo Bernvvardus, Hirsangiensis cæteroquin Monachus, Comes Rotenburgius, Pontifex Religiosissimus, è Cenobio Lambacensi Adalbero Comes à Laymburg, siue Laimbach & Scherdingen, qui velut Athanasius Magnus pro sua in Matrem fide exagitatus, cum Romanam Ecclesiam pro virili tueretur, sede sua ab Henrico impio Cæsare pulsus, restitutus, iterumq. detrusus, in Cenobio suo consenescere maluit, neque vnquam deinceps, quamuis summo cum honore reuocatus, Cenobio extrahi potuit: cuius etiam exemplum imitatus, Ruckerus Comes à Vaingen vigesimus sextus Herbipolensium Pontifex, Svvarzachense item Cenobium Principatui prętulit, & hoc abdicato, in eo salutem & beatitatem æternã quæsijt.

Vt

Vt nihil porrò de alijs nostrorum ea de Cathedra meritis dicamus, quæ Monachorum, eorumdemque Cathedralium Canonicorum multo tempore fuerit, cuius etiam veteris tam Sancti Instituti, ac disciplinæ habitusque etiamnum reliquiæ, in hodierno etiam Canonicorum Collegio, quamuis obsoletæ admodum, & mancæ perseuerant.

Monachi Cathedrales.

VVORMATIA omnino diutissimè nostra, quotquot aliquandiu Episcopos, quotquot Canonicos Cathedrales, eosdem & Monachos, & quidem absolutissimos perfectione, & dotibus habuit; eo tamen vno infelix, quod quem præcipuum è suis Episcopum, & à morte Patronum habere debuisset, Sanctum Rupertum nostrum, primum postea Salisburgensium Pontificem, Magnum Baioariæ Apostolum, indignissimè publico supplicio Virgis cæsum vrbe eiecerit.

Vvormatia omnino nostra diutissimè.

S. Rupertus Episcopus Vvormat.

Habuit nihilominus eam paulo post à Numine gratiam Vvormatia, vt simillimum illi, quem reiecerat, acciperet, multarum gentium magnum Apostolum, Sanctissimum Amandum nostrum, Sereni Aquitaniæ Ducis filium, Lirinensem Monachum, qui Princeps sanè Vvormatiensis Cathedræ gloria, non admirabili solùm sanctitate mirificè eam exornauit, sed & meritis alijs maximis eamdem demeruit, adeo quidem, vt alter eius Fundator celebrari debeat, in cuius nimirum gratiam, Dagobertus Rex, ipsam plurimum sublimarit, & regia munificentia dotarit atque ditauerit.

S. Amadus Episcopus Vvormat.

Alter Fundator Episcopatus.

Cætetùm, & ipse, corpore tamen potius, quam animo, vt pluribus consuleret Vvormatienses deseruit, & Apostolico zelo flagrantissimus, plurimis consulendo prouincijs, vt sibi demum consuleret, sub extrema vitæ, ad Elnonense Sanctissimum Cœnobium secessit, Monachicisque, velut Tyro Religiosus, exercitijs se totum deuouens, vocantem Dominum ibidem in iugi cordis præparatione expectauit. Quem à morte, parochiali in honorem eius condita Basilica, summo, vt debuerant cultu prosequuti, Tutelarem sibi cooptarunt.

Tutelaris cooptatur.

Præfuerunt, & alij deinceps Vvormatiæ ex Ordine plurimi, è Cathedrali nostrorum Collegio, quod ad annum vsque Christi millesimum quadragesimum Monachos solos habuit, ad Pontificatum assumpti, & eruditionis, & sanctitatis fama spectatissimi,

Nulli alij Episcopi quã Monachi multo tempore.

mi, nonnullis tamen, quod ſumma eos virtus commendaſſet, etiam aliunde petitis, adeo ſolliciti ſemper noſtri, eos domui Dei præficere, non quos propriæ Eccleſiæ gremium fouiſſet, ſed quos præ dignis digniores ac digniſſimos iudicaſſent, abſque vlla ambitionis nota deligentes.

Samuel Epiſcopus. Horum Samuel, è Monaſterio Lauriſſenſi, cuius Abbas erat vocatus, & eximia eruditione, & pietate, necnon meritis grauiſſimis Vvormatiæ ſe commendauit; Beatus Anno, ex Abbate Bergenſi Vvormatienſium creatus Pontifex, inſigni vitæ ſanctitate multo illuſtriorem Cathedram reddidit, qua ipſa, multo plus eidem, quam quiſquam alius induſtria, & multis longiſque laboribus profuit, quando in eius gratiam (ſicut in Diui Amandi Dagobertus) Ottho Magnus Imperator Eccleſiam plurimum locupletauit, & ſublimauit.

B. Anno Epiſcopus.

In eius gratiam locupletatur Epiſcopatus.

Adalbero Epiſcopus. Adalbero è Monaſterio Sancti Galli poſtulatus, Rudolphi Rheinfeldenſis, Imperatoris Romani frater, non ſine ſanctitatis opinione, & ipſe decedens, vel eo inprimis titulo decus longè maximum Vvormatiæ addidit. Ebbo ex Lauriſſenſi Monacho Vvormatiæ Epiſcopus, & ipſe laudatiſſimus, iuxta Epitaphij funebrem commendationem:

Ebbo Epiſcopus.

Præſulis, & partes, ſanctaſque exercuit artes
Vnde beatorum ceſſerunt Regna Polorum, &c.

S. Burcardus Epiſcopus. Sed omnium ferè Præſulum Vvormatienſium, dignas Præſule partes ſolus expleuerit Sanctus Burcardus noſter Labacenſis Monachus, admirabili iuxta, & eruditione, & ſanctitate tota Europa ſpectatiſſimus, Otthoni III. Henrico II. & Conrado II. cuius pueritiæ præfectus fuerat, inprimis charus, Vvormatiæ non ſolum, ſed orbi vniuerſo, ſeræque ſeculorum omnium poſteritati vtiliſſimus, rariſſimum Germaniæ noſtræ, & Aquilæ Imperialis decus; cuius immortale illud de Orbe meritum, vt & præſtantiſſimi ingenij monimentum perenne fuit, magnum illud, & celebre Decretorum Opvs, quod ex ſententijs Patrum, & Generalium Conciliorum, necnon Summorum Pontificum decretis, vtiliſſimè ac ſubtiliſſimè concinnans, viginti omnino libris complexus eſt, maximo cùm Eccleſiæ commodo, tum Ordinis Monachici ornamento; cuius tamen gloriæ haud minima pars, ad Vvormatienſes, tanquam à ſuo capite deriuetur.

Aquila noſtra ſingulare decus.

Opus Decretorum ſummo orbis bono ſcribit.

Fuit

Fuit idem ALTER omninò VVORMATIAE CONDITOR, quam incuria hominum, iniuria temporum ac hostium collapsam, æterno cum merito præclarè restituit, eius ab omni parte muros denuo restaurauit, fossis dein, turribus, ac propugnaculis contra hostium barbarorum insultus egregiè communijt: magnificum Canonicorum Sancti Pauli Collegium condidit; sed & alterum Sancti Andreæ inchoauit, atque alia præclara multa instituit, fecit, sanciuit, summo cum Imperij, & Imperatoris denique luctu, mortalibus præreptus, cum mortis imminentis minimè ignarus, Conrado Imperatori, minimè tunc fidem oraculo habenti, supremum se valedicere prædixisset, quo cum obeunte fortuna iuxta Cæsarem, & Imperium deseruisse videbatur. Reliquit tantus Pontifex à tot Cæsaribus toties regia liberalitate muneribus cultus, præter tres denariolos, nullum argenti scrupulum hæredi, cum in pauperes, verus eorumdem pater, omnia pridem profudisset. Sorori tamen clauem scrinij, quo recondere opes vulgo ferebatur tradidit, in quo præter cilicium setis horridum, & cingulum ferreum, à frequenti vsu attritum, & splendescens, amici attoniti nihil reperere: qua tamen hæreditate beatiores sibi, quam auro, & gemmis haud immerito viderentur.

Alter Vvormatiæ Conditor.

Vrbem restaurat.

Mortē prædicit.

Ecce veri Episcopi hæreditatem relictam.

Fuit Burcardus frater Beatorum Annonis, de quo supra, & Hildeboldi, è Cathedrali, vt videtur nostrorum collegio assumptorū, eiusdem Sedis Episcoporum, vt vel hac sola trium Sanctorum, eorumdemque Monachorum, spiritu, carne, & merito germanorum, raro euentu, gloria, si nihil porro à nostris suppeteret, gloriosissima Vvormatia immortaliter plaudat ac triumphet.

Tres fratres Monachi Episcopi sanctitate celebres.

SPIRENSIS CATHEDRA, Monachis nostris non minus, quam cæteræ omnes per Germaniam, debuit; vt à quibus ipsi honor, decus splendor, opulentia, præcipua quæque, largissima quasi inundatione profluxerint, & quæ aliquot sæculorum decursu, non alios ferè Episcopos, quam Monachos, imo ipsum Cathedrale Collegium è solis collectum Monachis habuerit. Subrogauit tamen Sanctissimos plerosque, & meritissimos Spiræ Episcopos, celeberrimum illud nostrum Vveissenburgense Monasterium, post tanta demum merita in direptionem traditum,

Spira quid debeat.

Cathedrales Monachi.

Vveissenburgense Cœnobium meritissimū malè luit.

tum, & mensæ, vt vocant, Episcopi incorporatum, quod Princeps Spirensis Ecclesiæ fundamentum, & fulcrum, eiusdemque Episcoporum Promptuarium seu alueariúm tot sæculis habebatur. Ex Episcopis nostris paucos, & qui celebriores fama, & spectatiores meritis occurrunt memoramus; PRINCIPIVM inprimis, verè inter meritos Principem, è memorato Cœnobio ad Cathedram Spirensem extractum, Sigiberto Regi, ob eximias virtutes, & spectatissima merita commendatissimum, qui & in gratiam eiusdem, Pontificatum eumdem eximiè coluit, amplissimis Priuilegijs extulit, & regia munificentia plurimum locupletauit, aliaque inter, Principio decimas omnium victualium, in amplissimo Nemetum agro prouenientium donauit. Ex eodem Vveissenburgensi Cœnobio postulati Tragebodo, & Dauid, Abbates præstantissimi, vterque, & sapientiæ, & pietatis laudibus è Pontificia specula dignissimè refulsit. Amelricus eiusdem Cœnobij Monachus, & Spirensis Episcopus, præter alia merita, relictis pulcherrimi ingenij monimentis immortalem se reddidit. Euerardus siue Gebhardus, inde etiam extractus, ne quid ad gloriam Spiræ deesset, suo etiam sanguine Cathedram nobilitauit, à Bernardo, & Conrado Comitibus indigne trucidatus, quod hæreditatem sibi quasi præreptam, & Spirensi Ecclesiæ legatam quererentur.

Principius Episcopus.

In eius gratiã dotatur Episcopat⁹.

Tragebodo, & Dauid Episcopi.

Amelricus Episcopus.

Euerardus Episcopus.

Sãguine Cathedram ornat.

E specula eadem summo fulgore, velut lucerna ardens, & lucens, præ cæteris etiam Beatus Reginobaldus emicuit, genere sanctitate, & eruditione illustrissimus, è Comitibus Kyburgi oriundus, in cuius gratiam Episcopatus decimis, reditibus, vectigalibusque liberalissimè donatus, facultatem item cudendæ monetæ accepit, & iura amplissima, atque immunitates obtinuit.

B. Reginbaldus Episcopus.

Godefridus è Vveissenburgensi Monacho Episcopus, vir doctissimus, Religiosissimus, & vtilissimus, summum sui desiderium moriens apud Nemetes reliquit.

Godefridus Episcopus.

Odogarius siue Ottgerus, Monachus Hombacensis, vir incomparabilis, toti Imperio vtilissimus nedum Spiræ suæ fuit. Eius opera, cum & sapientia, & rerum gerundarum dexteritate mirandus esset, Ottho Magnus Imperator, in negotijs Imperij maximis vsus est: cui vt gratiam referret, Cathedram

Odogarius Episcopus.

dram eius Spirensem plurimum extulit & locupletauit, OMNEMQVE IVRISDICTIONEM VRBIS NEMETVM ipsi ac successoribus plenissimè possidendam tradidit.

Ei donatur Spira.

Vverimbaldus, vel pro modestia nominandus, & cæteris præferendus, Monachus Hirsaugiensis sanctissimi Cœnobij, vir doctissimus & Religiosissimus, mortuo Orgario electus, mira contentione Episcopatus honorem à se amoliens, euicit tandem, & alterius eligendi auctor extitit.

Vverimbaldus Episc.

Rupertus Vveissenburgius Asceta, maiorum imaginibus & propria virtute clarus, varia insuper doctrina conspicuus, Cæsari Otthoni tertio charissimus fuit, cuius amicitiæ fructus Spirensis Ecclesia vberes tulit, magnis ab Otthone possessionibus aucta & locupletata.

Rupertus Episcopus.

Sed & alterum Reginboldum, sanctitate pari Spirensis Cathedra meruit, è Sancti Vdalrici Vindelicorum Cœnobio extractum, cuius merita, ne sola Spira cantaret, cœlum ipsum, grandibus à morte miraculis orbi commendauit.

B. Reginboldus II. Episcopus.

Einardus Comes de Catzenelenbogē è Limburgensi Abbate Nemetum Pontifex, ingenij monimentis spectatus, cum consilio & ope Henricum Cæsarem sæpe iuuasset, amplissimum munus, Creuzenacensem villam, cum omni iure ac proprietate accepit, & successoribus reliquit.

Einardus Episcopus.

Gebhardus Comes ab Aurach, ex Abbate Hirsaugiensi, Episcopus, adeo charus Nemetibus fuit, vt ad Cœnobium fugientem ipsi retraxerint, nec ægerrimum quidem sibi abesse voluerint.

Gebhardus.

Gebhardo Bruno Monachus Limburgensis successit, vir sapientissimus, huic Stephanus Corbeiæ Monachus & Abbas, vterque Henrico Cæsari dilectissimus, quorum opera Spirensis vrbs atque Episcopatus à multis grauaminibus libertatem & immunitatem acceperunt.

Bruno & Stephanus Episcopi.

Vltimus ex nostris Nemetum Pontifex Lambertus à Buren fuit, Abbas Gengebacensis, tanta auctoritate vir vt eo haud minimum Carolus IV. Imperator Augustus & Imperium niteretur, vt eo facile intelligas, quantum inde splendoris & Spirensi, & pluribus Elccelijs, ad quas expetitus fuit Lābertus, accesserit, nihil vt porro, de innumeris alijs Monachorum de Sede Spirensi

Lambertus Episcopus.

Sanctissimi Cœnobij Hirsaugiensis merita.

meritis memoremus, quorum solum Hirsaugiense sanctissimum Cœnobium, Nilum, vt sic dicamus integrum in agrum Nemetensem deriuauit, & Vrbem ipsam, cæteroquin corpore ac patrocinio Sancti Guidonis nostri Pomposiæ Abbatis, supra omnia omnium Cæsarum sepulchra, beatissimam, multo illustriorem opulentioremque reddidit, de quo Sanctissimo Cœnobio inferius suo loco, denuo erit mentio facienda.

EPISCOPATVS

Argentinensis. Eichstettensis. Augustanus. Constantiensis.

Argentoratum totum se nostris debet.

ARGENTORATVM, tanti nominis Vrbs, initia sua, seipsam nimirum, & quidquid floris, fortunæ, & gloriæ habet, ad Monachos omnia, ceu ad fontem referre etiam nolens cogitur, eo ipso olim summè gloriata dum pietate floreret, quo hodie erubescit, grauissimis decepta ac deprauata erroribus, furijs in Matrem Sanctissimam Romanam Ecclesiam concitata.

Vastitas Argentinæ.

Fuit quidem antiquissimum Argentinæ nomen, & ante Christi in terris incunabula celebre orbi, sed quod Attilæ postea furor omnino extinxerit, ita vt tantæ Vrbis vix ruinæ, nulli omnino ciues superessent, nec nisi mera & lugubris vastitas, cum per suos Archidux noster BENEDICTVS orbem lustraret, & Germanias purgaret, toto Argentinæ agro videretur.

In eius ruinis condunt nostri Cœnobium.

Struxere primum nostri, faciem loci miserati, an potius singulari Numinis impulsu, vberem illic fructum tanquam è promptuario Alsatiæ destinantis, Ecclesiam & Cœnobium, cui non multo post optimi quiuis, quos ab insano dæmonum cultu nostri vendicauerant, ædes aliquot addidere propiores vt patribus suis & patronis filij & clientes essent, quarum numerus cum deinceps augeretur, muro, cum ipso clausæ Monasterio, in oppidum primùm, in vrbem dehinc toto Imperio spectatissimam & celeberrimam excreuere. atque ita denique, EX OPPIDO CŒNOBIALI, ait Renanus, *nam Cœnobium potior pars erat, contractis eo vicis proximis, tanta posteriori tempore vrbs est constituta*, vt si nihil porro de Argentina nostrorumque meritis, satis tamen modo dixisse videamus.

Accrescit Cœnobio oppidulum,

Mox maxima ciuitas.

Illud

Illud autem multo illuſtrius; non Argentinæ ſolùm confluentes paulatim, & deinceps turmatim ciues, ſed & tractum eius regionis ampliſſimum, Chriſti fidem noſtrorum opera ſuſcepiſſe.

Argentinẽſis tractus à noſtris conuerſus.

Iſtud ad cumulum meritorum longè ampliſſimum, ſpectatiſſimam item Argentinæ Cathedram à noſtris originem, haud aliter atque vrbem ipſam, habuiſſe, quam quidem deinceps noſtri, ad eum, quem hodie miramur, & multo etiam ampliorem florem ac ſplendorem euexerint, cum plurima poſtea, quæ Monachi ſuo ſudore, & meritis compararunt, poſteri luxu ac licentia effuderint dilapidarintque, ingrati denique ciues, & apoſtatæ, ſceleratiſſimè detraxerint. Ex noſtris eius Sedis Epiſcopis, meritis ſpectatiores nonnullos, præcipua eiuſdem ornamenta numeremus.

Cathedra Argentinenſis à noſtris principium.

Primus Argentinenſium Pontifex Sanctus Amandus noſter fuit, Lirinenſis primum, tum Ogienſis Monachus, Sereni Aquitaniæ Ducis filius, vt genere, ſic admirabili vitæ ſanctitate Illuſtriſſimus. Magnus Alſatarum, Tungrorum, Eburonum, Brabantorum Apoſtolus pro meritis appellatus, de Germania non ſolum, quæ tunc Galliarum Regibus parebat, ſed & de Gallia meritiſſimus, Rege Dagoberto, poſt grauiſſimas ab ipſo toleratas iniurias, & diuturnius, octennij nimirum, exilium, ad meliorem frugem reuocato, tanto quidem ſucceſſu, vt non ſine ſanctitatis opinione deinceps viueret Dagobertus, eaque moliretur, quæ Reipubl. Chriſtianæ præcipuo, & firmamento, & incremento eſſent, vt ea ad Amandum iuxta noſtrum omnia referenda videantur.

Primus Epiſcopus S. Amandus noſter.

Quantus Apoſtolus.

Eius exiliũ.

Ampliſſimũ meritum.

Retulitque præmium pietatis Dagobertus, conceſſo à Numine filio hærede precibus Amandi, qui ab hoc baptizatus, cum adſtantium nemo Pontifici reſponderet, ſolutiſſima inſigni miraculo lingua, audientibus vniuerſis, infans minimè infans, in verbum AMEN diſertiſſimè prorupit. Vt facilè ſit ominari, quanti deinceps Dagobertus Amandum faceret, quanti facere, tantum Diuum, & primum Epiſcopum ſuum, & Apoſtolum, & Tutelarem Argentina etiam hodie deberet; niſi cum pietate frontem exuiſſet.

Inſigne miraculum.

Primus Epiſcopus, idem Apoſtolus, & Patron⁹.

In eius gratiã dotatur Eccleſia Argent.

Dotauit in eius gratiam, Regia liberalitate nouum Argenti-

næ Pontificatum Dagobertus, & maximis Priuilegijs exornauit, quæ omnia Amando primùm accepta referre sera posteritas debet, præter plurima alia, ab eodem Tutelari suo bono publico facta, & instituta.

Secundus Episcopus idemq; Patronus Argentinæ S. Arbogastus. Successit Amando Arbogastus, vir sanctissimus, Hybernus Monachus, seu, quod alij volunt Aquitanus, idem vt alter Argentinensium Pontifex, sic à morte secundus item Tutelaris, æterno cum Ordinis ornamento adoptatus. Meruit de Argentina modis plurimis, vt & de Alsatia vniuersa Pontifex dignissimus, Apostolico inprimis labore, vnde alter Alsatiæ Apostolus, & Hagenoæ inprimis vicinorumque est appellatus. *Alter Alsatia Apostol°.*

Rarius illud, è plurimis alijs grauissimisque miraculis, quibus viuum, & mortuum Numen commendauit, quando Sigebertum Dagoberti Regis filium ab apro in venatione percussum, & interfectum, insigni merito, & incredibili totius Regni gratulatione, à mortuis excitauit; quo ipso loco celeberrimum, indeque ab apro cognominatum, Ebersheimense Monasterium Ordinis nostri Dagobertus condidit, & in gratiam Arbogasti Rufachium cum omni ditione, Argentinensi Ecclesiæ donauit; inuidenda vsque hodie multis Regibus, sed reuera tantis meritis debita donatione. Nec silenda, stupenda admodum tanti Pontificis demissio, vt qui moriturus, nec communi quidem Christianorum sepultura se dignum iudicaret, verum sub patibulo sepeliri vellet, eoque suos adiuratos adigeret; qui tamen paulo post locus, prodigijs cælestibus illustrissimus, condita in honorem Arbogasti basilica ornatus est, cumque incrementis Cœnobij, vt diximus, & vrbis accrescentis, ijsdem quoque muris inclusus est, propagandæ eousque, & amplius vrbis omino- so vtique signo, & illustrissimo certè monimento.

Filium Regis à morte suscitat.

Arbogasto Rufachium donatur.

Mira eius humilitas.

Vrbis dilatatio.

S. Florentius Tertius Episcopus. Tertius Argentinensium Episcopus, fuit Sanctus Florentius Scotus Monachus, ea sanctitatis nota iam ante Pontificatum notus, vt ad ipsum virtus eius omnes vndecumque feras siluestres attraheret, turmatim cogeret, voluntati eiusdem pro libitu parituras. Innotuit & ipse Dagoberto Regi, haud impari quā Antecessores prodigio, cum ad aulam euocatum Regis filia Rathildis, ex vtero matris orba luminibus, & muta, nunquam antea notum seu auditum, ex Nomine compellauit, cumq; loquendi de

Insigne miraculum.

cæte-

cætero facultate, etiã visum meruit. Ille autem alloquuturus Regem, cum non haberet cui pallium commendaret, ipsum solari in radio suspendit tamdiu, quousque absoluto colloquio illud ipse reciperet. Ex quo item æstimes licet, quanti hunc Dagobertus fecerit, quantumque inde ad splendorem non tantum, sed & rationes Argentinensium accesserit.

Vnde rationes Episcopatus aucta.

Successere Sancti Iustus & Maximus, seu Maximinus, vterque è Monasterio Vallis Gregorianæ petiti, viri sanctissimi, eoque nomine ab ipsis etiam inuitis hæreticis nostræ ætatis Scriptoribus appellati, quibus, præter alios aliunde postulatos, ex eodem Cœnobio, plures diuersis temporibus Etho vel Ottho, Sanctus Remigius, seu Remedius, Ratho vel Recho, plerique Abbatum prius honore insignes subrogati sunt, omnes omnino nulla ambitione sua, vel pro humano, vt sacri loquimur, respectu, sed pro eximia sanctitatis opinione, siue eruditionis aliorumque meritorum magnitudine, ad capessendum onus Episcopale vocati, & extracti. quo factum vt mirum in modum Ecclesijs consuleretur, cœloque ac terris earumdem dignitas vtilitasque promoueretur.

SS. Iustus, Maximus, & Remigius Episcopi.

Quanti Episcopi.

Cæterum è reliquis nostrorum de Argentinensi Cathedra & Diœcesi meritis, haud impar primis & maximis illis, Aleuuici Augiæ Diuitis Monachi, Comitis, nisi fallimur, de Sulz, meritum fuit, qui cum ad eam sedem, vt erat dignissimus, euectus esset, tantum auctoritate & gratia apud Diuum Henricum Cæsarem potuit, vt plenum dominium amplissimæ tunc Vrbis Argentinæ, Ecclesiæ Cathedrali, sibique ac successoribus traderet. qua quidem accessione, modo seruassent posteri à Monachis parta, vix quisquam suggesserit, qua ratione melius Præsulatui amplissimo consuli potuisset. Vt satis, imo nimis, quia prolixius, dixisse de Argentina opinemur, & ab alia aliorum commendatione manum & calamum retrahamus.

Aleuuici Episcopi meritum.

Ei Argentoratum à Cæsare donatur.

Eichstetensis Episcopatvs, & Vrbs similia omnino quæ Argentinensis initia, progressus ac successus, omnia à Monachis habuit; vt miremur sæpius mirandam omnino sanctissimi Imperatoris nostri BENEDICTI tot Vrbium Conditoris, Restauratoris, verè Gentium Doctoris & Apostoli, Dæmonum, & Barbariei triumphatoris inuictissimi felicitatem, Ordinis amplissimi,

Eistettensis Cathedra, & Vrbs nostris seipsas debet.

plissimi, tanta Pontificum & Apostolicorum virorum copia ditissimi, prodigiosissimam fertilitatem.

Tres earundem Tutelares omnes nostri Ord. & quidem fratres germani.

Tres Tutelares proximos à DEIpara cultu præcipuo Eistettensis Ecclesia, & Diœcesis tota veneratur, eosdem Monachos omnes Archiparentis nostri BENEDICTI filios, & quod rarius omnino, & ad ornamentum Ecclesiæ atque Ordinis singulare est, eosdem, vt vitæ professione, sic carne & sanguine fratres germanos, Regio genere editos, Diuos Vvillibaldum, Vvunibaldum, & Vvalpurgem, admirabili sanctitate, meritis & miraculis longè illustrissimos; vt hac tam eximia prærogatiua, inter Episcopatus Germaniæ, Eichstadianus præcipuè emineat, suamque ipse demiretur beatitatem.

Insignis prærogatiua.

Episcopatum ipsum, primus instituit Archiapostolus ille Magnus Germaniæ, toties laudatus & nominatus Bonifacius noster, primus Moguntinensium Archiepiscopus, qui cùm ipse, tum per discipulos vicinum illum tractum, vt agrum Germaniæ vniuersum, summo labore excoluit, multisque sudoribus consecrauit, donec ab immensitate ferè lolij, & veprium, eum expurgaret, & è potestate dœmonum ereptum Ecclesiæ & cœlo vendicaret.

Episcopatus Author S. Bonifacius.

Primus Episcopus S. Vvillibaldus

Primus Episcopus ab eodem delectus, præfatus Vvillibaldus fuit, eiusdem in immensitate laboris Apostolici fidelissimus socius, & ex sorore nepos, Vvaltheimensis, Casinensis postea Monachus, quem *Confessorem officio, studio & multorum annorum laboribus Martyrem* appellat vetustissimæ vitæ Scriptor. Vt hæc quoque Cathedra, & originem suam, & primum suum Episcopum, eundem & Apostolum, & Vrbis suæ Conditorem, ac denique magnum & principem Tutelarem Ordini nostro debeat, tanta tamque multiplici ratione in vno Vvillibaldo nostro, immortaliter BENEDICTO Archiparenti nostro obligata.

Elogium insigne.

Idem Episc. 1. Apostolus Tutelaris, & vrbis cōditor.

Demeruere eamdem proximi meritis, Tutelares, vt diximus, reliqui duo eiusdem germani fratres Vvuinibaldus Heydenheimensis Abbas, & Vvalpurgis soror Abbatissa sanctissima, vt haud immerito, nec vnius solum Diœceseos, sed plurium per Germaniam, etiam inferiorem seu Belgicam PATRONI deligerentur, quorum Vvunibaldus gloriosissimo THVRINGORVM APOSTOLI Titulo, illustrissimus, haud minimum etiam decoris,

Reliqui duo Tutelares.

S Vvunibaldus Thuringiæ Apost.

ris, recens ſurgenti ad nouam Cathedram Eiſtettenſi vrbi, attulit, ſed multiplicibus inprimis, cùm viuens tùm moriens, & prodigioſis quidem beneficijs accolas etiam omnes deuinxit, à tanta miraculorum magnitudine latè celebratus, vt plurimi vndecunque confluerent, cuius vel ſolo quidem baculi contactu varia morborum genera prodigioſiſſimè ſunt propulſata.

S. Vvalpurgis tertia Patrona.

Vvalpurgis inprimis memorabile vt mirabile, & ęternum meritum, quo ſacrum regium & virgineum eius corpus, ſtupendo omnino prodigio, FONS OLEI IVGITER MANANS, ſtillat vſque hodie è pectoralibus maximè, ſalutarem ſupra omnes Europæ prodigioſos fontes & miracula liquorem, qui cæcis lumen, ſurdis auditum, claudis greſſum, prodigioſiſſima ope ſæpe contulit, quo quidem vix mirabilius quidpiam Germania, nedum Aichſtadium habere videatur, adeo tuente dignitatem ſuam ipſo oleo, vt ſi vel ipſa etiam vaſa pro eius receptione indebitè diſponantur, guttæ (quod eſt prodigioſiſſimum) in modum botri, ne extra debitum cadant locum, mirè cohæreant; ſicut & euaneſcere etiam cautè cuſtoditus ſolet liquor, ſi minus honeſto vaſe aut loco, ſiue à peccato graui, libidinis maximè, obnoxijs, aſſeruetur.

Fons olei iugiter manãtis, ſupra omnes fõtes Europæ.

Rariſſimũ prodigium.

Tantis noſtrorum ornamentis & meritis plaudit Aichſtadiũ, multis inſuper alijs ex Ordine noſtro, cùm Præſulibus ſuis, tum alijs per Diœceſim illuſtribus viris mirè adiutum, ornatum, & exaltatum, è quibus Gerochus ſecundus Epiſcopus, genere & virtute nobiliſſimus, Diui Vvillibaldi diſcipulus, pluresque alij qui ex huius & illius Schola prodierunt, & poſterioribus etiam ſæculis Conradus de Merſperg Abbas Vvildpergenſis, Philippus à Ratſamhauſeu Periſienſis, & Fridericus III. Lanckheimenſis, Abbates, ad eamdem Cathedram aſſumpti, quorum hic poſterior, non ſine ſanctitatis opinione deceſſit, omnes omnino pro ſumma virtutis & meritorum æſtimatione electi, operam ſuã præclariſſimè geſtis illi Eccleſiæ probauerunt.

Alia ab ordine ornamenta.

Epiſcopi plures.

Heribertus, ille Conrado II. Imperatori vnicè charus, incertum an ante Pontificatum Monachus, in ipſo tamen Epiſcopatu Monachorum imitator ſtrenuus, meritorum Ordinis æſtimator æquiſſimus, duo minimum Cœnobia ijſdem exædificauit, quorum alterum in ipſo monte, quem vocant Epiſcopi, vbi Palatium hodie

Heribertus Epiſc. quãti noſtros faciat.

hodie Episcopale visitur, condidit, vt sicut incunabula ipsa Aistadium & præcipuam fortunam Monachis debuit, sic etiamnum posteri eius Pontifices, in sinu, vt sic dicamus, Monachorum considant & conquiescant.

Tres Tutelares Augustani ex Ordine.

AVGVSTA augustius nihil Diuis Vvicterpo, Simperto, & Vdalrico Episcopis suis habuit, qui ipsi vti pro eximijs meritis Tutelares Ecclesiæ suæ & Vindeliciæ sunt designati, sic decus æternum Patri & Patriarchæ Sanctissimo, filij lectissimi peperere.

S. Vvicterpus Episc.

Vvicterpo, è Monasterio Eluacensi ad Pontificatum assumpto, præter sanctitatis, supremam Cathedræ Episcopalis gloriam, multa præterea Augusta debuit; illud inprimis: pestilentissimam, etiamnum grassantem, Arrianam hæresim à se & finibus suis felicissimè proscriptam & profligatam, multas insuper Ecclesias & Cœnobia constructa, & quæ Hunnorum vastatione euersa fuerant reparata; Cathedralem denique Ecclesiam & Episcopatum mirificè auctum atque exornatum, cum in gratiam tanti Diui Pipinus, postea Galliarum Rex, tantopere Episcopatum excoleret, vt præcipuus eius dotator haud immerito habeatur.

Arianismũ profligat.

In eius gratia dotatur Episcopatus

S. Simpertus

Simperto, Murbacensi ex Abbate, Pontifici suo non minus etiam obligata Augusta fuit; in cuius nimirum sanctissimi viri, cognati & nepotis sui gratiam Carolus Magnus Imp. Aug. Episcopatum similiter regia magnificentia excoluerit, & dotarit, priuilegijs munierit, ipsam denique vrbem à barbaris vastatam restaurarit.

Restauratur vrbs, dotatur Episcopatus.

S. Vdalricus tertius imo præcipuus Tutelaris.

Vdalricus, si quis vspiam solemni professione, in facie totius Concilij tot Sanctorum Patrum conspectu & præsentia, Monachus, cum ab ijsdem Pontificatum abdicare nullatenus permitteretur, diu multumque obnixus, cum nihil efficeret, cucullum denique induit, & infulas quidem retinere coactus retinuit, quin Monachum tamen iuxta ageret prohiberi non potuit, mirabile & memorabile Pontificis Monachi exemplar factus.

Augustam, & Germaniã liberat.

Eius quanta de Augustana non solum Sede & vrbe, sed & de Imperio vniuerso sint merita, nemo dignè ac satis explicauerit, cum non Augustam tantum, sed Germaniam non semel imminenti ab excidio vindicaret, Vngaris inprimis, innumerabili cum exercitu, Imperio incumbentibus, cum Vdalricus Otthoni Magno,

gno,

gno, cui erat vnicè carus, Triumphum, & certum Triumphi insigne, quam ipse in prælio Episcopus præferret, crucem sibi è cęlo allatam impetrasset.

Insignis triumphus.

Idem obortam Otthonem & Ludolphum inter eius filium fędissimam dissensionem, ita diremit, vt cum partis vtriusque acies paratæ iam ad confligendum starent, aduentu Vdalrici positis armis, summa se mutuæ beneuolentiæ significatione amplecterentur.

Pacem conciliat.

Meruit Vldalricus gloriosissimum RESTAVRATORIS AVGVSTAE Titulum, vt quam & præclarè restituerit, ornaritq. & ampliorem reddiderit atque augustiorem. pro quibus alijsq. meritis, quamuis iunior ætate cęteris, princeps tamen & Vrbis & Vindeliciæ vniuersæ PATRONVS est designatus.

Augustam restaurat.

Patronus præcipuus eligitur.

Habuit & plurimos alios è nostris Augusta Pontifices, è quibus rarissimo illo, vt dignissimo Episcopis, sāctitatis titulo & opinione celebriores insuper non pauci, Sanctus Neodegarius Abbas Vttenpuranus, miraculorum gloria illustrissimus, Sanctus Vvidogerus, ex eodem Cœnobio extractus, relicto demum, disseminandæ Fidei zelo, Pontificatu, meritissimus Heluetiorum Apostolus, Sanctus Adalbertus Eluacensis Abbas; Arnulpho Imperatori charissimus, natus Comes Dilingamus & Kyburgius, Beatus Gebhardus, Diui Vdalrici quondam Sacellanus, Elvvangensis postea Monachus & Abbas dignissimus, vt de alijs nihil, qui sanctitatis opinione celebrati non sunt, de Eckhardo nimirum Comite Nellenburgio Augiæ Abbate, de Hardouico à Lierheim, de Conrado à Luzelstein, de Friderico à Graueneck, viris spectatissimis memoremus, cum satis habeamus non minus Augustanam quam cęteras Ecclesias Cathedrales Germanię accepisse, eo insuper ad splendorem Ordinis non leuem faciēte, Augustam, non tam in propria sua & Cathedrali Ecclesia TVTELARES suos, quam in nostro Sanctorum Vdalrici & Afrę Cęnobio, vbi & hæc vetustissima Vindelicorum Patrona requiescit, venerari, nullo maiore thesauro beata, quam qui proprius Monachorum, ab ijsdem religiosissimè asseruatur, quo cum merito cliētum & ciuium animos, vtinam à Tutelaribus non tàm alienos tā multos, iuxta illud, vbi thesaurus tuus ibi & cor tuum, deceat concludi & conseruari.

Alij SS. ex Ordine Episcopi.

Item alij Sancti.

Tutelares hos Augusta apud nostros habet conditos.

Constantiẽſis Epiſcopatus longo tempore noſter.

CONSTANTIENSIS vetuſtiſſimus & ampliſſimus Pontificatus, Monachorum longo temporum decurſu (ſæculis nimirum aliquot) arbitrio totus ſtetit, mirè viguit, floruit, fronduit, donec ſub Friderico Barbaroſſa Canonici cucullum faſtidirent; viguitque tantopere eodem Sacro in Collegio diſciplina, vt proximi exemplo, imo ritu, victu, rigore eodem quo Sanctiſſima Cœnobia Augienſe & Sangallenſe viuerent, & ſi quid ſarciendum in diſciplina aduerterent, nullo delectu habito, mutato loco, nullo hoſpitum iure, aut reuerentia, ſed domeſticorum, tractarentur, petitis inde atque inde, qui meliores aut vtiliores Decani ſeu Præpoſiti, eadem cenſendi poteſtate, eodem inter Cathedrales nomine, & iure, viderentur. Inde factum, tantopere vt Cathedra illa floreret & conſurgeret, cum nihil Canonicorum nomen, rigori Monachico detraheret, in ſtadio virtutum tria Monaſteria magis, quam honorum ſtudio concertarent.

Rigor Canonicorum Cathedral.

Flos Eccleſiæ.

Alternant officia Monachi Conſtantienſes, & S. Galli.

Cuius quidem ſtudij fructus, magno numero Epiſcopi, qui ex Cathedrali, Augienſi, Sangallenſi Monaſterijs, alternis ferè vicibus prodiere, fecere manifeſtum, quod tota deinceps poſteritas miraretur.

Epiſcopos Monachos, ordine omnes enarrare, & vt meriti ſunt commendare, nimis prolixum foret, ſpectatiores aliquot nominamus, & quibus obnoxia magis vrbs antiquiſſima & Diœceſis, maioribus obſtrictæ debitis teneantur.

Tres Patronos Ordini debet Conſtantia.

E tribus, quos Conſtantienſis Eccleſia præcipuos Patronos veneratur, Diuis Conrado, Pelagio, & Gebhardo, duos, eoſdemque lectiſſimæ ſanctitatis, Epiſcopos, Monachos abſolutiſſimos, & generis ſublimitate præſtantiſſimos Conradum & Gebhardũ Ordo noſter dedit ac edidit, medium Pelagium, noſtrorum item meritum & induſtria Conſtantiæ acquiſiuit, imo Tutelarem aſſignauit. vt ſi nihil porro dicamus, ſatis dixiſſe videamur. Verum multo alio nomine Conradus meruit, cum enim genere longè illuſtriſſimo Guelphorum oriundus eſſet, & tam parentes eius quam ipſe, vt regio animo ſic & liberalitate eſſent, pietatem ſuam æternaturis ad omnem poſteritatem monimentis teſtatiſſimam vellent, præter plurima paſſim Monaſteria & Eccleſias conſtructas, ſiue dotatas, verè magnus Conſtantienſium Præſul Conradus, Monaſterio pro cæteris ſuo Cathedrali, & Epi-

S. Cõradus Epiſc quantũ meritus.

ſcopatui

ſcopatui conſultum voluit, iuuandoque illi atque excolendo ſe totum impendit. vt haud videamus, cui vel ante ipſum, vel deinceps, Epiſcopo, alterius quaſi Fundatoris titulus magis conuenire videatur.

Alter quaſi Epiſcopatus Fundator.

Sed & vrbi ornandæ animum adijciens, illud è præcipuis ornamentis duxit, ſi ſacris ædibus inſtructiorem, & diuerſis Canonicorum Collegijs munitiorem quam vallo & muris redderet.

Ea propter tres ipſe Conſtantiæ Baſilicas, Sancti Mauritij nimirum, Collegiatam Sancti Ioannis, & alteram Collegiatam S. Pauli condidit, eaſque prouentibus & Clericis bene dotatas atque inſtructas, æterno cum merito reliquit.

Tres baſilicas cõdit.

Pauperibus dein ciuibus vt prodeſſet, inſigne Xenodochium ſumma liberalitate fundauit, qua quidem in molitione, amorem ſuum in pauperes, & animum veri patris ac paſtoris prodens, tantus & Princeps & Pontifex, lapides & cœmenta ipſe ſtructoribus conuexit, & deportauit.

Xenodochiũ extruit.

Sed & Canonicorum numerum, & reditus augens, de vniuerſa eorumdem poſteritate meruit, Vrbis, Baſilicæ, Collegij Cathedralis, Epiſcopatus vniuerſi Reſtaurator, & benefactor ſingularis; ob inſignia vitæ merita & tam in vita quam poſt mortem miracula Sanctorum albo adſcriptus, & Princeps ſuæ Eccleſiæ totiuſque Diœceſeos Tutelaris deſignatus.

Numerum Canonicorũ auget.

Princeps Tutelaris.

Gebhardus vir ſanctiſſimus, & ipſe Regio ſanguine oriundus Vtzonis Brigantij & Rhætiæ potentiſſimi Comitis filius, è Monacho Cathedrali Pontifex electus, non ſolum admirabili ſanctitate Eccleſiam & Pontificatum illuſtrauit, ſed & ampliſſima hæreditate opes eiuſdem plurimum adauxit, & frendentibus licet germanis fratribus, de hæreditate quam DEO obtigiſſe contendebat, nihil remiſit, è cuius parte ſpectatiſſimum illud Petruſianum Monaſterium Conſtantiæ condidit, cui & ipſe aliquandiu præfuit.

S. Gebhardus Epiſc.

Dotator præcipuus Epiſcopatus.

Idem inſignibus Roma allatis Reliquijs, ſupra omnes mundi theſauros Conſtantienſes beauit, alia inter maximi illius Eccleſiæ Doctoris Beatiſſimi Gregorij noſtri eo nomine primi capite à Ioanne Papa donatus. Quo comperto, indigniſſimè ferentes tanto ſe theſauro orbari, Romani ciues coniurati quamprimum

Conſtantiã ss. Reliquijs beat.

Gebhardum prosequuti, sed frustra, cum siccis vestigijs ille cum suis Padum pertransisset. Super quo exclamans vitæ ipsius Scriptor: Quis vero audiens hæc, inquit, non obstupescat, quisue obstupescens credat, de sterili Alemannorum terra, tantum emicuisse virum, per quem DEVS his temporibus antiqua renouare dignatus est mirabilia? Sicut enim Moyses cum Israelitico populo per mare rubrum: & Iosue, Helias, & Heliseus per Iordanica fluenta sicco pertransierunt vestigio: ita iste Domini dilectus Padi alueum fide concludens, per semitam humanis pedibus hactenus inconcessam securis gressibus commeauit. Ita Scriptor cit.

Insigne miraculum.

Vetustissima renouantur miracula.

Relatus & ipse inter Diuos ob ingentia vitæ sanctissimæ merita & miracula, & Tutelaribus Constantiæ accensus, vt de his præcipuis tanti Pontificatus Syderibus & Columnis nunquam satis, licet superaffluens tanta vbertate Ordo noster glorietur. Neque hæc solum Archidux noster BENEDICTVS Cathedræ Constantiensi ornamenta contulit, sed & multo plura subsidia submisit, & è sanctissimi viri Galli Abbatis disciplina Sanctum Ioannem, lectissimum eius discipulum Pontificem cōcessit, quem ipse Gallus, repudiata oblata sibi dignitate, dignissimum iudicauit, & vt acceptaret impulit.

Tutelaris Ecclesiæ.

Subsidia ab Ordine nostro.

Opinione sanctitatis celebres Episcopi.

Sed & Notingum Veringensem Comitem è Monacho S. Galli strenuum Collegij Cathedralis Reformatorem & Decanum, Cathedra deinceps Pontificem excepit, qui ipsam insigni item vitæ sanctitate mirificè exornauit, & Sanctum Conradum tam in Sangallensi quam postea Cathedrali Cœnobio taliter expoliuit, vir SANCTISSIMVS in ipso Officio Ecclesiastico appellatus, cuius sacrum funus, Sanctus Vdalricus Augustanus Pontifex & Tutelaris curauit.

Notingus vir sanctissimus.

Sed & Gebhardus eo nomine primus ex Augiensi Monacho Constantiensium Episcopus, insigne secum decus Constantiæ attulit, & quod desiderari ad summum Cathedræ eius ornatum videbatur, eamdem sanguine suo, à Normannis occisus, illustriorem reddidit; quem Comitem Habsurgium, prioris & vetustioris illius familiæ fuisse, nonnulli autumant.

Et verè felix Gebhardi atque immortale apud Constantienses

nomen

nomen, tertium etiam haud impari sanctitate, & eodem quidem ex Ordine tulit, Gebhardum Hirsaugiensem Monachum, Sancti, & Magni illius Abbatis Vvilhelmi discipulum, Ducem Zaringensem, Bertholdi Alemanniæ Ducis fratrem germanum, qui præter omnem expectationem, cum fortè Constantiam cum Diuo Vvilhelmo occurrisset, Diuini Spiritus instinctu concordi omnium voto electus, adeo eo nuncio, ad Altare Diuæ Virginis in preces effusus, consternatus est, vt tanquam mortuus corruens, gratia tamen Numinis resuscitatus, cursim inde refugeret, à Sancto Vdalrico Cluniacensi Monacho per capitium violenter retractus, & ne Spiritui Diuino contradiceret adiuratus. cui sæpè dein quæstus est, ab Amico tam Sancto penè se suffocatum.

Gebhardi plures Episcopi Constantienses omnes Sancti.

B. Gebhardus Dux Zaringiæ Episcopus.

Quo quidem à Pontifice maior Constantiæ, quam ab omnibus alijs gloria, & splendor accessit, vt qui merita sua non solum creditæ Ecclesiæ Vrbi, & prouinciæ, sed & orbi vniuerso mirificè commendauerit, ipsis Summis Pontificibus venerationi fuerit, & Legatus Apostolicus per Teutoniam vniuersam designatus, de Schismaticis cumprimis insignes triumphos retulerit, *COLVMNA PRAECIPVA Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, à Cardinale Baronio appellatus.

Summa gloria Constantiæ ab hoc Beato viro.

Columna præcipua Ecclesiæ.

Salomon eo nomine tertius Comes de Ramsvvaag, Monachus, & Abbas S. Galli, Episcopus Constantiensis, & ipse sanctitatis opinione spectatus, & hoc nomine, & multo alio Ecclesiam sibi plurimum obnoxiam reddidit, quæ pro tanti viri, summisque Principibus charissimi, respectu, & gratia, quinque sub quibus vixerat Imperatoribus, curæ & ipsa fuit, eiusque suffragio plurima impetrauit.

Beatæ memoriæ Salomon Episcopus.

Vdalricum Baronem à Castell, Sancti Blasij in Hercinia Monachum, sanctitatis item fama inclytum, & benè meritum, repulit denique Canonicorum quorundam insolentia atque inuidia, cuius tamen merito factum creditur, vt tanta hominum peste Sacrum Collegium liberaretur, vlciscente Pontificem dignissimum Numine, & coniuratos quamprimum è medio tollente.

B. M. Vdalricus Episcopus.

Sed nimium excurrimus, quamuis inuiti admodum, plures, de vrbe ampliata, ac reditibus, & possessionibus adauctis benè meri-

Plures alij Episcopi Monachi meritissimi. meritos, Salomones duos priores, Lambertum Petrusianum, Diuo Henrico Imp. chariſſimum, Vvarmannum Augienſem Comitem Kyburgium, Vdalricum Sangallenſem familiæ eiuſdem, Diethelmum Vveiſſenburgi Baronem, Henricum Brandiſium Augienſes aliosque prætermittamus. Illud vnum loco omnium dicimus, Conſtantienſem Diœceſim, tanta Sanctorum ex Ordine noſtro copia affluxiſſe, vt nulli non omnino per Germaniam Epiſcopatui primas præripuerit, Monaſteriorum, & multitudine, & celebritate adeo felix, & beata, vt vel ex ſolo quidem Sancti Galli Cœnobio, cohortes, & vexilla integra vno eodemque tempore conuiuentium, & cohabitantium SANCTORVM poſſet producere, cum celebrium ſcriptorum conſtet auctoritate, ducentos trecentoſque ſimul ſemelque ſanctitatis fama celebres ibidem conuixiſſe, celebretque è vetuſtiſſimis, & religioſiſſimis eiuſdem Cœnobij Poetis nonnemo, ante octingentos iam annos opulentiſſimum tot Sanctorum Monachorum exuuijs Sangallenſe templum.

Felicitas Diœceſeos.

200. & 300 ſimul conuiuunt Sãcti.

Inſignis commendatio S. Galli.

CONTINET HOC SANCTVM SANCTORVM MILLIA TEMPLVM vt quid de reliquis ampliſſimæ Diœceſeos, tanto numero, antiquiſſimis, illuſtriſſimis, & frequentia Monachorum copioſiſſimis Augienſi, Einſidlenſi, Campidonenſi, Vveingartenſi, Fabarienſi, Diſertinenſi, S. Blaſij, S. Georgij, Schaffhuſenſi, alijſque quamplurimis Cœnobijs ſentiendum ſit facilè ominer is, quæ omnia tanquam portus ſecuriſſimi, & Ciuitates Refugij munitiſſimæ, tot ſæculis Germaniæ patuere, adeo certatim expetita, vt ſummi Principes, & proceres Imperij eo confluerent, & cucullum, ampliſſimis prouincijs, inhiantius exambirent, vt vix ſecundæ, & infimæ conditionis hominibus aditus pateret; tanta tamque pia, & digna æmulatione, de neglectu mundi, & triumpho certamen inſtituebatur. Sed vela nonnihil de cætero contrahamus.

Cœnobia illuſtriſſima.

Quantus confluxus Principũ ad Cœnobia.

EPI-

EPISCOPATVS.

Hildesheimensis. Paderbornensis. Vverdensis. Halberstadensis.

HILDESHEIMENSIS Cathedra, & Collegium Canonicorum Cathedrale, non alios multo temporum defluxu quam Monachos habuit, numquam magis florens eminensque, quam cum Monachica vigeret disciplina. Episcopos enumerare, & commendare omnes, qui Monachi fuerint, molestius esset, tres omnium loco producimus, qui ex omni omnino Episcoporum Hildesianorum numero, eminentissimi fuere, illustrissimo nimirum SANCTITATIS titulo celebrati. Et hi quidem Monachi omnes, vt eo sibi nomine sacra nostra Religio rursum plaudat ac congratuletur.

Hildesiensis Cathedra tota nostra.

Tres Episcopi Hildesheimij Sancti. Et ij omnes Monachi.

Eorum primus fuit Sanctus Alfridus siue Alefridus, è Corbeiensi Saxoniæ Monasterio ad Cathedram Hildesianam extractus, sapientia eruditione, & eximia vitæ sanctitate spectatissimus, qui alia inter præclarè gesta, magnificam Basilicam Cathedralem in DEI ac Deiparæ honorem aggressus exstruere, eamdem maximis sumptu, mole, & opere viginti sex annorum spatio absoluit, eidemque insigne adiungens Cœnobium: Vt Canonici omnes sub Regula Sanctissimi Archiducis nostri BENEDICTI viuentes, DEO acerrimo studio seruirent instituit; eoque æternum de Cathedra illa, & Hildesiensibus meruit. Idem plura alia Cœnobia construxit, Essense Virginum nobilium potentissimum, Selgenstadense, & Asuedense aliaque fundauit; celeberrimum autem Gandersheimense liberalissimè dotauit, de omnibus benè mereri studuit, mortuus A.C. 877. & in suo Asuedensi Cœnobio tumulatus.

S. Alefrid.

Basilicam Cathedralē condit.

Canonici omnes Monachi.

Plura Cœnobia cōstruit.

Alter è Sanctis Episcopis, Diuus Bernvvardus fuit, Comes à Summersenburg, è Monacho Cathedrali Hildesiano, ad eiusdem Cathedræ sublimitatem pro insigni vitæ sanctissimæ dignitate euectus, qui spectatissimum Diui Michaelis Hildesheimij Cœnobium construxit, & dotauit, cum melius consulere Hildesianis non posse videretur, quam si sacram pro vrbe excuban-

S. Bernvvardus Episcopus.

Miraculis Illustrissimus. bantium Christi militum, turmam adiungeret. Decessit Bernvvardus Christi anno 1024. in vita, & à morte miraculorum gloria illustrissimus, summo inde, vt ornamento, sic & fructu atque emolumento in Cathedram redundante. Tertius, & quidem lectissimæ sanctitatis, celeberrimique toto Christiano orbe *S. Gothardus.* nominis, fuit Sanctus Gothardus, Comes Scheyrensis Bauarus, è fertilissimo Sanctorum Altaichensi Cœnobio postulatus, cuius Abbatem aliquamdiu egerat; dignissimus Sanctissimo Imperatore Henrico Secundo cognatus, multorum Cœnobiorum Re- *Deiparæ cultor.* formator strenuus, Deiparentis Virginis cultor præcipuus, cuius postea, vt videtur, ductu atque auctoritate Pontificatum Hildesianum admisit. Bernvvardo siquidem mortuo, cum neque Cæsaris, neque Pontificum suasionibus precibusque cedens in- *Mira visio.* fulas admitteret; visa per noctem admirabili splendore cultuque Domina, quæ altercante super electione Clero ac populo, ipsum manu ad Ecclesiam, inter Sanctarum Virginum comitatum duceret, & vt veniam à Crucifixo peteret admoneret; sub ijs psal- *A B.M. Episcopus instituitur.* lentium verbis: *Infunde vnctionem tuam &c.* excitatus, reclamare deinceps ausus non est; speculum postea, eo honore adito, Episcoporum omnium factus, solatium pauperum, terror Regum, & Principum, amor vniuersorum. Conciliauit miram auctoritatem suæ Cathedræ, in cuius gratiam ea cùm à DEO, tum à Principibus culta plurimum est, & exaltata. Fundauit plurima dum viueret Cœnobia, quæ inter celebre etiam illud Holtshusense in honorem Sanctissimi Patriarchæ nostri Bene- *Ciuitatem demeretur.* dicti excitauit, & Hildesheimensem ciuitatem insigniter iuuans atque exornans, eiusdem, & Cathedralis Ecclesiæ, nec *Tutelaris adoptatur.* non totius Diœceseos Tutelaris eligi meruit, & in vita, & post mortem mira miraculorum gloria à Numine commendatus, & ab Eugenio III. Pontifice Maximo, in Concilio Rhemensi Sanctorum albo adscriptus. Vt huic quoque Cathedræ præcipuam à nostris obtigisse gratiam, & gloriam videamus.

Paderbornensis Episcopatus quid debeat. Paderbornensis Episcopatus, non minus quam cæteri Germaniæ Archiduci nostro debuit, tota ea prouincia, ante etiam quam Episcopatu insigniretur, ad fidem Christianam, Magni Bonifacij nostri, & discipulorum opera, vocata, & per-

& persuasa. Sed & Cathedræ illi à nostris principium, & à Sanctissimi quidem nominis Episcopo Diuo Hadumario nostro, Sancti Burcardi primi Herbipolensium Episcopi discipulo fuit, qui & ipsam multo nomine demeruit, in cuius gratiam Magnus Carolus eamdem insigniter dotauit & locupletauit; vt rursum appareat Paderbornam, suam quo debeat gloriam referre ac fortunam. Pertulit idem Sanctus vir multa à barbaris etiamnum & rebellibus Saxonibus à quibus destructum Cathedrale, noua denuo molitione & sumptu à fundamentis exstruxit.

Eius principium à nostris.

Primus Episcopus sanct. Hadumarius noster.

Nec minus Baduradus, & ipse Sancti Burcardi discipulus, secundus Paderbornensium Episcopus, Ecclesiam illam & Diœcesim obligauit: sed & Rudolphus, siue Ruthardus, vir ex virtute & eruditione compositus, insigne secum ornamentum attulit, qui ex Hirsfeldensi Cœnobio assumptus Paderbornæ annos quatuordecim strenuè præfuit.

Item secundus Baduradus.

Rudolphus Episcopus.

Præ omnibus tamen Sanctus Meinvvercus Comes Geldrius à Desterbant S. Henrici Imperatoris cognatus, Sancti Gothardi nostri amicissimus effulsit, qui, incertum an & quo loco Monachum ante Pontificatum professus, in ipso tamen Episcopali honore, non Monachorum solummodo totus, sed obseruantia disciplinæ & sacro vitæ rigore, speculum totius vitæ Monachicæ fuit: vt reliquos nostros Paderbornæ Episcopos lubentes prætereamus, contenti hunc etiam Paderbornensis Vrbis restitutorẽ, & Tutelarem obiter deprædicasse. cuius mortem mirè præsensit, multumque doluit, pius studiorum eiusdem æmulator Gothardus, qui Sacrum aliquando facere, præter morem, differens, imminente iam prandij hora monitus à suis, nuncium se expectare super morte amicissimi cuiusdam respondit. adfuitque repente, qui Meinvvercum Paderbornensem Episcopum viuis excessisse nunciauit, pro quo mox ille sacrificium deuotissimè obtulit. Vt nemo satis felicissima illa deprædicet tempora, quo magis de disciplina & virtute, quam de opibus fuit ab Ecclesiæ Antistitibus dignissima contentione certatum, affluente cum sanctis studijs, inexhausta quadam opum immensitate, qua tot Ecclesias, tot Cœnobia, tot vrbes iam diximus à Monachis Episcopis structas, dotatas, & restauratas.

S. Meinvvercus Episc.

Tutelaris Paderbornæ.

Felicitas temporum.

VVERDENSIS CATHEDRA mirabili planè exemplo & orna-

Vverdensis Episcopatus longè obligatissimus. mento, quotquot Sanctos Episcopos, eosdem omnes Monachos, imo, quod magis mirandum, quotquot ferè Monachos Episcopos, tot insigni felicitate Sanctos habuit, à Monachis, & ipsa, cum Sacro Canonicorum Collegio diutissimè possessa, & retenta, donec cum ijsdem submotis, felicitas iuxta tanta demigraret.

Initium dat nostri. Huic longè felicissimæ Cathedræ, felicissimum dedit initium, magnum illud eiusdem, imo Saxoniæ, Germaniæ, & Ecclesiæ Vniuersæ decus Sanctissimus Suitpertus noster, multarum gentium, & Saxoniæ inprimis gloriosissimus Apostolus, qui diuinitus designatus, & Bardouicensis primum Pontifex à Pipino institutus, mutata postea sede primus Vverdensium Pontifex factus, noui Episcopatus admirabili sanctitate iecit fundamenta; Sede Episcopali in nouo Ordinis nostri Vverdensi Cœnobio, non multo ante à se in honorem Deiparæ extructo collocata. Vt qualia incunabula potentissimus ille Episcopatus habuerit, apertè videamus, quod quidem Cœnobium, Cathedrale postea factum, FORTEM, AD EXPVGNANDAM SAXONVM PERFIDIAM, MVNITIONEM, Sanctus Marcellinus noster Diui Bonifacij discipulus, appellauit.

Primus Episcopus S. Suitpertus.

Ex Cœnobio Vverdensi Episcopatus cõstituitur.

Elogiũ Cœnobij.

Miracula. Claruit stupendis omnino prodigijs primus hic Vverdensium Pontifex Suitpertus, mortuorum, & cum viueret ipse, & postquam cœlo immigrasset, suscitatione, ab ea autem inprimis morbi, quam Squinantiam vocant Medici, curatione celebratus. Euolauit ad præmia æterna magnus Teisterbandiæ Vvestphaliæ, Hollandiæ, Batuæ, Frisiæ, Boructuariorum, & Saxonum Apostolus Christi anno 717. etiam à morte de suis meritissimus, Pipino inprimis Caroli Magni parente, quem triumphatis iam Saxonibus ac Vvestphalis, in reditu ab ijsdem circumuentum, ab optimo Principe voto facto exoratus, prodigiosè iuuit, immensa luce, super eius exercitu exsplendescente, qua territi, & excæcati penè hostes, obnixè veniam postularunt; Pipino discalceato, cum Regalibus muneribus Suitperti sepulchrum visitante, eumque deinceps specialem sibi Patronum cooptante. Relatus primus omnium tanta Canonizationis, quæ posteris temporibus in vsu, solemnitate, in San-

Apostolus gentium plurium.

Insignis Victoria.

Pipinus Rex supplex.

ctorum

ctorum numerum, à Sancto Leone III. Pont. Max. Vverdæ, præsente Carolo Magno, innumerisque Pontificibus, & Principibus, eo ipso tempore, grandi prodigio à DEO honoratus, resuscitato à mortuis Præfecti cuiusdam potentissimi filio, quindecim horis, aquis submerso.

Canonicat. primus solemni ritu. S. Suuitpertus.

Vt quantum de Principe hoc Patrono, primoque Episcopo suo, tot gentium Tutelari item, & Apostolo sibi plausum facere debeant, ingratissimi hodie Vverdenses, nemo satis explicet æstimetque.

Tutelaris Vverdæ.

Cæterorum è nostris aliquot, spectatiores obiter attingimus: è quibus Sanctus Patto proximus Suitperti successor, Monachus, & Abbas Amarbaricanus, Apostolico, & ipse zelo ac fructu mirificè se commendauit, & à conuulsa imprimis graui Hæresum subnascentium labe, celebrari meruit.

S. Patto Episcopus.

Sanctus Tanco, ex eodem Cœnobio postulatus, cum Sedi illi aliquamdiu sanctissimè præfuisset, & Martyrij accensus desiderio, Saxonum vitia apertissima, & feruentissima oratione perstrinxisset, immani eorumdem furore crudelissimè trucidatus, Insulam Vverdensem, longè augustissima Martyrum purpura tinxit, & prouinciam fertiliorem ac beatiorem reddidit.

S. Tanco.

Sanctus Kortilla Amarbaricensis, & ipse Abbas, Pontificium honorem, & ipse eadem Martyrij laureola coronauit.

S. Kortilla.

Sanctus Isingerus ex eodem feracissimo Apostolorum, Pontificum, & Martyrum Monasterio assumptus, incertum quo mortis genere obierit, mira tamen sanctitate Vverdensem Cathedram illustrauit.

S. Isingerus.

Huic Sanctus Harrucus eiusdem Cœnobij Asceta successit, qui ipse etiam post multos pro Ecclesia DEI exantlatos labores, agrum Dominicum proprio suo sanguine nobilitauit, & impinguauit.

S. Harrucus.

Decimus Vverdensium Pontifex Beatus Erlulphus, coronam Martyrij similiter meruit.

S. Erlulphus.

Mittimus cæteros; vnum tamen Brunonem nostrum, de quo prolixius initio Aquilæ inter Pontifices Maximos, & aliàs sæpè,

Bruno postea Gregorio V.

sæpè, prætermittere non possumus, quin summum Vverdensis Cathedræ decus, singulare Germaniæ sydus, vel saltem nominemus, cuius immortalibus meritis, non Vverda solum sed Pontificatus orbis maximus, & Imperium vniuersum præcipuè glorientur; Brunonem scilicet illum, qui ex Saxonum Principe humilis Corbeiæ Monachus, inde Vverdensium Pontifex dignissimus, SVMMVS denique in terris CHRISTI VICARIVS GREGORII V. nomine est appellatus; cuius auspicijs, iussioneque Germania, & Imperium Sanctissimis, & optimis Legibus est institutum, & SEPTEM ELECTORVM Dignitas Germaniæ cum sacris tum sæcularibus Principibus summa cum Germanorum gloria, & vtilitate, collata, & ad hanc deinceps diem propagata. Cuius tanti Pontificis sui, Vverdenses, gloria, supra cæteros mortales beati, de quo omne sibi Imperium gratulatur, ipsi iure proprio vendicant, Episcopum suum, & de Petri Cathedra, & de Imperio tantopere meruisse, vt amplius non potuisse videatur.

Gregorij V. Immortale meritum.

Ingēs à Gregorio Vverdensium gloria.

HALBERSTADENSIS Ecclesia opera item nostrorum à Carolo Magno in Seligenstade primùm condita, fortunam præcipuè, & gloriam Monachis debuit. Cuius primus Episcopus Sanctus Hildegrinus fuit, frater Sancti Ludgeri nostri primi Monasteriensium Episcopi, qui condito celeberrimo Vverdensi ad Auram Cœnobio; in eodem post mortem sepeliri voluit.

Halberstadensis Ecclesia opera Monachorum condita.

S. Hildegrinus primus Episcopus.

Secundus Halberstadensium Episcopus Sanctitate similiter insignis Cathedram illam mirè illustrauit, Diuus Thiagrinus nimirum, Sancti Hildegrini ex fratre nepos felicissimus, ad Cathedram illam è Monasterio Corbeiæ Saxonicæ extractus, cuius pro meritis Abbatem egerat. Sed ante, & supra omnes tertius Halberstadensium Pontifex Beatus Haymo æternum non Halberstadensis solum, sed Ecclesiæ vniuersæ, & cumprimis Imperij atque Aquilæ nostræ decus, non sanctitatis tantum fama illustrissimus exsplenduit, sed admirabili eruditione, & profundissimi ingenij exquisitissimis monimentis, orbem impleuit.

S. Thiagrinus Episcopus.

B. Haymo III. Episcopus.

Decus Vniuersæ Ecclesiæ Haymo.

Is Beati Alcuini nostri, MAGISTRI MAGISTRORVM quon-

Alcuini discipulus.

quondam Auditor, è Fuldensi Monacho Abbas Hersfeldensis, Episcopus denique Halberstadensis & S. R. E. Doctor, *Doctrinam sapientiæ, & disciplinæ*, iuxta illud Eccl. 50. *Scripsit in Codicibus suis*.

Quippe Diuinarum Scripturarum sagacissimus interpres, in omnes Testamenti vtriusque libros Commentarios composuit, pietate, breuitate, dictionis simplicitate ac perspicuitate laudatissimos; in quibus, quæ à veteribus Interpretibus, vel erant scripta doctis, vel apud populum dicta fusius, in compendium redegit, adeo perspicua & dilucida breuitate, vt & ab occupatis paruo temporis dispendio legi, & à simplicibus leuiterque litteratis, facillimè intelligi possint.

Insignis eius eruditio.

Commentarij in vniuersam Scripturã.

Versatus est autem ferè semper in allegoricis & anagogicis sensibus: quos velut spiritalis apicula, ex omnium antiquorum hortis ac pratis florentissimis decerpsit, quo legentibus esset parata saluberrimi mellis copia, fructu ad omnem sæculorum posteritatem dimanante.

Idem crediti sibi gregis curam diligentissimam habuit, & verum se pastorem exhibens, in præcipua Episcoporum functione, verbi Diuini prædicatione, Apostolico se zelo merito mirificè commendauit, peregregio illo titulo: HOMILIARVM DECLAMATORIS PRAECIPVI, celebratus.

Verus pastor.

Vt hoc etiam præcipuum suæ Cathedræ sydus atque ornamẽtum Archiduci nostro debeant Halberstadenses, quos plures alij ex Ordine Episcopi, Sigismundus nimirum, Hirsaugia extractus, Brandagus Fulda, Herrandus siue Stephanus Ilsenburgo, euocati, multis item beneficijs obnoxios sibi reddiderunt.

Homiliarũ declamator Princeps.

EPISCOPATVS

Monasteriensis. Osnaburgensis. Passauiensis. Frisingensis.

MONASTERIENSIS, primùm Mimigardeuordensis Ecclesia, & ipsa, initia longè auspicatissima à nostris, & à magno quidem Frisonum Saxonumque Apostolo, Diuo Ludgero nostro, Vverdensi Monacho habuit, qui antequam huic Cathedræ præficeretur, ad longè illustriorem, Archiepiscopalem

Auspicatissima initia huius Ecclesiæ.

S. Ludgerus noster primus Episcopus

lem scilicet Treuerorum postulatus, nullo modo acquieuit, dignissima excusatione, *conuertendarum Gentium negotio se impediri* protestatus; quo quidem responso adeo recreatus Magnus Carolus est, vt occidentales Saxones, ac finitimos etiam curare vellet, quorum ille multa quamprimum millia cęlo asseruit.

Archiepiscopatum recusat.

Vverdense Cœnobium cum moliretur, & operarij de loco purgando desperarent, Ludgerus ingentem mox tempestatem cœlo deduxit, cum in preces incumberet, qua annosæ arbores radicitus conuulsæ locum condendo Cœnobio peropportunum præbuere.

Ex Monasterio oritur Episcopat'.

Eodem deinceps loco, condito Episcopatu, & primus ipse Episcopus præfuit, & quod frequens nostris, atque ad gloriam Ordinis præcipuum, Præcipuus à morte Tutelaris est designatus. Nec suis tam latis terminis contentus Ludgerus, in confinia vsque Danorum excurrens, Foseteslandiam Insulam integram Christo lucratus, dœmonem inde sub specie caliginis densissimę expulit. Norvegos etiam aliosque remotiores populos lustrare parantem Imperator impedijt, veritus ne tanto lumine Saxonia atque Frisia orbarentur.

Tutelaris sua Ecclesia.

Quantus Apostolus.

Claruit stupendis sanè miraculis sanctissimus Pontifex obijtque A. C. 809. ex eo, quo decesserat loco, splendentis ignis fulgure emicante, prouinciam omnem illustrante, ac cœlum, ipsis etiam Carolo Augusto, & Alcuino Magistro spectantibus subeunte.

Miracula.

Habuere diutissimè Monachi Cathedram & Collegium Cathedrale, celebranturque, præter Lugderum, tres præcipuè Episcopi sanctitatis titulo præ alijs commendati, Sanctus Gerfridus Diui Ludgeri nepos, Beatus Bertholdus, & Sanctus Sucderus pro eximia sanctitate Sanctorum albo adscriptus, vt vix mirari satis possis, tantum gloriæ tot Episcopatibus, ab vno Ordine prouenisse, quantum nulla posterorum pietas, & grata animi contestatio adæquat. vt nihil de alijs dicamus, qui à maximis virtutibus & meritis commendati, Sanctitatis tamen Titulo à Scriptoribus non connotantur. è quibus Hildebaldus de Monachis Cathedralibus, adeoque fera Canonicorum item successione, meritissimus commendatur, Hermannus autem, condito trans aquas in honorem DEIparentis Monasterio, ad illud Episcopatum

Sancti Episcopi omnes nostri.

Alij Episcopi non sancti.

scopatum transtulit, à quo deinceps mutato & mutuato nomine MONASTERIENSIS est appellatus; adeo vt nomenclaturam ipsā, & altera quidem vice consurrexisse ex MONASTERIO, celeberrimum hunc Episcopatum, teneamus.

Bis diverso tempore ex Monasterio oritur hic Episcopatus

Osnaburgensis Pontificatus vti è laboribus, sudoribus & sanguine nostrorum Saxoniæ Apostolorum, ortu dignissimo prodijt, sic & potissimum decus deinceps, à Monachis item habuit.

Osnaburgensis in sudore & sanguine nostrorū nata Ecclesia.

Ex omni Episcoporum, à conditi primùm Pontificatus, tam illustribus, vt dictum initijs, ad hanc vsque diem numero, tres potissimum, Sanctorum, ac Beatorum, communi Scriptorum suffragio titulum meruere. Qua quidem gloria, vti necessario fatendum, cum Pontificio culmini & Cathedræ accedere nihil excellentius posse videatur, confitendum iuxta erit, plurimum sanè illi deberi, cui vel vnum quidem tale ac tantum decus acceptum referatur, nedum omne illud quidquid eiusmodi est ornamenti debeatur.

A Sanctis Episcopis præcipua Cathedra gloria.

Debent Osnaburgenses Sanctissimo Patriarchæ nostro, eiusque lectissimo Ordini omnia, & primum quidem Episcopum suum Sanctum Vvitthonem, dignissimum discipulum Sanctissimo Magistro, Magno scilicet Germaniæ Apostolo Bonifacio. vt huic quoque Ecclesiæ consuli melius non potuerit, quam iacto tam nobili, in tanti Pontificis sanctitate, fundamento.

Tres Episcopos SS. habuit Ecclesia Osnaburg.

S. Vvitho primus Episcopus.

Alter è sanctissimo illo ternione Sanctus Gosbertus fuit, Magni illius, Aquilonarium Regnorum Apostoli, Sancti Ansgarij nostri Bremensis Archiepiscopi & Tutelaris, discipulus; vir & ipse Apostolicus, zeloque Apostolico illustrissimus, cum turbatis Ecclesiæ rebus, ad Magistrum suum se recipiens, Fidem in Dania disseminaret.

S. Gosbertus Episcopus.

Consignauit denique Apostolatum suum gloriosa Martyrij purpura Gosbertus, & ne summa hæc laureola Pontificio Ecclesiæ Osnaburgensis honori deesset, eam ipse Cathedræ imposuit & affixit.

Martyrij purpurā Episcopale munus ornat.

Tertius fuit Beatus Bernardus, è Goslariensi Monasterio ad Pontificatum Osnaburgensem vocatus, vir & sanctitate vitæ & eruditione illustrissimus, insigni, alia inter, merito de Osnaburgensibus non solùm, sed de prouincia vniuersa meritus, quando glires incredibili cum damno & calamitate ijs terris incumben-

B. Bernardus Episcopus.

tes

Glirium prodigiosus domiter. tes, inuocato Numine prodigiosè depulit, & pessimo malo patriam liberauit. Vt nihil de alijs aliorum meritis referre libeat, opere nimium crescente, contenti huic etiam Ecclesiæ summum à nostris partum honorem, & comparatum ornamentum astruxisse.

Patauienses quid debeant. PASSAVIENSIS Ecclesia, antiquissima quidem, multis tamen modis, nostris obnoxia, Diuos Rupertum inprimis, Bonifaciumque tantopere de se meritos habuit, vt nunquam satis grata esse posse videatur, cùm Idololatriæ reliquijs, multis per Diœcesim *Idololatria & Hæreses proflig.* locis, tum Hæresibus varijs profligatis. quibus quidem beneficijs, haud viderit quisquam, quid possit, aut debeat comparari.

Dedit huic Ecclesiæ duos minimum Sanctitatis fama spectatos Pontifices Ordo noster, Illustrissimo vtrumque Principum *2. Episcopos Sãctos Ord. dat.* sanguine, quam tamen generis sublimitatem, cucullo cedere ac subesse voluerit vterque, vterque humilitate, quod nulla Principatus potentia potuisset consequutus.

B. Altmannus Episc. Prior Beatus Altmannus fuit, Serenissima Vvittinensium Ducum familia oriundus, Sancti Ioannis Magdeburgensis Cœnobij Monachus, qui cum, vt generis, sic eruditionis præstantia *Absens eligitur.* nec non virtutis opinione maximis Principibus esset charissimus, ad Patauiensem postulatus Cathedram, cum tunc absens in Palestina sacra loca inuiseret, id muneris suscipere coactus est.

Præfuit varia fortuna annis 26. maximis & firmissimis Ecclesiæ columnis accensendus, eo inprimis nomine, quo amantissimi *Constantia eius.* ceteroquin & beneuolentissimi Cæsaris Henrici IV. non solum fauorem & amorem neglexit, sed execratus schismaticum, vitæ ac bonorum omnium discrimen, Romanæ Sedis causa, libens adijt, eaque tam illustri de causa proscriptus fuit.

Martirij occasionem quærit. Nec minore gloria, dum clerum reformare satagit, presbyterosque à consuetudine coniugum abstinere præcipit, caput suum pro tuendo Christi honore, insigni magnanimitate obijciens, vix Procerum quorundam ope, quin trucidaretur euasit.

Fit Legatus Papæ. In Saxonia primùm, dein Vvestphalia subsistens, cum Clericis, dictam ob causam, odio vniuersis esset, Romam concedens, illic denuo contra intrusos Patauiẽsis declaratus Episcopus, multis Priuilegijs auctus, & Legatus insuper Pontificius per Germaniam designatus est.

Reuer-

Reuersus in Austriam, vitæ reliquum in reformandis, quorum plurima condiderat, Cœnobijs exegit, in ipso exilio, in pauperes liberalissimus, quorum, integris etiamnum rebus, multa inter dum millia pauit. Mortuus est A. C. 1091. & in crypta Monasterij Gottuicensis à se conditi sepultus, miraculorum gloria à Numine illustratus, cui præter titulum sanctitatis, Patauium debet, quod Augusto Roma, Ecclesias suas, quas rudi ipse schemmate ligneas repererat, lapideas deinceps & splendidas; vt taceamus merita alia longè maxima, quæ tamen suo scelere & culpa, ipsi respuerunt.

Pauperum pater.

Meritum singulare.

Alter Beatus Conradus fuit, Sancti Leopoldi Austriæ Marchionis filius, Henrici IV. Imperatoris, ex Agnete filia nepos, ex Abbate & Monacho Sanctæ Crucis in Austria Patauiensis Pontifex creatus; quem quia inter Austrios Principes, superius iam satis ab admirabili magnanimitate, & erga Rom. Sedem fide laudauimus, laudare modo prætermittimus.

B. Conradus Austriæ March. Episcopus.

Id vnum non possumus: Patauiensi ciuitati multis modis consuluisse, & celebres illas quatuordecim dierum post Festum S. Iacobi nundinas, æterno cum vrbis eiusdem commodo, primùm instituisse & induxisse, Xenodochium S. Egidij ibidem, liberalissimè dotauisse, Canonicis denique aream & hortos spatiosiores attribuisse. Tantum, iterum vnus hic Pontifex de ciuibus, de Clero, de pauperibus meruit, vt quid per Diœcesim præstiterit vniuersis, quid è cœlo præstet, tanto post, ouiculis posthumis, minimè attingamus.

Merita de vrbe.

Item de alijs.

Frisingensis Episcopatus, præ alijs totius Germaniæ, totus omnino, singularibus titulis, nostrorum fuit, non solum à nostris, Sancto Corbiniano nimirum nostro, primùm conditus, sed & in Monasterio Ordinis primùm fundatus, & Cathedrali Monachorum Collegio instructissimus. quin & sub honore, nomine & Tutela Sanctissimi Archi parentis nostri BENEDICTI institutus, ac primo, vt Institutore, sic eodemmet Episcopo primo, viro Apostolico, & altero eiusdem Diœceseos post mortem Tutelare Corbiniano, felicissimè initiatus & consecratus, vt quantis titulis obstrictior quisquam esse possit, nec excogitari quidem valeat, nedum explicari.

Frisingensis Episcopatus omnia nostris debet.

In honorem S. P. N. Benedicti instituitur.

Insigniter fundatur.

Meruit idem Apostolici meriti Pontifex Corbinianus, non de

S. Corbinianus primus Episcopus de Bavaria vniuersa meretur.

Frisinga solum sua, sed Bauaria vniuersa, plurimis errantibus in viam veritatis reductis, ipsoque Grimoaldo Boiorum Duce, ad saniorem mentem, ab insano libidinis æstu reuocato, qui adeo reueritus Corbinianum est, vt ad eius pedes accidens, veniam supplex exoraret; fuitque in seuerè corripientem adeo deinceps munificus Princeps, vt in Sancti Pontificis gratiam, Frisingensem Cathedram liberalissimè dotaret, & amœnissimo terrarum donaret tractu, quam sera posterorum successio opulentiam, non tam donanti Grimoaldo, quam meritis primi sui tam Sancti Antistitis referret acceptam.

In gratiã S. Corbiniani ditatur Episcopatus.

Rarius illud & inprimis memorandum Regularis obseruantię & sacri silentij in tanto viro studium, de quo sic Ottho Frisingensis successor: vindemiarum tempore, dum quidam vini primitias illi obtulisset, musti feruescentis impetus, spinã vasis excussit. Sed vir DEI Regulare silentium nolens violare, famulis quidem hoc indicare distulit, orationibus tamen vinum ne inutiliter efflueret cohibuit &c. Ex quo, de reliqua Sacri Cathedralis Collegij Regulæ sacræ obseruantia, sub tanti exempli Episcopo facilè sit ominari.

Memorabile exẽplum.

Fuit vir sanctus rarissimis à DEO prodigijs honoratus, quæ inter, illud maximè, imagini ipsius pro insigni adijcitur, quo Romam profecturus, vrsum, qui clitellarium eius equum dilaniauerat, sarcinas ferre coegit, & toto itinere secum circumduxit.

Item aliud.

Mortem sibi imminere sentiens, lotus rasusque, sacram vestẽ induit, & sacro facto, Mysterijsque perceptis, cum domum reuersus vinum poposcisset, eo vix gustato, & fronte cruce signata extremum spiritũ nulla cũ doloris significatione, Creatori reddidit.

Gloriosa mors.

Cuius sacrum corpus post dies triginta repertum est integrum, cui moto, calidus sanguis de naribus fluxit. Visa & ad ipsum candida funalia tanto splendore exardescere, vt diem vincere crederentur, mira insuper odoris fragrantia nares omnium perfundente. Ob quæ & alia merita & miracula, Sanctorum albo adscriptus, & alter à Sanctissimo Archiduce nostro BENEDICTO Cathedralis Ecclesiæ suæ, totiusque Diœceseos Patronus est cooptatus.

Insignia miracula.

Tutelaris suæ Ecclesiæ.

Successit sanctissimo fratri, frater germanus Beatæ memoriæ Erimbertus, tum Ioseph, mox Aribo, alijque deinceps è Cathe-

Successores Monachi.

dral

drali ferè nostrorum Collegio Pōtifices delecti, maximis de sede illa meritis conspicui, Aribo præ cæteris, qui toti Bauariæ auctoritate sua plurimū consuluit, & Thassilonem Ducem sæpius præcipitem, dexterrimè reuocauit, qui dum eius & Diui Virgilij nostri dictis paruit, princeps felicissimus & gloriosissimus extitit.

Felicitas Thessalonis dum Aribonem nostrū audiit.

Vnum omissis reliquis, Frisingensium ex Ordine nostro Pontificem quin ex nomine saltem referamus, nō possumus Beatum Otthonem paulò ante citatum, cognomento vulgari Frisingensem, Sancti Leopoldi Austriæ Marchionis & Tutelaris filium, Scriptorum monimentis toto orbe spectatissimum, cuius de Frisingensi sede merita, quia alia inter Austriæ Principes iam suggessimus, è vita eiusdem paucissimis verbis accuratè connotata, inserimus: *Frisingensis siquidem Ecclesiæ non tam INSTAVRATOR, quam FVNDATOR extitit. Bona enim distracta recuperauit, collapsa Palatia & ædificia restituit, religionem Monasteriorum reparauit.*

B. Ottho Austriacus, Episcopus Fris.

Alter Fundator Episcopatus.

Tantum & longè plura Tutelari Principi suo, Archiduci & Patriarchæ nostro BENEDICTO Frisinga debuit, debetque, nulla grati animi significatione exsoluenda. Reliqua Episcopatuum cæterorum pertexamus.

EPISCOPATVS

Basileensis. *Ratisponensis.* *Mindensis.* *Lubecensis.*

BASILEENSIS peruetustus quidem Episcopatus, multo plus tamen Sanctissimo Imperatori nostro BENEDICTO, eiusque filijs Henrico II. Augusto, & Haythoni ex Augiensi, Adalberoque ex S. Blasij Monacho, Episcopis suis, quam primis conditoribus debuit, ab ipsis tātopere excultus subuectusque, vt omnem ijsdem fortunam, splendorem, gloriam deberet, ac referret.

Basileensis Episcopatus plus nostris debet quam primis Fūd.

Henricus Sanctus, Augustus noster, non solum in gratiam Adalberi, siue Adalberonis prædicti, spectatissimam illam mole, & opere Cathedralem Basilicam construxit, sed & Imperatoria munificentia Episcopatum locupletauit, aliaque inter altaris sui domestici tabulam auro solidam, in qua admirabiles Sanctissimi Ordinis nostri parentes: Virgo BENEDICTA DEIPARA,

S. Henricus noster cōdit tēplum Cathedr.

& BENEDICTVS Patriarcha, Angelorum circumſepti choris, geniculante ad illius pedes Chunegunda Auguſta, ad huius verò, ipſo Henrico Cæſare, accuratè expreſſi videbantur. Vt hoc ipſo munere, neque ſplendidius, neque charius Baſilea accipere potuiſſet, quibus tam ſancti Cæſaris beneuolentia exprimeretur: ſed neque Ordo noſter illuſtrius habere monimentum, quo & teſtatiſſima Henrici erga Tutelarem ſuum BENEDICTVM pietas, & eiuſdem Archiducis noſtri tam de Henrico, quam de Baſilea merita, orbi innoteſcerent, & ſeræ poſteritati.

Altare domeſticū eidem donat.

Inſigne monimentum.

Proximus meritis de Baſilea ampliſſimis Vvaldo Epiſcopus fuit, Augiæ Diuitis Monachus & Abbas, multo vetuſtior ætate quam Adalbero, Carolo Magno imperante, cui à Confeſſionibus erat, vir toto Imperio ſpectatiſſimus, in cuius gratiam Carolus Auguſtus, Baſileenſem Pontificatum haud leuiter ornauit & locupletauit.

Vvaldo Epiſcopus.

Sed & qui proximè Vvaldoni ſucceſſit Hattho, ſiue Haitho Comes Sulgouianus, eiuſdem Augienſis Cœnobij Monachus, ſua apud Cæſares auctoritate tantum potuit, vt Baſileæ & magnum inde nomen accreſceret, & opes adaugerentur, qui alia inter merita Cathedralem Baſilicam de nouo ſtruxit, & magna populi gratulatione, concurſuque vicinorum, DEIparæ honori conſecrauit. Abdicauit vterq. Vvaldo & Hattho Pontificatum, multo maiore cum gloria, quam geſſerant, nulla alia ex cauſa, quam, vt qui Imperio, tanquam ſecundi Cæſares diu præſtiterant, ſibi deniquè ſolis, ac Numini vacarent, vterque ad Cœnobiū reuerſi, quod minimè neſcirent, quod poſtea mellifluus Doctor noſter Bernardus ſenſit, nuſquam rectiorem tutioremq. ad cęlum, quam è cellula Monachi ſemitam. ex quo intelligas, quam digni fuerint Pontificatu, quem vt exambiere nunquam, tanta cum gloria adminiſtratum, ſponte demum deſeruerunt.

Hattho Epiſcopus.

Baſilicam Cathedr. condit.

Vterque Epiſcopus reſignat.

Fuit & Hannonis, ex Abbate Lunæburgenſi Baſileenſium Epiſcopi ſumma apud Principes ſæculi, Lotharium inprimis Cæſarem, cuius Legatum egerat, auctoritas, vnde factum, vt eius quoque intuitu Baſilea plurimum effloreſceret.

Hanno Epiſcopus.

Cæterum vnum ex omni Epiſcoporū numero ſanctitatis titulo celebratum Sanctū Racanacariū, eundemq. ex Ordine noſtro,

S. Racanacarius Epiſc.

 Luxo-

Luxouienſis nimirum Cœnobij Monachum, Baſilea Epiſcopum habuit, qui ad eam Sedem ab Aeduenſi translatus, ſecum præcipuum Baſileæ ornamentum attulit, eamque mirifica vitæ ſanctitate, miraculorum gloria à Numine illuſtratus, cultiſſimam reddidit. Vt hic quoque Epiſcopatus ſuam præcipuam, vt fortunam ita, & gloriam noſtris tranſcribere obligetur.

Præcipuum Cathedræ ornamentū.

RATISPONENSIS Cathedra, ſupra multas alias, ſeipſam ſuaque præcipua Imperatori noſtro BENEDICTO debuit, ipſa nimirum vrbe, & Diœceſi, abolitis impijs ſacris, ad Fidem Chriſti traducta, & tanto beneficio, ab inſigni Boiorum Apoſtolo Ruperto demerita.

Ratiſponenſis Epiſcopatus quantū debeat.

Ad fidē conuertitur per noſtros.

Eidem vrbi, & prouinciæ plurimum opis contulit Sanctus Emmerammus noſter, ob ingentia merita præcipuus Ratiſponæ Tutelaris cooptatus, Patrocinio ſuo, non vna prodigioſa Victoria comprobato, & commendato, qui & Diœceſim illam, necdum licet certis finibus concluſam, ſui ſanguinis purpura, ne quid ad ſummam gloriæ deeſſet, nobilitauit.

S. Emmerāmus noſter Patronus Ratiſpon.

Diœceſim eandem primum ſuis finibus diſtinxit, & Epiſcopatum propriè dictum inſtituit, Magnus Germaniæ Apoſtolus Diuus Bonifacius noſter, qui & primum Ratiſponenſibus Epiſcopum Sanctum Garibaldum Monachum dedit, diſcipulum ſuum, Apoſtolicique laboris ſocium, ſedemque Epiſcopalem in Monaſterio Sancti Emmerammi conſtituit, vt hic quoque Pontificatus incunabula ſua Monaſterium haberet, *ſicut plerique Epiſcopatus*, ait Hundius, *primò in Monaſterijs ceperunt*. Tantum Ratisbona primis initijs Ordini debuit. Nec iam alios è Diui Emmerammi, & alijs Monaſterijs electos, & poſtulatos Præſules recenſere libet, placet duos ſolummodo treſue recenſere, celebriores titulo ſanctitatis, & meritis ſpectatiores, Tutonem inprimis, ea fama notiſſimum, ex eodem Diui Emmerammi extractum, qui quadraginta omnino annos clauum Eccleſiæ Ratiſponenſis tenuit. Is cæcitate tandem affectus, adeo ad miraculum patiens fuit, vt vnde gemerent alij, ipſe ſibi plauſum faceret, feſtiuè dicere ſolitus, ſe muſcis oculos non inuidere. Cæterum cæcus oculatiſſimus fuit, vt qui futurorum, & procul abſentium conſcius, intereſſe Diuinitatis conſilijs credebatur, vt nulli verecundiæ eſſet, rerum gerendarum, cæcum ducem adhi-

Epiſcopatū fundat S. Bonifacius.

Primus Epiſcopus ſanctus ex Ordine.

Incunabula Epiſcopatus, Monaſterium.

S. Tuto Epiſcopus.

Cæcus oculatiſſimus.

adhibere, cuius ducatu incredibile penè eſt, quantum Ratiſpona tanto tempore, profeciſſet.

B. Güntherus Epiſcopus.

Alter Beatus Guntherus DEI iuſſu Pontifex electus eodem è Cœnobio prodijt, qui mitram, & calceum eodem loco habuit, cum vacante Sede Ottho Imperator per ſomnium iuſſus eum ad Cathedram Ratiſponæ euehere, qui poſtero die templum ingreſſuro primus occurriſſet. Occurrit Guntherus Monachus templi æditimus, ex quo cum ſtatim Cæſar, quonam munere ſuffragij ad Epiſcopatum prærogatiuam redempturus eſſet, quæreret, contemptu honoris vir Sanctus, CREPIDA, inquit, eaque reſponſi inſolentia, ipſi Cæſari reuerendus viſus, qua ſe indigniſſimum putauerat dignitate, digniſſimus deſignatus eſt, quartus eſſet, præclarè geſtis poſtea comprobans, & eminentiſſima maximè vitæ ſanctitate Cathedram exornans.

Infulam, & calceũ loco eodẽ habet.

S. Vvolfgangus Epiſcopus.

Tertius, Diuus Vvolfgangus, longè illuſtriſſimum Ratiſponæ, Bauariæ, Imperij, imo Eccleſiæ vniuerſæ Sydus, Comes Achalmenſis, & Pfullingenſis, ex Monacho, & Decano Einſidlenſi Ratiſponenſium Pontifex creatus, tantus omnino fuit, quantum nulla ſatis poſteritas demiretur; quo quidem præceptore vſus à puero, & iam tunc ſpiritu Magiſtri prophetico Imperator ſalutatus Sanctus Henricus Auguſtus, quantum ipſe Imperio profuit, tantum in acceptis Vvolfgango retulit, & Principi Tutelari ac dein patri ſuo BENEDICTO.

S. Vvolfgangus Imperatorẽ, & exercitũ ſeruat.

Illud Illuſtrius Vvolfgangi de Otthone II. Imperatore fuit meritum, cum à Gallorum exercitu iam iam cum ſuis opprimendum, mirè ſeruauit, ipſiuſque, & exercitus Cæſariani ſeruati gloriam vnus tulit, inſtantibuſque iam à tergo Gallis, familiari voto DEVM precatus, exercitui vadum aperuit, & ipſe primus Axonam fluuium ingreſſus, cum vniuerſo exercitu noſtro ſequente incolumis in alteram ripam emerſit. Quibus alijſque vitæ ſanctiſſimæ meritis, & miraculis commendatus Sanctorum albo poſt mortem adſcriptus, & alter à Diuo Emmerammo non ſolum Ratiſponenſis Eccleſiæ ac Diœceſeos Patronus eſt adoptatus, ſed & præcipuis cùm Bauariæ, tum Germaniæ vniuerſæ Tutelaribus accenſus; vt tot tamque illuſtrium ex Ordine noſtro Epiſcoporum, & Patronorum gloria, & virtute circumſepta Cathedra, & vrbs nobiliſſima, præ cæteris Germaniæ haud

Tutelaris Ratiſponẽſis & Germaniæ.

imme-

immerito ſe circumſpiciat, & certum ſibi in omni neceſſitate è cælis ſubſidium polliceatur.

Mindenſis, & Lubecenſis Epiſcopatus quid debeant.

MINDENSIS Epiſcopatus, vt & LVBECENSIS, ſiue ALDENBVRGENSIS, Sanctiſſimis noſtris Saxoniæ Apoſtolis, Suitperto ille, & Vvillehado, iſte Adaldago Bremenſium Archiepiſcopo, & conuerſionem, & initia, & quidquid è cælo opis, & fortunæ, quidquid in terris felicitatis, debuit. Fuitque memorabilis inprimis Mindenſis Cathedræ inſtitutio, Vvindekindi Magni à Sancto Vvillehado noſtro conuerſi primitijs, vt ſic dicamus, DEO oblatis, eoque Pontificatu, tanquam monimento profligatæ, & calcatæ Idolomaniæ erecto. Habuit vtraque Cathedra lectiſſimos plurimos ex Ordine noſtro Epiſcopos, Mindenſis quidem, præ alijs ſuis Præſulibus ſpectatiſſimum eximia vitæ ſanctitate Diuum Helinvvardum: vt huic quoque Cathedræ præcipuum à præcipuo ſanctitatis fulgore accederet ornamentum.

Conuerſio. Mindenſis Epiſcopatus initia.

S. Helinvvardus Epiſcopus Mindenſis.

Sed neque Aldenburgenſi eiuſmodi defuit ab Ordine gloria, Sanctus Vicelinus nimirum noſter, Segebergenſis Monachus, ex Abbate Falderano, ad eam Cathedram euectus, qui finibus prouinciæ ſibi creditæ, nulla ambitione verum ſolo propagandæ Fidei zelo minimè contentus, contemptis laboribus, & vitæ periculis plurimis, ad Slauos, & Vvandalos Eccleſiæ aggregandos ſe totum conuertit; & idolis ac idolorum templis funditus euerſis, multis ſudoribus barbaros animos, ad Veritatis agnitionem traduxit. Nec minori felicitate, in Holſatia prædicauit, longoſque, & immenſos inter labores, fructu vberrimo diues, corpore conſumptus, ad præmia æterna euolauit, Slauorum, Vvandalorum, & Holſatarum APOSTOLVS merito ſalutatus, & PATRONVS deinceps Eccleſiæ, & Diœceſeos ſuæ adoptatus.

S. Vicelinus Epiſcopus Aldenburg.

Multarum prouinciarũ Apoſtolus.

Patron⁹ ſuę Eccleſiæ.

Meruere item præ alijs de Epiſcopatu eodem Lubecenſi Conradus Geroldi vltimi Aldenburgenſium, primi autem, tranſlata Sede, Lubecenſium Epiſcopi frater, & ſucceſſor Reddageshauſenſis olim Cœnobij Abbas, & Henricus Abbas S. Egidij Brunſuicenſis, ille quidem ab inſigni zelo, & propugnatæ libertatis Eccleſiaſticæ laude, hic à reconditiſſima ſapientia non ſolum, & eruditione, ſed & ab eximia vitæ ſanctitate celebratus.

Alij Epiſcopi Lubecenſes.

bratus. Vt nihil etiam ad hos Pontificatus exornandos, & iuuandos, neglexisse videantur, imo talia præstitisse, quæ sera posteritas, & admirari, & grata animi significatione nunquam non prosequi, teneatur.

EPISCOPATVS.

Verdunensis. *Cameracensis.* *Metensis.* *Tullensis.*

Verduni felicitas.

VERDVNENSIS, siue VIRDVNENSIS Pontificatus, meritissimorum ex Ordine Monachico Pontificum copia felicissimus, alios inter Sanctum Paulum habuit, Sancti Germani item nostri Parisiensium Episcopi, & Tutelaris fratrem, qui è Monacho, & Abbate Theolegiensi Virdunensium Pontifex creatus, tanta vitæ sanctitate, & meritis excelluit, vt Ecclesiæ, & Diœceseos à morte Patronus deligi meruerit, & summis honoribus celebrari. Huic proximi successione, & vitæ dignitate, Gisbaldus, ex Monacho item Theolegiensi Pontifex creatus, mox Gerebertus, eiusdem Monasterij Abbas Episcopus planè imperterritus, qui libidini Ebroini Tyranni constantissimè restitit, & si ita Numini visum, pro Iustitiæ, & Veritate vitam perdere minimè reformidauit. Huic proximus Armonius Pipini Brabantiæ Ducis consanguineus, & ipse Monachus, & Abbas Theolegiensis, tanti tam breui tempore Pontifices ex vno illo Cœnobio prodiere, quod Sanctissimorum Galliç, & Germaniæ Pontificum aliquamdiu promptuarium extitit, & celeberrimas quasque Ecclesias æternum demeruit.

S. Paulus Episcopus, & Patron. Plures Episcopi egregij.

Ex vno Cœnobio quot Episcopi.

Ingens Verduni decus Hilduinus Episcopus.

Sed & immortale decus Cathedræ Virdunensi Hilduinus noster eiusdem ex Abbate Sancti Dionysij Pontifex peperit, vir per omnia longè spectatissimus, Archi-Capellanus Ludouici Pij Imperatoris, & Magnus Galliarum Regni Cancellarius, idem eruditissimis profundissimi ingenij monimentis toto orbe celeberrimus, summis Titulis, à Sanctissimis, & doctissimis scriptoribus commendatus, quem, alios inter, Lupus Ferrariensis Abbas, *NOBILITATIS, DIGNITATIS, ET MODERATIONIS,* *API-*

Insignia elogia.

APICEM, ET COMMVNEM ECCLESIARVM MAGISTRVM appellat: sed & Vvalafridus Strabo: MAGNVM AARON, nominat, *CVIVS NITOR MORVM, CVM SENSVS PROBITATE COMMENDETVR.*

Celebrati similiter Hatto siue Atto ex Monacho Antisiodorensi Virdunensis Episcopus, & Vrsio, ex Abbate S. Dionysij Rhemensis, ibidem Episcopus, iterumque Episcopatu relicto felicissimus Monachus, cuius exemplum successor item subsequutus Albertus de Marcij, & ipse Pontificatu abdicato, in Sanctissimo Diui Vitoni eiusdem Vrbis Cœnobio cucullum amplexus est.

Hatto Episcopus.

Præ omnibus tamen ornamento singulari Virdunensibus Iacobus Pantaleon fuit, qui ex Monacho B.M.V. de Fossa noua Virdunensium Antistes creatus, Patriarchatum postea Hierosolymitanum, Summum denique orbis Pontificatum vitæ dignitate, & admirabili eruditione meruit, & præclarissimè gestis cœlo terrisque mirè se commendauit: cuius Institutione Festum Sacratissimi Corporis Christi, toto terrarum orbe celebratur. Tantis Pontificibus beatissimum Virdunum, Ordini Benedictino plurimum semper debuit; vt ne attingere quidem libeat, cæteram eius, è lectissimis frequentissimisque Sanctorum insigni multitudine Cœnobijs felicitatem, quorum vnum Sancti Vitoni in ipsa vrbe Virdunensi, eiusdem Diui Tutelaris corpore felix, non olim solùm plurimos pro patria precatores potentissimos cælo submisit, sed & hodie Sanctissimæ Reformationis Titulo SS. Hidulphi, & Vitoni, in Francia caput, & fœcundissima mater, vnde miretur, & iuuetur extremum ac perditissimum hoc seculum, gignere non desinit, suamque vbertatem remotioribus etiam prouincijs vbertim infundere, & communicare.

Vrbanus IV. Papa Episcopus Virdunensis Mon. Fossanoua.

Institutor Festi SS. Corporis Christi.

Plurima Ord. Cœnobia.

SS. Vitoni, & Hidulphi Cõgregatio.

CAMERACENSIS CATHEDRA, quos præcipuos Belgium vniuersum Apostolos veneratur, è Sanctissimo Ordine nostro, sibi submissos agnoscit, & confitetur. Sed & præcipuos ferè è suis Episcopis, vel nostros professione habuit, vel apud nostros conditos, & nostrorum iuris suspicit. E Tutelaribus ijsdemque Cameraci Episcopis, præcipui fuere S. Vedastus, & SS. Autbertus atque Hadulphus. Primus, etsi dubium de ætate, & professione, noster tamen à tot sæculis possessione legitima

Cameracũ præcipuos ex Ord. Tutelares habet.

S. Vedastus apud nostros conditus.

fuit, & esse voluit, cuius Sacratissimum Corpus Cameracenses in augustissimo, & cognomine Diui Vedasti Cœnobio, religiosissimè colunt, & frequentant.

S. Autbert° Episcopus, Apostolus, & Apostolorum pater.

Autbertus alter Cameracensium Patronus, noster omnino fuit, ad Cathedram illam è Sanctissimo Luxouiensi Cœnobio postulatus, qui non de Cameraco solum, sed Belgio vniuerso præclarissimè meruit, cuius ipse inter præstantissimos Apostolos, quin & Apostolorum ipse Magister, & pater, interque Tutelares præcipuos cooptatus est. Fuit insigni animi puritate præditus, ita vt corporeis etiam oculis Angelos intueretur; quem posito Regalis excellentiæ fastu Dagobertus Rex familiarissimè diligens, ab eo, hospitio recipi eiusque frui alloquio, summi beneficij loco duxit. Transtulit Sancti Vedasti corpus in locum cælitus designatum, quo ipso celeberrimum illud Diui Vedasti Cœnobium condidit, quod postea Sanctorum, & Doctorum Belgij Seminarium fuit. Vt videas quantum vni huic Monacho, Cameracum, imo Belgarum populi debeant, & deferant vniuersi.

Seminariū Sanctorum, & Doctorū.

S. Hadulphus Episcopus.

Sancti Hadulphi non minor sanctitas, atque ab hac fama, & gloria fuit, qui ex Monacho, & Abbate Nobiliacensi, verè nobilis Episcopus, adeo tamen humilis in Episcopatu fuit, vt numquam aliter quam Abbas appellari voluerit: quem Devs tamen plurimum honorauit, & mira miraculorum gratia Belgio, & Ecclesiæ commendauit. Fuere & alij plures è Monachis Cameracensium Antistites, è quibus Ingelramus, ex Corbeiensi assumptus Cœnobio, Autbertus II. ex Attebatensi, & proxima etiam ætate è Diui Vedasti ad eam Cathedram euectus, Ioannes Saracenus, ab Historicis celebrantur, in quorum postremo, nihil de antiquorum meritis desideraueris, vt diu multumque deplorauerint Cameracenses, cælo maturum tam dignum Principem, & Antistitem, tam immaturè sibi præreptum. Adeo hic etiam Pontificatus, nostrorum opera olim felix, Patrocinio Cælitum nostrorum securus plaudit triumphatque.

Alij Episcopi Monachi.

Ioannes Saracenus.

Metenses quid debeāt

Quinque SS. Episcopi Monachi.

Metensis Episcopatvs, præter plurimos egregijs meritis commendatissimos ex Ordine nostro Episcopos, quinque insuper, à longè augustissimo atque eminentissimo Sanctitatis Titulo celebratos Antistites, Sanctum Arnulphum, Sanctum Clodulphum, Sanctum Aduentitium, Sanctum Bennonem, & San-

Sanctum Theogerum habuit. Eorum primus, & præcipuus Sanctus Arnulphus, potentissimus quondam Austrasiæ Dux, humillimus postea Lirinensis Cœnobij Monachus, ex Monacho Episcopus, ex Episcopo demum, iussu, & permissu Numinis denuo Monachus, & sedem suam, & Regnum Galliarum vniuersum immortalibus meritis demeruit; quæ inter Metensem vrbem incendio iam iam perituram, diffugientibus ex desperatione ciuibus, solo crucis obiectu, mirè consopitis illicò flammis, conseruauit. Regnum autem Galliarum, eiusq; Reges Clotharium, filiumque Dagobertum, consilio suo, auctoritate, & sanctitate, mirificè iuuit, tanti à Dagoberto factus, vt sine ipso regnare non posse crederet, dimittique ad Cœnobium importunius denique flagitantem, correpto mucrone, vel cum vulnere quidem à proposito auertere cogitaret; quamuis mox pœnitens facti ad pedes Sancti supplex accideret, & veniam enixè flagitaret. Obijt æternum Regni Gallici, Lotharingiæ Principum, & Regij generis decus A. C. 641. Inter præcipuos suæ Ecclesiæ Galliarum, & Lotharingiæ Tutelares adnumeratus.

S. Arnulphus Dux Monachus Episcopus.

Quanti fiat à Dagoberto Rege.

Tutelaris Metensis, & Galliarum.

Rarior beatitas Metensium altero, ex eodem genere, Principe, & Episcopo fuit, Sancto Clodulpho nimirum prædicti Diui Arnulphi filio, qui patris vti in Ducatu successor, sic & in Monachatu, & deinceps Pontificatu fuit, & quod ad vtriusque, patris, & filij, sed & Metensium felicitatem princeps retuleris, pari idem sanctitate excelluit, grauissimis à Numine miraculis illustratus.

S. Clodulphus Episcop. & Dux.

Eodem sanctitatis titulo Cathedram eamdem Sanctus Aduentitius illustrauit, qui ex Metensi Cœnobio ad Episcopatum euectus, eximijs meritis illustrissimum nomen suum reddidit.

S. Aduentitius Episc.

Diuus Benno indignissimè à Metensibus habitus, & excæcatus, Regio cæteroquin Burgundiæ Regum genere, seruiliter tamen tractatus est, cucullo felicior quam Episcopatu, quod Argentinensi in Monasterio primùm amplexus, exul postea resumpsit, & in Einsidlen Helvetiæ consenescens, & felicissimè moriens, sacro corpore, quo indigni erant Metenses, Heluetiam beauit.

S. Benno Episcopus.

Sanctum Theogerum etiam, Hirsaugiensem, exquisitissimæ

S. Theogerus Episcopus.

eruditionis,& miræ ſanctitatis Monachum,Diui Georgij in Hercinia Abbatem,reluctantem nimis ad Cathedram Metenſem extractum, pari ſcelere appetiuere ciues, & expulere, qui Cluniacenſi demum in Cœnobio mortuus, feliciſſimum illud tot Sanctorum millibus Cœnobium, ſuo etiam Sacri Corporis theſauro beatius reddidit, iuxta illud: habenti dabitur, & non habenti etiam quod habet auferetur ab eo. Vt merito æternum doleant Metenſes tantis meritis, & prodigijs illuſtrem Diuum à ſe expuliſſe cuius patrocinio æternum ſeruari, & tunc cum viueret peſtilentiſſimo, quo laborabant, Schiſmate liberari potuiſſent.

Drogo Epiſcopus meritiſſimus.

Claruit etiam præ cæteris Epiſcopis Metenſibus è noſtris, Drogo Caroli Magni Auguſti filius nothus Monachus Luxouienſis, vir de Metenſibus non ſolum, ſed vniuerſo Imperio, & Galliarum inſuper Regno meritiſſimus, quibus denique cum neque Sanctiſſimi alij viri poſſent, & fruſtra diu in eodem Summus Pontifex Gregorius IV. laboraſſet, pacem diutiſſimè exulem, ipſumque Imperatorem Ludouicum Pium Imperatorem reddidit, filioſque Reges cum patre optimo reconciliauit. Quo quidem facto tam illuſtri, haud videmus, dignius aut vtilius, ſed & ad ſplendorem Ordinis, & Cathedræ Metenſis, glorioſius quidquam fieri potuiſſe.

Imperium vt iuuet.

Tullenſis Cathedra quid debeat.

TVLLENSIS CATHEDRA plurimos Epiſcopos non ſolum ex Monachis, ſed & ex Epiſcopis Monachos habuit, quo quidem tempore longè florentiſſima, feliciſſima, & ſpectatiſſima enituit. Ex his Iacobus, & Pipo, inprimis enituerunt, quorum ille relicto Pontificatu in Diui Benigni Diuionenſi Cœnobio, ſub annum Chriſti ſeptingenteſimum cucullum amplexus, iſte miro ſanè eiuſdem amore è Monacho Epiſcopus, ex Epiſcopo Monachus, è Monaſterio rurſum Clero petente, & iubente Romano Pontifice extractus eſt, & coactus Epiſcopum agere, qui Monachum maluiſſet. Ex illis Frotarius è Diui Apri, Lugdelinus è Sancti Martini Treuerenſis, Garibaldus è Diui Michaelis, Robertus è Meteloceníi, Garinus è Sancti Apri, Ludhelmus è Sancti Maximini Cœnobijs poſtulati, Tullum magnis meritis demeruere, æterna illius Cathedræ facti ornamenta.

Ex Monachis Epiſcopi & ex Epiſcopis Monachi.

Epiſcopi aliquot enumerantur.

Sed

Sed qui vnus omnium vice fuerit, præcipuum absque dubio Tullorum decus, solum LEONEM IX. proferimus, sanctissimum Vrbis & Orbis Pontificem, qui ipsa in iuuentute, patrem iuxta ac Seruatorem expertus admirabilem Archiparentem nostrum BENEDICTVM, eumdem spectabili forma ad se è cœlo descendentem intueri meruit, & desperata valetudine, manu illius paterna, pestilenti expresso depulsoque vlcere, Tullensis Ecclesiæ summo ornamento, bono vniuersi maximo, prodigiosè seruari.

S. Leo IX. ex Mon. Episc. & demum Papa.

Is è Monacho Tullensi eiusdem Vrbis Episcopus, ex Episcopo Pontifex Maximus; maximis statim meritis orbem impleuit, Concilia plurima celebrauit, Germaniæ patriæ (fuit siquidem Dagspurgi & Elingæ Comes) & Imperio tam Orientis, quam Occidentis multis modis consuluit, schismata sustulit, Hæreses profligauit, sepulchrum Dominicum restituit, verbo, tantum sydus ex Ordine nostro, Tullensi Ecclesia, & summa orbis Cathedra ac specula effulsit, vt cęlum terrasque admiratione repleuerit, *à quo* (inquit ipse Sanctus Victor III. Pontifex Maximus) *omnia Ecclesiastica studia renouata ac restaurata sunt, cuius Pontificatu, noua lux mundo visa est exoriri* &c.

Summ̃ Tullorũ decus.

Merita S. Leonis.

Insigne elogium.

Claruit insigni miraculorum gloria, pro eximijs meritis Sanctorum albo adscriptus, & toto terrarum orbe summis laudibus cultuque celebratus. Vt nihil hoc Tutelari dignius Tullensibus obtingere potuisset.

EPISCOPATVS

Leodiensis. *Tridentinus.* *Brixiensis.*

LEODIENSIS, eoque translata TVNGRENSIS Ecclesia, Sanctorum Episcoporum ex Ordine nostro copia incomparabiliter felix, præcipuos suos Tutelares, quos æternos sui Protectores in cęlo haberet, è Monasterijs extraxit, Magnum inprimis illum Tungrorum, Eburonum, totque diuersarum gentium Apostolum, Sanctum Amandum Lirinensem Monachum, Sereni Aquitaniæ Ducis filium, tum Diuum Remaclum, Sancti Eligij nostri discipulum, qui ex Solemniacensi Abbate Pontifex creatus,

Leodienses quid debeant.

creatus, relicto demum Pontificatu, Monachum denuo Stabuleti professus, iterumque Abbas creatus, & ipse admirabili sanctitate effulsit.

S. Theodardus Episc. & Mart.

Huic proximum Sanctum Theodardum Stabulensem Monachum, eadem Cathedra meruit, qui & pro iuribus eiusdem seruandis Martyr occubuit, & qua gloriosiore non poterat prætexta, Martyrij pretiosissima purpura eamdem conuestijt.

S. Lambertus Episc. & princeps Tutelaris Leodien.

Sed ante omnes Theodardi successor Sanctus Lambertus, S. Landoaldi discipulus, princeps Campaniæ Brabantinæ Apostolus, eamdem Ecclesiam demeruit, quam & ipse generosissimo suo sanguine nobilitauit & consecrauit, eiusdemque præcipuus à morte TVTELARIS deligi meruit. Huic Diuus Hubertus, alter Leodiensium Tutelaris, Princeps Aquitaniæ, Sancti Lamberti discipulus successit, nec minori sanctitate infulam exornauit.

S. Hubertus Episc & Tutelaris.

S. Florimbertus Episc.

Tum translata Leodium Sede, primus Leodiensium Pontifex Sanctus Floribertus, Monachus, & Abbas Stabulensis, Sancti Huberti præmemorati filius, præsedit, atq; admirabili & ipse sanctitate, nouæ Ecclesiæ firmissima fundamenta iecit; vt non tam in Humberto patre, Tungrensem Episcopatum desijsse, quam in Floriberto filio translatum, Leodijque inchoatum esse, vtraque Ecclesia, de tantis Principibus ijsdemque sanctissimis Pontificibus immortaliter glorietur.

Initia Episcopatus in nostris.

Alij Episcopi Monachi.

Tacemus reliquos pro meritis commendare, qui multis titulis illustres, solo sanctitatis, non adeo celebrati extiterunt, qualis Francus fuit, Hannoniæ Comes, è Laubiensi, qualis Richarius, & ipse Hannoniæ Comitis filius, è Stabulensi, qualis Hugo, è S. Maximini, qualis Pharabertus S. Pauli Comes è Prumiensi, qualis denique Ioannes de Enghien è Stabulensi Monasterijs postulati, solos Sanctum Ratherium, Sanctum Notkerum, Sanctum Vvolbodonē obiter celebramus: quorum primus, illustrissimo Viennensium Comitum prosapia oriundus, Laubiēsis Monachus, admirabili vt eruditione, sic vitæ meritis effulsit. ob quæ ad Pontificatus Veronensis Cathedram euectus, non suæ solum, sed vniuersæ Ecclesiæ strenuam operam nauauit, & repullulascentem passim pestilentissimam Anthropomorphitarum Hæresim, æterno cum merito profligauit.

Tres alij eximiè sācti.

S. Ratheri⁹.

Berengariorum postea errores pari felicitate refutauit, doctissimisque

simisque editis libris mirè confudit & conuicit. Fuit in Diuini Verbi prædicatione assiduus, vitiorum omnium hostis iuratissimus. cumque profligatissimæ famæ hominum scelera insectari constantissimè pergeret, & potentiorum etiam malefacta redarguere non formidaret, Sede sua pulsus, restitutus paulò post, iterumque pulsus, Leodiensis postea Episcopus creatus, cum pari libertate in sceleratos animaduerteret, & inde deiectus, ad Cœnobij sui dulcissimam quietem rediјt, & multa æternitate dignissima relinquens ingenij monimenta, ibidem sancto fine decessit, illustribus à Deo miraculis honoratus.

Hæresum profligator.

Eius ingenij monimenta.

Sanctus Notkerus, non tam generis nobilitate, quam eruditione Illustrissimus, eo inprimis beneficio Legiam vrbem, siue Leodium obstrinxit, quod eam ipse muris cinxerit, eiusq. Conditor dici meruerit, quę Villæ antea Legiæ nomine appellabatur.

S. Notkerus Episc. vrbis conditor.

Idem Comitatum Huiensem Ecclesiæ suæ adiecit, multisque conditis Ecclesijs & Cęnobijs, & alijs præclarissimè gestis nomen suum æternitati consecrauit.

Vltimus denique Diuus Vvolbodo, sanctitate nulli secundus, Ducis Bergensis filius, Monachus Stabulensis, non tam Vrbem ipsam, totamque Diœcesim, multis modis iuuit, & extulit, quam vniuersum Imperium, obnoxium sibi reddidit, & sanctitatis eximiæ radijs mirificè illustrauit. Orationis studio deditissimus, continua poplitum flexione genibus callos obduxit: frigoris, inediæ, vigiliarum adeo patiens, vt aspera sæpe hyeme, nudis pedibus in templis pernoctaret. A Sancto Henrico Imperatore summo in pretio habitus, longas ipsum inter & Heribertum Archiepiscopum Coloniensem simultates, felicissimè composuit, ita quidem vt Imperator ipse Natalitijs Domini ferijs Coloniam properans, publicè Heriberto satisfaceret.

S. Vvolbodo Episcopus.

Magni fit ab Henrico II. Imp.

Pacem conciliat.

Mortuus est Vvolbodo, gyganteo vti corpore Princeps, ita virtutibus verè magnus, inter amplexus Crucis Dominicæ A.C. 1020. tantis à morte prodigijs coruscus, vt Abbas S. Laurentij, quo in Cœnobio à se reformato, conditus fuit, per Diuinum amorem obtestatus sit, vt ab illis temperaret, tanta ab occurrentibus noctu & interdiu Monachis molestia creabatur. Nec alia eius merita recensere, solum ea libet addere, quæ vetustissimum eiusdem Epitaphium ad compendium retulit.

Mira miraculorū gratia.

Immortalia eius merita. Hoc Dvce prostravit tvrcos Caesarq. fvgavit &c.
Hac in Vrbe pias, primvs statvit Litanias &c.
Pacis et ipse Dator, sed et amissae Reparator &c.

S. Rupertus Tuitiensis Leodij Princeps decus. Vt si tot tantosque ex Ordine nostro Pontifices Leodium non habuisset, hoc vno, vrbs & Cathedra beatissimæ, & longè Illustrissimæ haberentur; quarum si cæteram felicitatem, à Monasterijs Diœceseos diuersis describere vellemus, integer se rursum nobis campus aperiret, cum Leodio, vel solus quidē Diuus Rupertus cognomento Tuitiēsis sufficere debeat, Diui Laurentij à Vvolbodone restituti Cęnobij Monachus, Cœlitum Imperatrici commendatissimus, vt qui Orbi vniuerso sufficiat, Doctorum sui sæculi miraculum, quem nimirum ipsa Sapientiæ Mater instituerit, virum talem, quem pro meritis omnis posteritas suspiciat & veneretur.

Trident. & Brix. Episcopatus. Tridentinvs et Brixiensis Pontificatvs, Italiæ proximi, de plenitudine illa prouinciarum felicissimæ, restituto per ipsum admirabilem Parentem, atque Archiducem nostrum BENEDICTVM, Ordine Monachico, perque eius discipulos, orbe reformato vniuerso, plurimis modis participarunt. *Brixiam vt nostri demereantur.* Brixiensis inprimis Cathedra Longobardorum iuri diu accensa, qua gente conuersa, & non semel ad gremium & fidelitatem Romanæ Ecclesiæ per nostros conuocata, præcipua in Brixiam felicitas est deriuata.

Demeruere eamdem Cathedram diuersis meritis, Sanctissimi quiuis ex Ordine Vrbis & Orbis Pontifices, qui eximijs iuribus & Priuilegijs Episcopos excoluerunt.

Lambertus à Buren Episcopus. Ex Episcopis posteriorum etiam sęculorum, Lambertus à Buren ex Abbate Gengembacensi Pontifex Brixiensis, enituit, qui tamen ad ampliores expetitus & promotus Cathedras, inde iubente Beato Vrbano V. Pont. Max. ad Spirensem transijt, deinceps ad Argentinensem, demum ad Bambergensem euectus.

Tridentina Diœceseos pars magna ad fidē per nostros conuersa. Tridentinvs Episcopatus, quamuis vetustissimus, magna tamen sui parte Gentilium superstitione cęlo inuisus iacuit, donec magnus ille Boiorum Apostolus Rupertus superueniret, cui, vti Archiduci nostro BENEDICTO vltimo Italiæ Apostolo, vltimum Inferi Præsidium, & receptaculum expugnandum, relictum & à Numine decretum fuit, ita & huic destinatum videbatur

tur, Pisonis nimirum (vulgo Bozen appellant) Metropoli & Sede Ducali, cum ipso Duce Theodoualda, Theodonis Magni filio, nec non finitimis oppidis & ditione vniuersa ad Christiana sacra traductis. Vt hic quoque Episcopatus, sicut cæteri Germaniæ vniuersi, præter alia, quæ enumerare porro nec libet, nec vacat, & quidem merito omnium maximo obstrictissimus habeatur.

Pisonium.

Theodoualda Dux cō. uertitur à S. Ruperto.

Sed alios etiam Imperij Episcopatus, quibus hoc tempore in Comitijs vel non est locus, vel certis ex causis præterita à Scriptoribus memoria, aliqui etiam euersi, vel ab Hæreticis occupati seu detenti, obiter & quam breuissimè attingamus.

Aliqui Episcopatus in Comitijs nō censi.

Ex his cùm in inferiori Germania, tum in Vngaria, Bohemia, Morauia, Russia, Heluetia, insigniores habētur, quos subijcimus.

NOVIOMENSIS siue TORNACENSIS in Belgio, qui præter Fidei lumen à nostris illatum, & barbariem proscriptam, supraque omnem cæteram felicitatem, præcipuum suum Tutelarem S. Eligium, multarum gentium Apostolum suumque Episcopum Ordini nostro debuit, è Monasterio Solēniacensi extractum & Pontificalibus infulis insignitum. Sed & alios duos egregia sanctitate illustres, è Luxouiensi Cœnobio Sanctum Acarium, miraculorum gloria celeberrimum, rursumque ex eodem S. Mommolenum accepit, quo quidem ornamento dignius habere nihil potuit; vt nihil de alijs dicamus, qui, etsi non Sanctorum albo adscripti, inter meritissimos tamen Episcopos celebrantur.

Noniomēsis Episcopatus

S. Eligius Tutelaris præcipuus.

Alij ss. Episcopi.

TRAIECTENSIS in Hollandia Episcopatus, nostris vt plerique alij, initia, gloriam, & fortunam omnem debuit. Institutus primum à S. Sergio nostro Pontifice Maximo, & felicissimo omine cœptus à primo Sanctissimoque Episcopo Vvillibrordo, Ripensi Monacho, celeberrimo Belgij Apostolo, vt meliore fundamento niti non potuisse videatur.

Traiectēsis Holland. Episc.

Quatuor primi Episcopi Sācti.

Nihilominus, idem Episcopatus, quatuor velut basibus subnixus, proximos etiam tres Episcopos, tantos habuit, quibus orbis vniuersus niti potuisset.

Villibrordo siquidem successit, maximus ille Germaniæ Apostolus, S. Bonifacius noster, primus postea Moguntinensium Archiepiscopus, ob potentiam verbi & operis TONITRVI FILIVS appellatus; huic Sanctus Gregorius, iterumque huic Sanctus

Item alij præcipui.

Adalbertus, siue Albericus è Regibus Frisiæ oriundus, vterque S. Saluatoris Traiectensis Monachus, vterque Apostolicis meritis gloriosissimus.

Sed & præ alijs eiusdem Sedis Episcopis effulsere Sanctus Rixfridus septimus in Ordine Episcopus, & S. Radbodus 14. Radbodi Frisiorum pronepos, vterque item ex eodem S. Saluatoris extractus, quorum tantorum virorum sanctitate, & gloria, non Traiectensis solùm Cathedra, sed Belgium, imo Europa, & Ecclesia Christi vniuersa mirè resplenduit.

Morinensis Episcopatus MORINENSIS, siue TARVANENSIS Pontificatus, prętcr primos item suos ex Ordine nostro Apostolos, Tutelares & Antistites sanctissimos, Sanctum Audomarum è Luxouiensi, Sanctum Bainum, è Fontanellensi, Sanctum Folquinum è Diui Bertini, Sanctum Hunfridum è Prumiensi meruit. *Plures Tutelares.*

Lobiensis Episcopatus rarissima felicitas. LOBIENSIS, è Monasterio cognomine natus Episcopatus, quotquot omnino Monachos Episcopos, totidē Sāctos numerauit, septē primis Episcopis ijsdēq. & Monachis, & eximia sāctitate cōspicuis, ad miraculū felix: quorum primus S. Hidulphus è potentissimo Austrasiæ Duce, humilis ibidem Monachus, tum Abbas, demum primus eiusdem loci Episcopus, admirabili sanctitate, fundamenta felicissimi Pontificatus posuit, imo ipse Fundamentum fuit, & verè locum consecrauit.

Septem primi Episcopi omnes sācti. Proximus S. Vrsmarus, qui Flandriam Occidentalem ferè totam Christo & Ecclesiæ aggregauit. Tertius S. Erminus, quartus S. Theodulphus, quintus S. Vlgisus, sextus S. Abel, septimus S. Amoluinus, Apostolici omnes viri, ex Abbatibus eiusdem loci omnes lectissimi Episcopi, orbem admiratione, cœlum triumpho impleuerunt.

Bosnensis Archiepisc. BOSNENSIS in Russia Archiepiscopatus, gentis illius pręcipuū Apostolum, & primum Archiepiscopum S. Bonifacium Saxonē habuit, Otthonis Imperatoris consanguineum, Monachum S. Alexij Romanum, qui cum Regem populumq. ad fidem Christi adduxisset, à Regis demum fratre occisus, Apostolatum suū creditamque prouinciam suo gloriosissimo sanguine consecrauit.

Colecienfis, & Strigon. COLECIENSIS, & STRIGONIENSIS in Vngaria Archiepiscopatus, vterque Sanctum Anastasium, ex eodem S. Alexij Cœnobio, Archiepiscopum meruit.

CANA-

Canadinensis in Morauia, S. Gerardum primum Antistitem suum, præcipuum illum Vngariæ Apostolum Sanctum Gerardum Venetum accepit.

Quinque-Ecclesiensis in Vngaria Beatæ memoriæ Maurum S.Martini in monte, Sancto Stephano Regi dilectissimum, primum Pontificem habuit. *Quinque Ecclesiensis*

Mechelburgensis in Vvandalia, Archiepiscopum primum Sanctum Ioannem, Apostolum suum salutauit, Hybernum Monachum, qui & Apostolica merita Martyrij laureola cumulauit. *Mechelburgensis.*

Hamburgensis Cathedra primum item Antistitem suum, & maximum quidem illum Septentrionis Apostolum, S. Ansgariũ Corbeiæ Monachum suspexit. *Hamburg.*

Mersburgensis Episcopatus, à S.Henrico Imp.nostro, opera S.Vdalrici conditus, primum item Episcopum è Diui Emmerami Cœnobio, Beatum Bosonem, Slauorum pręstãtissimũ Apostolum coluit. Sed & Misnensis Cathedra, primum similiter Episcopum ex Ordine Burcardum habuit, qui & ipse non sine sanctitatis opinione felicissimè præfuit. Sedes eadem magnum illum Tutelarem suum, Diuum Bennonem, è S. Michaelis Hildesheimensi Cœnobio extractum nostris debuit, qui Slauos ad paganismum relapsos sua prędicatione reduxit. Eadem Sanctum Gerungum è Putzanigensi Cœnobio rapiens Põtificem elegit, multoque alio nomine nostris æternum debuit. *Mersburg.* *Misnensis.*

Brandeburgensis Cathedra à B.M.Lamperto Ilsenburgẽsi Abbate; suoque Antistite mirè decorata, & proprio item sanguine, pro libertate Ecclesiæ fuso nobilitata est. *Brandeburg.*

Frislariensis in Thuringia, Sancto Albuino primo Episcopo felix, Huensi Monacho, eius opera & ipsa & Thuringia ferè vniuersa Christum agnouit. *Frislariẽsis*

Erfordiensis Cathedra, Sanctum Adelarium Diui Bonifacij discipulum primum Põtificem excepit, qui creditam sibi prouinciam sua sanguinis purpura tinxit & beatam reddidit. *Erfordiẽsis.*

Curiensis in Rhetia, ex tot Episcopis quos habuit, sanctitatis titulo præ cęteris illustrem Sanctum Adelgotum, siue Algotum è Claræuallis Cœnobio submissum, plurimum suspexit qui & tãtis beneficijs eamdem obstrinxit, vt præcipuus Episcopatus Restaurator habeatur. Idem Pontificatus, tres minimum Episco- *Curiensis.*

Ex vno Cœnobio 3. Episcopi. pos, è solo Einsidlensi Cœnobio Hartmannum Baronem de Plana-terra, Vldaricum Comitem Kyburgium, & Hermannum Baronem de Eschenbach postulauit, è Diui Galli Vdalricum Baronem à Degerfelden & Rudolphum Baronẽ à Guttingen; alios aliunde è diuersis Cœnobijs expetijt.

Lausanẽsis. LAVSANENSIS, siue LOSANENSIS Diœcẽsis Sanctum Amadeum ex Domino Alteripæ, Altæcumbæ Monachũ, è Monacho Episcopum meruit; nec multo post admirabili sanctitate spectatissimum B. Bonifacium DEIparę fauoribus illustrissimum accepit, sicut & hodie Claudium Baronem à Vvatenuveil (Vatteuille) Abbatem Charitatis, Principem ab omni virtute laudatissimum, & cucullo in ipso Pontificatu cultiorem, quam si purpura suspicit.

Inter Sedunensis Cathedræ Põtifices Eduardus Amedei Ducis Sabaudiæ filius ex Bona Borbonia enituit, ex Abbate Secusię, *Sedunensis.* Episcopus primum Bellicensis, tum Sedunensis, Archiepiscopus postea Tarentasiensis, in cuius funere Florianus Maurionensis perorauit. Vt nullam omnino, ne recentissimas quidem Cathedras noueris, Monachorum meritis non insignitas. quarum *Audomarensis.* superiore primum sæculo Audomarensis à Gerardo Americurio Abbate S. Bertini, primo Episcopo inchoata, & mire ornata fuit, *Viennensis.* Viennensis nupertimè sub Antonio Cremiphanensi Abbate, Cęsarum Consiliario Principe multum effloruit: sed & antiquiores Cathedræ, non paucos, postrema ætate nostra, aut exambierunt, aut rapuerunt, è quibus superioris sæculi decus Ludoui- *Camerac.* cus Blosius Abbas Lætiensis; oblatum Cameracensis Archiepiscopatus, & Ducatus amplissimi honorem religiosissimè explosit, Ioannes autem Saracenus Abbas S. Vedasti, nuper sanctissimè excepit & gubernauit, Matthæus Mouilart S. Gisleni Abbas *Atrebas.* Atrebatensem rexit, Carolus de Croij Princeps Cimacensis, Abbas Affligemiensis, Tornacensi præfuit, quorum laudes cum in memoria etiamnum & ore hominum versentur, & aliud suadeat libri huius institutum, commendanda posteritati alijs relinquimus,

Tornacẽsis Abbates Episcopi adnumerati. Episcopis adnumerantur in Comitijs, eadem in classe Abbas Fuldensis, Magister Equitum Ordinis Teutonici, Abbas Hirsfeldensis, Campidonensis, Murbacensis, Corbeiensis.

Ful-

Fulda. Ord. Teuton. Hirsfeldt. Murbach.

Campidonum. Corbeia.

EX his solus Magister Ordinis Teutonicorum, cum suis Equitibus, Archiducis nostri BENEDICTI Legibus non tenetur, beneficijs tamen quamplurimis est obstrictissimus: Eo inprimis longè maximo, quod longè pulcherrimum Institutum, à nostris Cluniacensibus in Oriente primum promotum, & quidem ad normam Templariorum nostrorum, nec dissimili omnino fine cœptum sit atque propagatum. Quo quidem in genere beneficij non minus eumdem Ordinem Sanctissima nostra Cisterciensium familia obligauit.

Magister & Ordo Teutonic quid debeant. Institutũ à nostris promotum, & desumptũ. Cluniacẽses & Cistercienses meriti.

Ante omnes tamen eorumdem Militum res, fortunam, & potentiam Beatus noster Gregorius, eo nomine IX. Pontifex Maximus, promouit, & Marianæ huius familiæ, pro inexplicabili suo in Deiparam affectu, curam diligentissimam habens, ijsdem quidquid Prutenis infidelibus, & malè de re Christiana meritis detrahere possent, & bello eripere; auctoritate Pontificia concessit, & assignauit, cuius indubiè benedictione, & indictis precum suffragijs, illustrissimis deinceps victorijs potiti Mariani Equites, felicissimis incrementis nimiopere potentiam suam extenderunt.

Meretur de Teutonicis præ alijs B. Greg. IX.

Adiuncti è nostris Sanctissimi quiuis Antistites, qui propagandæ Fidei zelo, & iuuandi sacri exercitus studio, tam in subiuganda Russia, quàm Liuonia, ipsa eximia vitæ sanctitate, plurimum contulere, è quibus nonnulli Sacra sui sanguinis purpura (vt omnes omnino prouincias purpurarunt nostri) eas regiones felicissimè tinxerunt, & fœcundiores deinceps reddiderunt. E quibus Beatus Bertholdus Lukensis Cœnobij Monachus, ad Conuersionem gentium Episcopus ordinatus, post plurimum in Liuonia fructum, labores suos suo sanguine consignauit.

Apostoli nostri.

B. Bertholdus Episc.

Beatus Christianus primus Kelmensis in Lubauia Episcopus ordinatus (vt & hæ Cathedræ nostris initia referrent) Ordini Teutonicorum, & Gladiferorum ex illis oriundorum, mirificè profuit, vt alter quasi eorumdem author, & Institutor dici meruerit,

B. Christianus.

meruerit, qui & ingentem populorum vim Christo, & S. Matri Ecclesiæ aggregauit.

B. Albertus B. Bernard⁹ Lippiensis. Nec minus eidem Ordini supra modum consuluit Beatus Albertus noster Rigensium in Liuonia Pontifex, & Beatus Bernardus Comes Lippiæ, qui ex Mariæfeldensi Monacho Lealhensium Episcopus in Liuonia creatus, plurimos similiter Infero præcipuit, & Sanctissimis Fidei nostræ præceptis imbuit; omnes isti, pluresque alij, APOSTOLORVM gloriosissimum Titulum per easdem prouincias consequuti. *Potētia Teutonicorū per nostros stabilita.* Quorum opera stabilita felicitas Teutonicorum Equitum, & potentia in eam quam postea adepti sunt eminentiam euasit, vt hic quoque Ordo, Ordini nostro obligatissimus habeatur.

Fulda qualis. FVLDENSE Germaniæ Archisterium, nimietate fructus & gloriæ longè locupletissimum, multis celebrare non vacat, quod verbo potius innuisse præstet, in quorum enumeratione deficeremus.

Fuldæ longè Illustrissimi Tituli. Fuit FVLDA antiquissimum celeberrimumque Germaniæ Vniuersæ LICAEVM, APOSTOLICORVM VIRORVM ILLVSTRISSIMVM COLLEGIVM, SANCTORVM terrestre Cælum, DOCTORVM ALVEARIVM, EPISCOPORVM, ET ARCHIEPISCOPORVM PROMPTVARIVM, vt satis, non tamen nimis dixisse existimemus, & ea sufficienter Fuldam deprædicent, quæ diuersis iam passim locis attigisse meminimus.

Hersfeldensis Monasterij merita. FVLDAE proxima semper, vt loco, sic dignitate fuit Hersfeldia, meritis item eiusdem Fuldæ soror germana, vt neutra tamen alterutri inuideret, vtriusque gloriam Germania vniuersa suspiceret, vberesque earumdem fructus, tanto decursu sæculorum, vbertim carperet, è cuius fontibus enata flumina amplissima, Imperium vniuersum irrigassent, & fœcundassent.

Murbacēse monasteriū. MVRBACENSE Monasterium, & ipsum viris de Germania, & maximè vicinis prouincijs Alsatia, & Brisgouia meritissimis frequentissimum, alia inter præstantissima Imperij ornamenta, & Sydera, *S. Simpertus Episcopus.* Diuum Simpertum, Amperti Austrasiæ Ducis filium, nouo partu, Sanctissimum edidit, & Augustæ Vindelicorum Pontificem submisit, adeo benè de sua illa Cathedra meritum, vt æternum AMPLIFICATORIS nomen meruerit,

ruerit, in cuius gratiam, limites eius Carolus Imperator, Lyci olim termino conclusam Diœcesim, longè in Boicam extenderit. Eiusdem Murbacensis Cœnobij sub Imperio, fauore, & fortuna, spectatissima illa Vrbs Heluetiorum Lucerna, originem sumpsit, conditoque illic Cœnobio Murbacensium membro, confluentibus eo religionis ergo fidelibus, creuit, adoleuit, in tantum denique splendorem euecta, quæ incunabula sua Monachis debuit. Vt satis habeamus vni huic Cœnobio tam Augustas Vrbes, tantum debere, nec referamus, longè plura alia loca, si minus initia, fortunatissima tamen incrementa debuisse.

Amplificator Augustanæ Diœceseos.

Lucerna vrbs incunabula debet.

CAMPIDONVM, siue CAMPODVNVM vetustissima, & magnificentissima olim superioris Alemanniæ Ciuitas, Treuerorum Metropoli, & Vindelicorum Augustæ ætate proxima, cùm Romanorum tum Barbarorum irruptionibus, & cladibus redacta in vastitatem, & solitudinem, nostrorum item opera è tenebris primùm ignorantiæ verique luminis, dein squalore etiam in splendorem emersit, Diui Theodori nostri opera, Sancti Galli discipuli, S. Magni collegæ, syluescentibus inter syluas, & latrocinia populis, ab Idololatria, & barbarie, à dogmatibus scelestissimis, ad fidei vnitatem, & Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium aggregatis.

Campidoni Vetustas.

S. Theodorus Abbas.

Eo ad superos, & pro meritis inter Apostolos assumpto, cum dispersi, & solitarij aliquamdiu discipuli, salutis, & prædicationis opus prosequerentur, tantis tandem eorumdem de protrita Idololatria, & barbarie triumphis, Trophæum erigere Diuæ Hildegardi placuit, gentis Principi, inde ad Caroli Magni thalamos assumptæ, quæ vt Regiæ iuxta magnificentiæ conderet in patria sua monimentum, pulcherrimum illic atque Augustissimum Monasterium Cœlorum Augustæ honori exstruxit, & amplissimis prouentibus ditauit, illic quoque delecto sibi post mortem tumulo, vbi lectissimum Monachorum pro se, & marito Numini supplicum, cætum congregasset. Dedit eidem loco ipsa, quem nouisset, dignissimum eo munere Abbatem Beatæ memoriæ Andelgarium siue Amelgarium cognatum Principem, quem nonnullis Brunsuicensium Ducem appellare placuit, non quod Brunsuicum tunc Principatus titulo insigne esset, sed quod poste-

Apostoli nostri.

Fundatio Monasterij.

postero tempore, ex Amelgarij, & Hildegardis sanguine, oriundi deinceps essent Duces Brunsuicenses, ex quo item Iuditha paulo post Augusta fuit, Ludouico Pio, Caroli, & Hildegardis nupta filio, quod coniugium multi Sanctissimi Episcopi, propter nimiam sanguinis propinquitatem plurimum improbarunt.

Primus Abbas. Amelgarium ipse Adrianus Papa solemniter inaugurauit, Monasterijque Consecratio, Caroli Magni maximorumque Europæ Principum concursu adeo solemnis fuit, vt vix vlla talis per Germaniam celebretur, relato ad perpetuam rei memoriam in tabulas concurrentium numero atque nomine, præcipuis superæ Alemanniæ proceribus, inde generis sui vetustatem comprobantibus, vt præter tot, tantaque alia merita, illud ipsum, quod vel maximè præ opibus, & fortuna omni æstimant, Veteri Monachorum industriæ, tam insigne quisque suæ familiæ debeat monimentum.

Restitutum Campidonū. Accreuit deinceps Cœnobio oppidum, quod illi, quo quisque erat sæcularium religiosior, propius adsidere, in gratissimis duceret, & ciues postea vniuersi, magna à Monachis beneficia acciperent atque emolumenta.

Sed & vicina, quin & longè dissita Nobilitas, eidem Cœnobio plurimum obstricta, sexcenti ferè, feuda, possessiones, & præfecturas amplissimas meruere, adeo quidem, vt maximi etiam Principes, eiusdem feudatarij fierent, Archi-Dapiferi, Pincernæ, Marescalli, Camerarij munus promptè obirent, & vero etiam exambirent: quorum filios, institutis in Cœnobio Scholis, viri religiosissimi atque eruditissimi, optimis disciplinis, & moribus instituebant, tanta quidem dexteritate, & felicitate, vt quamdiu, eiusdem studij, & pietatis, Monachi æquè ac sæculares satagebant, vix vnquam felicior orbis status fuisse videretur.

Principes Vasalli.

Tantis meritis se Sueuiæ Campidona commendauit, quantis Sangallense Monasterium Heluetiæ, Corbeia Saxoniæ, Altaichium Bauariæ, Hirsaugia Vvirttenbergiæ, Fulda Hassiæ, & Buchoniæ &c. Vt haud mirum esset, in eam opulentiam ac magnificentiam suo merito, grata fidelium agnitione, & donatione creuisse, vt nemo titulo, & iure meliore, suæ comprobet

probet iura hæreditatis. Idem Almangauiæ Archisterium, insigni Priuilegio donatum Hadrianus Papa eo nomine primus, adeo liberum atque immune, ab omni Episcopali iugo voluit, vt *alteram atque secundam Romam* appellaret.

Concessit idem, vetustissima sanè concessione, Abbati plenam potestatem, *IVS SOLEMNE GLADII*, ad exercenda iura forensia, tuendam iustitiam ac bonos, atque è medio tollendos malos, *vsurpandi*. Vnde Versus ille peruetustus, quem Abbas, & Princeps huius loci, communem cum Episcopo Herbipolensi habet:

Campidona sola, iudicat ense, stola.

quo vtinam pro rei dignitate vsus Princeps esset, cum primùm lolium in agro Dominico enasceretur, ne totam, & sementem turbaret, & segetem, falsis dogmatibus adeo deinceps inualescentibus, vt nullo seu iure, seu gladio, honorem Princeps suum, satis tueretur, cum humani æquè ac Diuini iuris immemores Sectarij, nulla nec originis, nec conditionis suæ habita ratione, & Principi obnixi suo, & Cæsari, eiurata quam ab Apostolis suis acceperant, omnesque maiores sui tam piè obseruauerant, Religione, pulcherrimum illud triumphatæ Gentilitatis trophæum, plus quam hostili odio, atque Ethnico more, gloriam ipsi suam pessumdarent atque euerterent, quasi de libertate sua ageretur, cum quæ cuique liberent, credere non permitterentur, contempta Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ DEI solida doctrina, omnes seipsis facti Diuinæ legis interpretes, creati à seipsis Doctores, cum vel maximè se probarent Legum omnium, sacro & sæculari contempto magistratu, protritores.

Corbeia laudes. CORBEIAE Monasterio illud Imperium, & sanè quam maximum debet, vix vllum in orbe fuisse Asceterium, quod plures, spectatioresque, in Septentrionis vniuersi conuersionem, sibi tanto decursu sæculorum hostiliter imminentis, APOSTOLOS educarit, & submiserit; quorum opera factum, *Apostolorū aluearium.* qui maximè metuendi toties Europæ incubuissent populi, Sanctissimæ Matris Romanæ Ecclesiæ filijs accensi, maximo deinceps metu, Imperium vniuersum liberarent, amicitiæ foedera iun-

Ingens meritum. ra iungerent, commercia inirent, fructu, & commodo tanto vni ferè huic Corbeiæ referendo. Quæ si vel vnicum Sanctum Ansgarium Imperio commodasset, hoc ipso illud sibi immortaliter obstrinxisset, cuius tamen è gremio tot Sancti Episcopi, Archiepiscopi, Gentium Apostoli, Doctores maximi prodierunt, vt mundum haud immeritò admiratione rapuerint vniuersum, Sancti Adalhardi, Vvimones, Stephani, Remberti, Hogeri, Adalgarij, vnus sæpè, non vnius Regis, & Regni sed plurium, & maximè distantium conuersione gloriosissimi, qui quot eiusmodi Christi Regno, totidem Imperio adiecisse, totque iuratos Reipubl. Christianæ hostes subegisse existimandi sunt: quo quidem merito haud videas, quid præferendum sit siue comparandum. Quartam Imperij Classem adeamus.

Quanti è Corbeia viri?

Quæ Regna Imperio adiecerint.

QVARTA SACRI ROMANI IMPERII CLASSIS

Quæ est

POLITICORVM PRINCIPVM.

Principum Politicorum familia.

HOrum nostra ætate octodecim familiæ numerantur: Archiduces Austriæ, quorum duæ sunt lineæ: prima Ferdinandi, quæ propriè Austriaca: altera à Carolo V. deducta, Burgundica dicitur.

Duces Bauariæ in duas itidem lineas distincti, quarum vna communi nomine Bauarica, altera Palatina appellatur. Duces Saxoniæ, Marchiones Misniæ, & Landgrauij Thuringiæ, Marchiones Brandeburgici: Duces Brunsuicenses, & Lunæburgenses, Duces Iuliacenses (quorum non ita pridem familia extincta.) Duces Pomeraniæ: Megapolitani, Vvurtenbergici, Landgrauij Hassiæ, Marchiones Badenses, Duces Saxoniæ Inferioris siue Lauenburgici, Duces Holsatiæ, Landgrauij

De singulis vel actũ vel agendum.

grauij Leuchtenbergici, Duces Sabaudiæ, Principes Anhaltini, Duces Lotharingiæ, Comites Arnbergij à Diuo Maximiliano inter Imperij Principes suscepti.

Quibus adduntur Radziuilij Lithuaniæ Principes, qui etiam in numerum Principum S.R.I. cooptati sunt.

De singulis ferè singillatim superius iam actum, vt ea repetere molestum potius quam gratum videatur; conuersione maiorum eorumdem; totque prouinciarum ijsdem subiacentium, per Apostolos nostros celebrata, & demonstrata, vt nihil iam iuuet, quàm eà solum attingere; quorum in priore Aquilæ diuisione, seu adumbratione, non licuit meminisse.

Omnes nostris conuersionē debent

Ex ijs primi occurrunt Iuliaci, & Cliuiæ Duces, qui & ipsi, sicut Germaniæ Principes ac proceres ferè vniuersi, Fidem Christi à nostris edocti, qua sine salus est nulla, tantum etiam Monachis debuere. Laborarunt, inter alios, & præ alijs Prædicatoribus nostris per Cliuiam, Sicambriam, Iuliacum, Teisterbantiam &c. Sancti Lebuinus, & Vvillibrordus nostri, qui grauissimis perfuncti laboribus, & periculis, prouincias demum easdem Christo lucrati, APOSTOLI earumdem appellati, & Tutelares pro meritis cooptati sunt.

Iuliaci Cliuiæ, & Montium Principes.

SS. Lebuinus & Vvillibrordus eorū Apostoli.

Claruerunt ex earumdem prouinciarum Principibus, inter filios Archiducis nostri BENEDICTI accensi, sanctissimus ille, & paulo superius, inter Leodienses Episcopos laudatus, meritissimus de vniuerso Imperio Pontifex Vvolbodo, Monachus Stabulensis, pro admirabili vitæ sanctitate inter Diuos relatus, cuius memoria anniuersaria 21. Aprilis solemniter celebratur; Beatus Ebrardus item Montium Marcæ, & Altenæ Comes Illustrissimus, qui è tanto, & bellis clarissimo Principe Monachum Morimundi professus, & ferè mundo mortuus, bubulcum Cœnobij haud breui tempore egit, donec pro tanta animi demissione exaltatus, & super candelabrum positus, Montis Sancti Georgij Abbas deligeretur; sed & Beatus Bruno Cliuiæ, item & Montium Comes, ex Archiepiscopo Coloniensi, Veteris Montis Monachus, cucullum omni gloriæ præferens, ibidem non sine magna sanctitatis opinione felicissimè decessit.

Principes eiusdem familiæ Sancti, & BB.

S. Vvolbodo.

B. Ebrardus ex Principe bubulcus.

B. Bruno ex Archiepisc. Monachus.

B. Elisabeth

Beata Elisabeth etiam Iuliacensis Marchionissa, illud in cucullo consequuta est; quod vix pauci in purpura; & ipsa sanctitatis fama in Monasterio Buruenich, cuius demum Abbatissa fieri meruit, celebrata. Vt plus felicitatis, & gloriæ ab hisce syderibus, quam ab vniuersis cæteris bello, & pace claris Principibus suis, illustrissima eadem Principum familia, & prouincia eorumdem amplissima indepta videatur.

Pomerania à nostris conuersa. Henricus Dux Monachus Vveingartensis. S. Ottho Pomeran. Apostolus.

POMERANIAE prouincia, & Duces plurimum similiter nostris debuere, Henrico inprimis nostro, potentissimo Tusciæ, Bauariæ, Saxoniæ Inferioris &c. Duci, Vveingartensi postea Monacho, qui Pomeraniæ eiusque Ducis Vvartislai conuersionem præcipuè cordi habuit, & quo felicius res succederet, eidem Helenam filiam matrimonio iunxit. Sed & Sanctissimus ille noster Bambergensium Pontifex Diuus Ottho, Henrici Ducis cognatus, in eum laborem se ipse obtulit, plurimisque superatis difficultatibus omnes denique regiones illas, inanium Deorum cultu, & symulachris abolitis Christo adiunxit, MAGNIQVE POMERANORVM APOSTOLI Titulo auctus, ad suos reuertit.

Megapolenses à nostris conuersi. Apostoli eorumdem.

Nec minus de MEGALENSIBVS, & Vandaliæ, Stargardiæ, Obotritorum &c. Principibus, & populis, Sancti, Vicelinus ex Monacho Sigebergensi Aldenburgensium Episcopus, & Adalbertus è Sancti Maximini Asceta Archiepiscopus Rugiorum, meruere, qui incredibili labore, & patientia in cultu terrarum illarum laborantes, eam denique singulari Numinis gratia subigentes, proscripta barbarie, & impijs sacris sublatis Ecclesiæ matri aggregarunt, TVTELARESQVE à morte, & APOSTOLI salutati sunt: qua ipsa Apostolica in functione plurimi è Corbeiensibus Monachis, non sine ingenti fructu in ijsdem prouincijs desudarunt.

Tutelares.

Iuliaci

Iuliaci	*Pomera-*	*Mechel-*	*Vvurten-*	*Sabandia.*	*Lituania.*
& Cliuia.	*nia.*	*burgi.*	*bergæ*	*Duces.*	

DE Vvurttenbergia tanta Monachorum fuerunt merita, vt qui ea olim incoluerant loca, Comites, & Dynastæ illustriores, cum soluendo non esse cernerent, quæ tanta à viris sanctis beneficia accepissent, ipsi certatim in Monachorum potestatem concederent, plurimi in cucullo DEO se consecrarent, & opulentissimis conditis Cœnobijs, Archiducem nostrum Sanctissimum hæredem scriberent. Ex quo factum, tanta Cœnobiorum & Sanctorum frequentia vt beatissima Vvirttenbergia in tantum denique splendorem excresceret.

Comites Vvirttenbergia certatim Monachi.

Hæredum S. P. N. scribunt.

In varia olim diuisa Dominia, diuersis parebat Dominis, antequam per varias rerum mutationes ac vicissitudines, ad vnam denique Vvirttenbergiæ Comitum, postea Ducum familiam deuolueretur. Auracensibus, Caluensibus, Tubinganis, Nagoltijs, Sulzensibus, Zolleranis, Achalmensibus, Groninganis, Beutelspacensibus Comitibus, alijsque Germaniæ proceribus, subiecta per partes lõgo temporum decursu fuerat: quorum omnium vetustissima pietatis monimenta in diuersis Monasterijs perennant, peritura pridem, si in palatijs condendis laborassent, quæ cum hæredum plerumque ingenio, etiam insignia & faciem mutant, adeò nihil perenne in mundo, nisi quod excolendo Numini, & seruis DEI honorandis impenditur, à quibus præter gratam, & perennem memoriam tam necessaria plerumque ipsis mortuis, nedum viuis, suffragia, tam opportunè, tamq. constanter, referuntur.

Diuisum Dominium Vvirtenberg.

Qui Domini?

Perẽnia monimenta quæ?

Item quam vtilia.

Ex ijsdem familijs quam multi cucullo illustriores, quam sago euaserint, longum planè & molestum fuerit, singillatim percensere, illud rarius, & ad familiæ cuiusque splendorem supra cætera omnia supremum, vix vllam fuisse ex ijsdem, quę non sanctitatis opinione ac fama celebrem aliquem in cucullo meruerit; qualem Caluensis S. Vvelfridum primum Duellij Abbatem, Auracensis Gebhardum Hirsaugiæ Antistitem Sancti Vvilhelmi successorem, Achalmensis Vvolfgangum Einsidlensem Monachum Ratisponæ postea Pontificem, Zollerana Meinradum

E familijs illustribus Vvirttenberg. quot Monachi.

Singulæ principum decus ab Ordine habẽt.

Mar-

Martyrem Monachum Augiensem, aliæ alios habuere, à quibus solis, maior illis, quam à maiorum omnium gloriosè factis gloria accederet, & præter gloriam fructus, etiam in beata illa immortalitate repositus speraretur.

S. Bruno Comes Vuirttenberg. Talem ipsa etiam Vuirttbergensium Principum familia, præter plures alios cucullo illustrissimos, Sanctum Brunonem habuit Alberti Beutelspacensis Vuirttenbergiæ Comitis opulentissimi filium Conradi Vuirttenbergij fratrem germanum, Magni Vuilhelmi Hirsaugiæ Abbatis discipulum, & ipsum postea eiusdem sanctissimi loci Abbatem creatum, de quo inter alia, hæc refert *Elogium insigne.* Trithemius: Fuit totius virtutis, Religionis, & sanctitatis exemplar in tanta humilitate & simplicitate seipsum depressit, vt à nescientibus ipsum, omnium simplicissimus haberetur. Nemo deinceps otiosum illum vidit vnquam, sed aut in oratione feruebat cum lachrymis, aut in lectione Diuinarum Scripturarum erat intentus, aut contemplatione sursum ad DEVM eleuatus.

Eius mira eloquentia. Idcirco requieuit super eum spiritus Sapientiæ salutaris, quo animum eius mirabiliter illustrante, inter doctissimos etiam doctior apparuit, ita vt quicunque audiuissent, In sermone eius vehementer obstupescerent, vt non humana, sed Diuina loqui verba videretur &c.

Mira cælestis odoris fragrantia. Brunonis sacrum corpus cum post annos trecentos triginta nouem à depositione inueniretur, miram cęlestis odoris fragrantiam reddidit, quo ipso tempore spectantibus vniuersis, cęcus idemque claudus, qui interuenerat, ab eodem Diuo prodigiosissimè curatus illico conualuit. Vt facile sit intelligere, quantum ab hoc cognato Principe sera Ducum Vuirttenbergię posteritas sperare possit, nisi Apostatæ excucullato manus dare, & iurato odio *Quam alieni à Patrũ exemplo moderni.* eos qui de se optimè meriti sunt prosequi mallent, & quæ maiores sui DEO Diuisque sacrauerant, sacrilegè appetere, rapere, & metuenda vt turpi ingluuie deuorare.

Hirsaugiæ gloria. Cæterum, vt alia omnia Vuirttenbergiæ tam multa, tamque Sancta Cęnobia prætereamus, solum Hirsaugiense longè Illustrissimum sanctissimumque tantum fructus ac gloriæ, vniuersæ illi regioni peperit, vt de eo, Germania sibi, imo toto diffusa orbe Sancta Mater Ecclesia, haud minimum arroget, & plurimum glorietur. Ex quo nimirum velut Troiano equo virorum illustrium

ſtrium tanta copia prodierit, quantam nunquam ſatis ſera poſteritas demiretur.

Quis enim ad tantam Sanctorum frequentiam, Vvilhelmi, Egouardi, Gebhardi, Theogeri, Adelberti, Bertholdi, Ermenoldi, Brunonis, Raffoldi, Henrici, Vvalichonis, Meingoſi, Thiemonis, Adelhardi, Vvernboldi, aliorumque non gratas illico manus ad cęlum attollat? Quis non ad tantorum inde poſtulatorum Pontificum & Antiſtitum, ad tantas Doctorum, & ingenij monimentis illuſtrium Scriptorum multitudinem, obſtupeſcat? Ad tot Principum in cucullo ibi ſeruientium demiſſionem contremiſcat? Ipſius ſanctitate & felicitate loci captus, animum adijciat? vt nihil quam cæcutientium ad tantam lucem prouincialium miſeriam ex animo doleamus.

Quot Sanct.

Quot Epiſc.

Quot Principes & Doctores.

SALAVDIAE Principes cum ſua prouincia, & ipſi Monachis obſtrictiſſimi, plurimum ſemper ijſdem debuere, quod agnoſcentes ipſi memorabili ſemper in Monachos propenſione & liberalitate, plurimi ex ijſdem, ne quid minus ſe dignum darent, ſeipſos Numini & Archiduci noſtro BENEDICTO obtulere.

Sabaudi quid debeant Ordini.

E quibus egregium illud & æternum Montferratenſis familiæ ſydus, Beatus Humbertus, Amadei primi huius nominis Sabaudiæ, & Secundi Maurianæ Illuſtriſſimi Comitis filius, qui memorabili exemplo, bis Monachus, cum vxore prima Mechtilde Flandriæ Principe mortua, ſæculo valedicens, in Cœnobio à ſe in alpibus condito, ſanctiſſimo Archiduci noſtro, ſub exactiſſima Ciſtercienſium noſtrorum reformatione ſe deuouiſſet, & iam ſolemni profeſſione DEO conſecrare, abſoluto ſacri Tyrocinij curriculo, geſtiret, è placida ſolitudinis quiete, ad Principatus ſummè periclitantis curas extractus, inuitus ac renitens imperare coactus eſt, qui tam ſalubriter parere didicerat.

B. Humbertus Comes Sabaudiæ.

Cœnobio extrahitur.

Proin alteris nuptijs Annam Ducis Salignæi filiam ſibi copulans, cum ea quoque ſine liberis deceſſiſſet, rurſum in Cœnobio ſe condere parans, rurſum ſummis ſuorum precibus & coniſu retentus, tertiamque ducens coniugem Petronillam Burgundiæ Comitis filiam, ex ea tandem filium Principatus hæredem Thomam ſuſcepit, à quo tota Sabaudiæ Ducum poſteritas eſt deriuata, vt illi quidem omnes haud vulgari titulo Sanctiſſimo Patri noſtro, vitam quaſi ipſam, poſt DEVM, reſtituto ſibi genitore debere

Cogitur vxorē ducere

Iterum aliā & tertiam.

Genitor eſt omniū Ducum Sabaudiæ.

Monachum profitetur relicto Regno. debere videantur. Voti proin factus compos Princeps optimus, de consensu vxoris Regno se exuens, in Altæ cumbæ Cœnobium sese recepit, & tandem, quod tamdiu desiderauerat, Numini se consecrans, mira vitæ sanctitate cęlo se commendauit, incredibili rigore corpus exercuit, tandemque die & hora obitus sui distinctè disertèque prædictis, placido somno pacis resolutus requieuit, cuius merita eximio miraculorum fulgore DEVS comprobauit. *Miraculis claret.* Quo quidem tanto parente, nihil ad omnem posteritatem felicius augustiusque vniuersæ Serenissimorum Ducum familiæ & posteritati, potuisse obtingere arbitramur.

Quæ autem felicitas Serenissimæ huius domus, quin & Humberti primum memorati fuit; idem siquidem Princeps duos insuper fratres Ioannem, & Petrum Monachos habuit, vt alios vniuersæ familiæ prætereamus, qui vel cucullum amplexi, vel in ipso Principatu Monachorum arbitrio ducti, & in purpura Monachi, Archiducis nostri filios se esse facto comprobarunt. *Duos fratres similiter Monachos habet.*

Sed neque merita Monachorum de eadem Serenissima Domo memorare libet, vtpote multa admodum, & quæ diutius detinerent. Vnum negligere nequimus, quo non tam Allobrogum solùm Duces, quam Orbem Christianum vniuersum insigniter demeruit Beatus Ioannes Bassandus noster Collis Madij Cęlestinæ Congregationis Monasterij Prior, qui inter alia præclarè gesta, Amedeum Sabaudiæ Ducem, cætera sanctitatis opinione celebrem, sed grauiter errantem, ad saniora reduxit, eumdemque Felicis III I. alijs V. nomine, summum Pontificatum, summæ Ecclesiæ vniuersæ cum periculo, vsurpantem, intrepidus adijt, & vt eo se abdicaret, mira eloquentiæ vi, sanctitatisque opinione, persuasit, eoque nomine, & ab exitio Amedeum ipsum liberauit, & gloriosissimus Ecclesiasticæ tranquillitatis vindex & assertor extitit. Tantum vni iterum Monacho Sabaudiæ Principes, Ecclesia & orbis vniuersus debuere. *Immortale meritum B. Ioan. Bassandi.* *Amedeo Duci consulit.* *Imo orbi vniuerso prodest, eumq. Schismate liberat.*

LITHVANIAM denique & eius Principes, pari debito sibi obstrictos Archidux noster, quo obstrictissimas cæteras Imperij prouincias, habet; longè maximo nimirum illo, illatæ primum per suos in easdem prouincias Fidei sacræ, adeoque felicitatis vniuersæ; quod tantum etiam meritum nonnulli Sacratissimo suo sanguine consignarunt; Quales fuerunt magni illi multarum *Lithuania quid debeat.* *Fidem Christi.*

gentium

gentium Apostoli Sanctus Adalbertus noster, præcipuus Poloniæ Lithuaniæ & Liuoniæ Apostolus & Tutelaris, Sanctus Bonifacius item, alter ille à Maximo Germanorum Apostolo, Otthonum Imperatorum consanguineus, Monachus S. Alexij Romæ, & plerique illi quos paulò superius dixeramus, tantam Romanæ Ecclesiæ, per Liuoniam & finitima, operam nauauisse.

Sãguine nostrorum irroratur.

Tutelares eiusdem.

Sed missis iam alijs Principibus, quorum omnium conuersionem nostris deberi, cùm in Saxonia, tum aliàs distinctius enarrauimus.

Quintam etiam Imperij Classem obiter obeamus.

QVINTA SACRI ROM. IMPERII CLASSIS,

Quæ est

PRÆLATORVM.

Ad quintam Classem, inquit Schonbornerus & alij, pertinent Prælati, & primo Abbates & Præpositi, secundum Matriculæ ordinem.

Avgia dives, Vveissenbvrg Vveingarten, Salmonsveiler, Vvalckeriedt, Vveissenavv, Schvssenriedt, Roggenbvrg, Ochsenhavsen, Gengenbach, Odenheim, Keiserseym, Vrsperg, S. Vdalrici Avgvstanvm: Quibus Abbatissæ adduntur: Qvedlinbvrg, Essen, Hervord, Regenspvrg vtriusque Monasterij, Lindavv, Gerenroda, Bvchovv, Roitmvnster,

Monasteria in Comitijs locum habentia.

Nos, de præcipuis virorum Ordinis nostri, Præmonstratensium siquidem aliqua sunt, paucula subijcimus.

Augia Diues. *Vveissenburg.* *Vveingartten.* *Salmensvveil.*

Ochsenheusen. *Gengenbach.* *Keisersheim.* *S. Vlrich.*

Augia splẽdor.

AVGIAE longè potentissimo, atque Augustissimo Superioris Germaniæ Monasterio, ab ipsis opibus & potentia DIVITIS cognomentum fluxit, & perpetuum deinceps mansit, quam quidem fortunam, maximis meritis, maximam meruit, vt omnes diuitias illas, congiarium dixeris ingentium de Imperio, imo cęlo ipso, meritorum.

Merita Augensium.

Illud præ alijs fuit: Quod Scholà, & virtutis & eruditionis lõgo decursu sæculorum esset, inexplicabili bono Principibus, & proceribus patens Alemanniæ vniuersæ.

Asylum publicum.

Asylum dein publicum, Ciuitas Refugij, Portus salutis, eisdem Principibus fuit, è sæculi fluctibus, Diuina Numinis gratia emergentibus: tanto quidem cõcursu ad eã facto, vt nemini omnino, nisi solis Illustrissimis, atque Illustribus, tantis sæculis pateret.

Episcoporũ Promptuarium.

Episcoporum denique Germaniæ Promptuarium, quorum è vetustissimis eiusdem Cœnobij monimentis & Necrologijs Syllabum aliquem, exoratus à me loci Prior, Admodum Reuerẽdus & Doctissimus D.P. Ioannes Aegonius conficiens, tredecim Archiepiscopos, Episcopos trigintaquatuor deprehendit, & pro veteri sua consuetudine & beneuolentia, mihi exscripsit & communicauit, vt è tanto numero facilè omineris, quantus inde in Imperium vniuersum fructus se se effuderit, cum plerique pro sola, vel sanctitatis opinione, vel admirabili eximiæ virtutis & eruditionis fama, Cœnobio extraherentur, & miro Cæsarum, Romanorumque Pontificum gratulatione, ad spectatissimas Imperij Cathedras euecti, super Candelabrum, vniuersi oculis in eosdem conuersis exponerentur.

Quanti inde Episcopi prodierint.

Vveissenburgensis Cœnobij laudes iam decantauimus, cum de Episcopis Spirensibus ageremus, cuius Pontificatus Fundamentum quasi & Fulcrum, illud ipsum Cœnobium fuisse multo tempore diximus, ita vt inde, lectissimi, quoscunque ferè habuissent Nemetum populi Episcopi peterentur.

Vveissẽburg Spiræ fulcrũ

Salemitanum Sacræ familiæ nostræ Cisterciensis potentissimum Monasterium, vt & Caesariense viris sanctissimis olim opulentissima, haud minimum ornamenti emolumentiq. ad Imperium contulere, quæ causa fuit, vt etiam tantopere opibus & potentia crescerent, cum nemo non esset, qui seruos DEI adeo manifestis signis proditos agnitosque de sua substantia, vt Scriptura loquitur, honoratos non vellet, adeo, vt aptissimè dixeris, ipsam Cœnobiorum fortunam, meritorum, & primæuæ sanctitatis Illustrissimum esse, & haberi debere argumentum.

Salemitanũ potentissimũ Cœnobium.

Vnde opes.

Inter Salemitanos sanctitatis opinione claros Euerhardus in primis Abbas Comes de Rordorff, & Frovvinus similiter Abbas celebrantur.

Viri sacti.

Inter Cęsarienses præ reliquis eodem titulo Vdalricus primus eiusdem loci Antistes, & Sibotus Baro de Gundelfingen, ex Episcopo Augustano ibidem Monachus, insignes habentur. Vt videas, si vel singulos singula Cœnobia Imperio Sanctos edidissent, quantum de Imperio meruissent, quæ tamen pleraque totas cohortes, supra omnem exercituum vim potentiores, tuendæ patriæ fortissimos Heroas educarunt, & cœlò submiserunt, vnde tanquam ex altissima specula securis etiam sæculis intenderent, & quæ incumberent pericula procul auerterent & amolirentur.

Ochsenhvsanvm spectatissimum Sueuiæ nostræ Monasterium, tertio primùm ab hoc sæculo, per Bonifacium IX. ab obedientia Abbatis & Monasterij S. Blasij in Hercinia, cuius membrum, & Præpositura fuerat, absolutum, hac postrema etiam ætate, inter præcipua Sueuiæ nostræ decora numeratur, virisque eruditione & Religione clarissimis illustrissimum exsplendescit.

Ochsenhusanum.

E cuius sacro Religiosorum cætu præ cæteris Beatus Henricus à Zvvifaltach, Prior eiusdem loci, miraculorum gloria à Numine commendatus, Sueuiæ nostræ ornamento singulari fuit, è cuius Nobilitate haud aliter, atque gemma pretiosissima ex auro emicuit; vt huic quoque Cęnobio diadematis sui haud minimum decus Imperium debeat, quod tot gemmis & carbunculis excultum refulget, quot sanctitate celebres, suo cognoscitur ambitu continuisse.

B. Henricus Prior.

Divi Vdalrici Augustanum Cęnobium præstantissimis Diuorum exuuijs celebre, non minora & ipsum ornamenta Im-

S. Vdalrici August.

Aaa 2 perio

perio affixit, è cuius ſanctitatis & virtutis opinione celebrioribu viris Beatus Reginboldus Abbas, Spirenſis poſtea Epiſcopus, Beatus Egino ſimiliter Abbas, miraculis clariſſimus, Frideboldus item Henrico Imp. chariſſimus, Conradus de Luzelſtein ex Epiſcopo Auguſtano ibidem Monachus, pluresque alij commendantur; Illuſtriſſimum ſanè Monaſterium, & quod Auguſtiſſimæ Auguſtæ haud minimum ſit ornamentum.

Vveingartten. VVEINGARTTENSE, ſiue ALTORFFENSE Monaſterium poſtremo loco ponimus, minimè ſeu ætate, ſiue gloria poſtremum, tanti iam olim à Cæſaribus factum, vt inter S. R. I. Principes in Comitijs Imperij Generalibus locum & ſeſſionem obtineret, & iam ad annum Chriſti milleſimum centeſimum quinquageſimũ octauum Comitijs ad Roncalias, proximum poſt S. Galli, Augiæ, Stabulenſem, Prumienſem, Campodunenſem, ante Eluacenſem, Vveiſſenburgenſem, Fabarienſem Abbates & Principes, locum occuparet, triumphatæ Gentilitatis Trophæi loco, inter Ambronem primò & Lycum; à Pipino Caroli Magni parente, Brabantiæ Duce, Alemanniæ Rectore, primo deinceps eiuſdem familiæ Galliarum Rege, ad preces S. Altonis Scotiæ Regis filij, & primi eiuſdem Cœnobij Abbatis conditum, poſtquam hic, magnis laboribus & ſudoribus glorioſiſſimum Lycatiorum & Ambronum, nec non vicinarum prouinciarum Apoſtoli nomen meruiſſet; idem iuſſu Diuino à Magno Germanorum Apoſtolo conſecratum, grandibus prodigijs initiatum, viris ſanctis & Apoſtolicis diu inſtructiſſimum, tanto ſæculorum decurſu, tot hæreſum ortui occaſuique ſuperſtes, genere, eruditione, virtute, & ſanctitate diuerſiſſimis temporibus & ſæculis illuſtriſſimos viros aluit; cum ambitione nonnullorum & ſacri auri ſacrilega ſiti in direptionem abiſſet, à S. Altone, non ſemel ſpectabili forma apparente, & Principibus exitium comminante, non ſolum primæuo ſplendori ab ijſdem redditum, ſed fundatæ à Guelphonibus Ambergouienſis Cellæ, ſeu Præpoſituræ donatione auctum, nec non ſuccedentibus temporibus in commodiorem Monachis, gratiorem Principibus locum, Altorffium vna cum Abbate & Monachis tranſlatum, ipſi demum eorundem ibidem in monte palatio immigrauit, tãtì à Guelphone, lineæ Altorffenſis vltimo factum, vt Monachos tantus Princeps ſuos ex affe

S. Alto primus Abbas.

Transfertur Monaſterium.

hære-

hæredes vellet, & ſcriberet; Henrico Cæſare, quod ſororis præteriſſet filios, teſtamentum irritante, his vero tantopere deinceps Monaſterium demerentibus, vt Guelpho ex Ateſtinis primus, Altorffenſis nominis reſtaurator, pro eximijs ſuis in idem Beneficijs, alter eiuſdem Fundator celebretur.

Idem à ſummo Imperij imo orbis terrarum vniuerſi theſauro ibidem recondito, *Sacroſancto lateris & cordis IESV CHRISTI Domini noſtri in Cruce effuſo SANGVINE*, ſumma Romanorum Pontificũ S. Leonis III. & S. Leonis IX. auctoritate, ipſa maxima traditionis & Hiſtoriæ celebritate, Sanctiſſimorum teſtium aſſertione, iugique miraculorum perpetuitate, comprobatiſſimo, longè beatiſſimum. vt nihil de alijs Sanctorum celeberrimorum, Diui Martini, Oſvvaldi, Sebaſtiani, Laurentij, Magdalenæ aliorumque ſpectatiſſimis Reliquijs, quin & de alio miraculoſo illic aſſeruato cruore nec non diuerſis ſub Cruce item Dominica collectis Sanguinis (ſed non tanta auctoritate agnitis) portionibus, memoremus, de quibus ſuper omnia conceſſa à Cæſaribus & Principibus bona, dona, ac priuilegia, iure merito, cùm ſacer Religioſorum cętus, tum liberrima Sueuiæ prouincia, æternum ſibi gratulantur.

SS. Christi Sanguis.

Eſt idem etiam Cœnobium, illuſtre ſepultura maximorum Europæ Principum, vetuſtiſſimorum Magnæ Alemanniæ Ducum, Guelphorum veterum, recentiorumque ex Ateſtinis Bauariæ, Carinthiæ, Saxoniæ, Tuſciæ, Spoleti &c. Principum, aliorumque potentiſſimorum Germanię procerum, qui etiam remotiſſimis in Orientis Regnis verſati ſeu mortui, ſumma & ſuprema voluntate cauerunt, ne alibi, quam illic ad pedes Monachorum ſepelirentur, in quorum tantopere precibus, conciliando ſibi Diuino Numine aptiſſimis confidebant; ipſa etiam, quæ ante templum ſpectabatur area, Nobilitatis Alemannicæ cineribus atque oſſibus, ſi ipſa ſibi non ſufficeret, in tumulũ congeſta atq. altius eleuata, quã Mss.[ti] veteres AREAM VBI NOBILES TERRAE CONDEBANTVR appellabant, potentiſſimis & vltimis ſui generis Comitibus, quin & aliorum etiam Cœnobiorum Conditoribus, non in ſuæ Fundationis Baſilicis, ſed ante fores eiuſdem Cœnobij & Baſilicæ ſepeliri atque omnium ingredientium obteri pedibus, vltro deligentibus, vt quantum loco viriſque Religio-

Sepultura Principum.

Loci reuerentia.

ligiosis illic pro vitæ atque exempli deferrent merito, haud difficile sit ominari, atque æstimare.

Demeruit plurimum Germaniam, & primus Sanctorum atque Apostolicorum virorum Sacri huius Collegij feruor, & fera quoque sæculorum posteritas, cuius supera etiam ætate zeli operæque cœlo dignæ, illustrissima argumenta plurima edidit, Reuerendissimus Religiosissimæ memoriæ Abbas Geruuicus, ex illustri Blaarerorum (quæ tot vsque hodie Sacro Rom. Imperio Principes, Episcopos & Abbates dedit) familia, qui subnascentium Hæresum Lutheri, Caluini, Zuuinglijque initijs admirabili sagacitate occurrens, & dignissima obnixus constantia, haud minimam Sueuiæ partem, sua industria seruauit, &, qua summa pollebat apud Cæsares Carolum V. & Ferdinandum I. auctoritate, concitatis pio feruore Catholicis quibusque Principibus, similem multis alijs locis operam nauauit, seipsum denique Imperio, Apostoli Pauli exemplo impendit & superimpendit, suaque & suorum penè viscera exhausit, suis plerumque & afflicti cæteroquin ea tempestate Cœnobij sumptibus, difficillimis ac periculosissimis pro Cæsare, & re Catholica legationibus strenuè perfunctus; cuius, maximis sanè, de Imperio meritis, cùm Romani Pontificis, tum Cæsarum, maximorumq. Germaniæ Principum litteræ, in Archiuo VVeingartensi etiamnum asseruatæ, luculentissimum testimonium perhibuere.

Geruicus Abbas.

Eiusdem merita.

Hæc paulò prolixius, vti nobis compertiora, de Geruico & Monasterio VVeingartensi.

Ingens Monasteriorum numerus.

Vt nihil, de reliquo ingenti Cœnobiorum per Imperium vniuersum numero, quibus tamen in Comitijs assignatus locus non est, memoremus, quorum aliqua Imperij Principum etiam titulo olim ornata, omnia, Sanctorũ & meritissimorũ virorum sydera plurima protulere, adeo nõnulla, hac ipsa fertilitate fortunata, vt simul semelq. plurimos miraculorum gloria illustres alerent; sanctissimos Episcopos diuersis Cathedris & prouincijs submitterent: Imperium eruditione, auctoritate, sanctitate fulcirent ac mirificè excolerent. Quorum singulorum singula hic percensere, vt non est nostri instituti, sic & multo sibi grandiorem aream deposceret.

Ingens inde felicitas.

SEX-

SEXTA S. R. I. CLASSIS,

Quæ est

COMITVM ET BARONVM.

Singula tam veterum quam recentiorum, tamque emortuarum quam superstitum familiarum, vel sola quidem percensere nomina molestius foret: satis fuerit huius Classis & Ordinis præcipua aliquot ab Ordine nostro decora enumerare. Nec maius generis cuiuscunque decus, atque partum VIRTVTE potius, quam FORTVNA arbitramur; qua quidem notione æquos rerum æstimatores eo inclinari necessum fuerit, inde maiorem cuique gloriam comparari, quo præstantior & solidior virtus est, cuius gratia tantopere ipse homo suspiciatur, & celebretur, vt pronum inde iudicium fiat, illi in hoc ipso primas deberi, qui SANCTITATIS, omnium nimirum & solidissimarum virtutum connexione, compositissimus habeatur, quo fit manifestum, non tam bello partam, quam destinatam cęlo, gloriam, gloriosum efficere, & à viris Sanctis, quam fortibus solùm seu eruditis, tanto maius decus familijs parari, quanto sanctitas vniuersis præstet, digniusque sit in cęlo, à decipi ignaris, tantis Diuis æstimari, quam vulgo suspici, & supra plerumque quam meritum exigat coli & honorari.

Præcipua Comitum decora.

Quæ summa gloria.

Sanctitas omni gloria præstat.

Inde summus splendor familiarum.

Tantum tam solidæ gloriæ felicitatisque, vix familia Illustris, per Imperium fuit vniuersum, quæ non debuerit Ordini nostro. Paucos, & qui, obiter Cęnobiorum monimenta reuoluenti occurrunt, opinione sanctitatis, supra omnem generis fortunam illustriores, è tanta eorumdem multitudine recenseamus: E familia perillustri Comitum Veringensium, præ multis alijs cucullo & sanctitate illustrissimis Sanctissimus Notingus fuit, è Monacho S. Galli Constantiensium Pontifex, qua eadem ex gente mirabile illud Ecclesiæ sydus Diuus Hermannus Contractus Augiensis Monachus effulsit, cuius Diuinum illud Canticum SALVE REGINA tanto cum fructu, gustuque toties audit & occinit mundus vniuersus.

Vix illustris familia est, quæ non Sanctum ex Ordine nostro habeat.

Com. Vering.

Fami-

Com. Dagspurg. Familia Comitum Dagſpurgenſium, & Ellingenſium S. Leonem IX. habuit è Monacho Tullenſi Pontificem Maximum.

Brigant. Familia Brigantinorum Comitum vetuſtiſſima S. Gebhardum meruit ſuum pręcipuum ornamentum, ex Monacho Cathedrali, Conſtantienſem Epiſcopum.

Habſpurg. E Veteribus Habſpurgi Comitibus effulſit B. Gebhardus, & ipſe Conſtantienſium ex Monacho Augiæ Epiſcopus.

Hannonia. E Comitibus Hannoniæ magno numero ad cucullum confluentibus, miraculum ſanctitatis Diuus Vincentius fuit Altimontenſis Monachus, Sanctus Landricus item Monachus Sonegienſis, Sancta Aldetrudis Abbatiſſa Malbodienſis, S. Vvaldetrudis Abbatiſſa Caſtrilocenſis; S. Aldegundis Monialis Malbodienſis, Sanctorum albo omnes adſcripti, & æterna fidelium veneratione cultiſſimi.

Com. Palat. Ex Comitibus Palatinis ſupra cæteros S. Rainaldus Monachus Colonienſis, & Martyr, S. Bſidechilda Monialis, & Sanctus Godefridus Monachus Hirſaugienſis exſplenduit.

Com. Haſbaniæ. Comitum Hasbaniæ gloria ſumma Sanctus Trudo noſter, tum S. Agletrudis Comitiſſa, Diui Bauonis filia, Monialis Gandauenſis, fuit.

Com. Kyburgenſium. Kyburgenſium Comitum familia plurimos, ex ijs autem præcipuos Sanctum Vdalricum Epiſcopum Auguſtanum, & alterum S. Vdalricum Cluniacenſem, Beatum Reginbaldum Epiſcopum Spirenſem, B. Adalberum Epiſcopum Auguſtanum, Monachos habuit.

Com Mechliniæ. Comitum Mechliniæ genus S. Libertus inprimis Vlmorum Abbas, ſanctitate mira, & Martyrij purpura decorauit.

Com. Andecenſium. Andecenſium, & Dieſſenſium Comitum proſapiam, S. Ottho noſter Bambergenſium Pontifex, Pomeranorum Apoſtolus, & S. Mechtildis monialis Oetilſtettenſis exornauit.

Spanheim. Comitum de Spanheim nomen, & genus digniſſimus ſanctiſſimarum Virginum monialium S. Idæ, S. Hiltrudis, S. Iuttæ, & S. Margaritæ quaternio beatiſſimum reddidit.

Vvirttenbergenſium. Vvirttenbergenſium Comitum, hodie Ducum, decus æternum B. Bruno Abbas Hirſaugiæ extitit.

Mompelgardenſium. Pari fulgore Mompelgardenſium Comitum familiam S. Gunthildis Abbatiſſa Bilebenſis illuſtrauit.

Comi-

Comitum Zutphaniæ domus, nihil illustrius Sancta Irmgarde habuit, quæ clarior multo in cucullo quam purpura euasit. *Zutphen.*

E Comitibus de Kalvv, & Nagolts superasse omnem familiæ gloriam S. Vvelfridus primus Abbas Duellij, visus omnibus fuit; cui non impar decus ad familiam Comitum de Marca, & Altenę B. Ebrardus Morimundensis Monachus contulit. Scheurensis Comitatus suique generis decus S. Gotthardus extitit. *Kalvv.* *Marca.* *Scheuren.*

Hiltpoltsteinensium Comitum spectatissimus Beatus Eberardus fuit, is qui ex Monacho Biburgensi Archiepiscopatum Salisburgensem meruit. *Hiltpoltsteinensium.*

Comitum Geldriæ Titan. Sanctus Simon fuit, qui Conuersorum amplexus institutum in Alnensi Cœnobio, ex opilionis sagulo multo illustrior quam ex auro radiauit. *Geldria.*

E sanguine Comitum de Arcu, nemo spectatior paludamento, quam cucullo S. Bertinus iunior euasit, qui illud in Sithiuensi Cœnobio induit. *De Arcu.*

Luxemburgensium Comitum familia duo sydera in Ordine cæteris illustriora B. Hauidem, & B. Ioannam, vtramque Clarifontis Abbatissam meruit. Simili lumine B. Anna Agri-clauium Abbatissa, Schlusselbergensium Baronum prosapia colluxit. *Luxēburg.* *Schlusselbergensium.*

Inter Comites Rhætiæ Sanctitate sanguinem excolens B. Victor Diui Galli Monachus excelluit. Linzgouiæ, & Buchorni Comitum familia Ven. Burcardum cognomento Ingenitum, eiusdem Sangallensis Cœnobij Abbatem habuit. Immortalitatem famæ Tockenburgensi Comitum nomini, S. Itta Fischingensis Monialis peperit. *Rhætia.* *Lintzgouia.* *Tockēburg.*

Sed & ex Baronibus de Castello sanctitatis opinione Vdalricus Constantiensis Episcopus, Monachus Sancti Blasij claruit. *Castell.*

Habuit, & suum decus Montfortensis familia Ven. Geronem Montfortij, & Pfulendorffi Comitem Petrusij Monachum, & Itham S. Agnetis Schaffhusij monialem; habuit Seldenburensium Baronum generosa propago B. Regimbertum S. Blasij Monachum, & Restauratorem. *Montfort.* *Seldenburen.*

Habuere Catimeliboci, vulgo Catzenelenbogenses Comites Ven. mem. Limburgensem Abbatem, Spirensem postea Episcopum, maximum sui generis splendorem. *Catimeliboci.*

Quin & Rheinfeldensium Comitū lectissima progenies nostris *Rheinfeld.*

debuit Adalberonem, Rudolphi Cæsaris fratrem, è Monacho S.Galli Vvormatiensium Antistitem.

Ramsvvag. Ramsvvagiorum vetustissima Comitum familia debuit Sancti Galli Monasterio Beatæ memoriæ Salomonem Constantiensem Episcopum. Fuldensi, debuit Archiepiscopalis Moguntiæ Cathedra Sigefridum Baronem ab Epstein, meritissimum suum Archiepiscopum: sicut & familia Baronum de Lierheim Hardouicum Augustanum Pontificem debuit S. Vdalrici Monasterio absolutissimum Monachum.

Epstein. Lierhein.

Familia Baronum de Hackeborn duos simul Soles orbi genuit, Diuinam Gertrudem & S. Mechtildem Abbatissas; Comitum de Homberg debuit Clementiam Spanheimij Monialem. Accepit è Monasterio Villariensi Tutelarem Senæorum Comitum stirps B. Carolum eius loci Abbatem, & alterum suæ item familiæ B.Conradum Cardinalem.

Hackeborn. Spanheimij. Sein.

Et quæ maior gratia & gloria familiæ Zolleranæ quam à S. Mainardo Augiensi Monacho, & Martyre? Neque maior Lippiæ Comitibus plausus fuit, quam à Beato Bernardo Lealhensi Episcopo, Campensi Monacho, Apostolo Liuoniæ.

Zolleran. Lippiæ.

Ex Schombergẽsibus Comitibus neminem magis quisquam atque S.Adalbertum, Brettenaugiensem Monachum suspexit.

Schomberg.

Eberhardum Nellenburgi Landgrauium, Omnium Sanctorum Schaffhusæ Cœnobium, Conditorem eumdem & Monachum habuit.

Nellẽburg.

Otthonem Comitem de Rittperg Vvalderbacense Cœnobium Beatum reddidit.

Rittperg.

B.Sibothoni Baroni Gundelfingano, ex Episcopo Augustano, Cæsariensi Monacho præcipua cum felicitate, summa gloria cum cucullo obtigit.

Gundelfing.

Rordorffensium Comitum auita gloria, præ omnibus suis B. Euerardum Salemitanum Abbatem respexit.

Rordorff.

Nihil maius digniusq. Comitum de Vvieda vetustissima gẽs, quam Beatum Theodoricum suum, Haisterbacensem Ascetam habuit. Vt planè tædeat tam prolixum, & si pergamus, absque numero Syllabum pertexere.

Vvieda.

Et quid si eorum, qui summis quidem spectati virtutibus Sanctitatis tamen Titulo à Scriptoribus celebrati non sunt, multi ce-

lebrari meruerunt, numerare aggrediamur? Quo quidem in genere, singulis ferè sæculis, è singulis Cœnobijs, & his quidem quamplurimis, totas Illustrium Comitum & Baronum cohortes produceremus, cum vel in sola Diœcesi Constantiensi Syllabum, eiusmodi felicium in cucullo procerum, conficere conati, nimijs statim incrementis crescere aduerteremus, & exhauriendo non esse cerneremus. quando vel solum Augiæ vulgo Diuitis Archisterium, Monachorum olim copia frequentissimum, octingentis ferè annis, nullum omnino nisi Principem, Comitem, aut minimum, Baronem admisisse deprehendimus; nec minore, quin & religiosiore ambitione proceres Imperij maximos, in Diui Galli cucullum exambijsse, ex indubitatę fidei Auctoribus cognouimus, instituto religiosissimo quodã inter germanos fratres cognatosq. certamine, vter alterũ; in præripienda Religionis gratia præcurreret præuerteretq. quale illud in Einsidlensi feracissimo item Principũ Collegio fuit, cũ quatuor simul semelque, & vltimi quidem generis VVolhusani Barones, tres nimirum, cum Salingero parente optimo generosissimi filij, cucullum ibidem induerent; mater etiam Hedvvigis, quod Monasterium illic Virginum non esset, & ipsa propositi æmula, in Tigurino se Numini mancipa-ret; quale & illud, cum rariore in aulis Principum contentione, Ethiconem Principem suum, miro consensu sequuti, simul item semelque duodecim Comites ac Barones, eiusdem præcipui Palatini, inter VVeingarttenses Monachos accenseri contenderent, & quod contenderant indepti essent; quale & illud, cum vno atque eodem tempore, septem omnino eiusdem familiæ Comitum de Thann Dapiferorum de VValdpurg Chuno Senior, qui tunc Abbas, Eberhardus, qui proximus eius successor, Chuno Iunior, & Henricus, ab *eximia CONVERSATIONE* (quæ proxima Sanctitati nota, vel ipsissima veteribus fuit) celebrati, Vdalricus, Gerungus, & soror eorundem, in eodem VVeingarttensi, quod duplex tum & virorum & virginum, altissimo tamen muro separatarum, erat Cœnobium, Monachismum professi, pari omnes contentione in vinea illa lectissima laborare deligerent.

Ingens numerus Comitum Monach.

Sola Diœcesis Constantiensis.

Augia Diues quam illustris.

Einsidlense Monasteriũ.

Illustre exẽplum.

VVeingartense Monasterium.

Illustre exẽplum.

Item aliud.

Pia contentio.

Nec mirum, cum eo ipso tempore, summi etiam Principes, Henricus cognomento Niger, Magnus Tusciæ, Bauariæ, Saxoniæ &c. Dux, posterorum ex Atestinis Guelphorũ illustrissimus,

Rursũ aliud exẽplum ib.

atque Principum Germaniæ quotquot fuerunt potentissimus, & Vvulphildis Serenissima eius coniux, Saxoniæ Inferioris, Principatuum amplissimorum, hæres, nec non sanctissimus eorumdem filius Conradus I I. simili ambitione certarent, & vterque quidem coniunx in ipso item vinearum Cœnobio, filius autem, ne quod ab amoribus parentum ac cognatorum perfectioni Monachicæ impedimentum esset, in Claræuallis Monasterio, cucullum amplecterentur; vt facillimum sit de summo ab tantis exemplis fructu, & reliquorum Germaniæ procerum pia æmulatione ominari; sit autem quam difficillimum, imò penè impossibile, excisis præcipuè vetustate monimentis, tanti, qui & superat, & desideratur numeri inire rationem, expendere dignitatem.

Mira æmulatio Principum.

Quid si & alia accepta à Monachis beneficia, studia litterarum, religiosam filiorum educationem, subditorum directionem quin & concessas gratias, collata Feuda, Aduocatiæ munera & plurima alia commemorare satagamus? Certè solum Diui Galli clientum Principum Comitumq. cateruas totas numerauit, amplissimis per Sueuiam, Heluetiam, Rhætiam, Alsatiam, Brisgoiam possessionibus, in proceres Germaniæ feudi titulo ac iure collatis, vt plurimi plurimum vsque hodie obnoxij, fateri cogantur etiam inuiti, fortunæ suæ initia ab eiusmodi feudis dimanasse, quorum tamen maiores sæpè pessimè meriti, pessimè ingrati, vt & hodie multi, gratiam in debitum verterint, eosdemque euersos sæpè voluerint, quibus in omni posteritate nepotum obligatissimi tenerentur.

Beneficia plurima à Monachis.

S. Galli Monasterium.

Habuit Monasterium idem præter clientes feudatariosq. alios quāplurimos, Dapiferos hæreditarios Duces Sueuiæ, Vice-Dapiferos Dynastas de Bichelsee: Camerarios Barones de Regensperg, & horum vice Equites Glatburgios: Pincernas Comites de Hoenberg, & sub his Equites Landeccios: Mariscallos, Comites Zolleranos, & ab his secundos Dynastas de Mammertshofen.

Officiales Monasterij S. Galli.

Campidona Dapiferum habuit Ducem Bauariæ, Pincernam Ducem Saxoniæ, Mariscallum Comitem Montfortium, Camerarium Comitem Nellenburgium.

Officiales Campidonenses.

Einsidlense Monasterium Aulæ Præfectum habuit Comitem

Hab-

Habspurgium (pro cuius muneris mercede superius dixeramus eosdem Comites accepisse Dominium Kyenberg) Mariscallum Comitem Rapersuillanum, Dapiferum Baronem Vvedischvvei-lium, Pincernam Baronem ab Vster, Sellarium Baronem de Regensperg, Culinæ præfectum Baronem de Kempten, Præfectum Eherlibacensem Comitem de Thengen, Cameræ Præfectum Baronem de Hohenklingen, Præfectum Superioris & Inferioris Marchæ Comitem Tockenburgium, Præfectum per Brisaugiam & Orthnaugiam Baronem de Bottenstein, Præfectum Sã-Geroldinum, Comitem de Montfort, postea de Sulz Comitem Blumeneccium.

Officiales Einsidlensis.

Quibus succenturiata Nobilitas, & ipsa Vicepræfectorum munia gessit, Aula quidem Equites de Vvolrovv, postea de Schelenberg, Mariscalli nobiles de Vricken, Dapiferi Equites de Humprechtikon, Pincernæ nobiles de Liebenberg, Sellarij Equites de Knonovy, Culinæ Nobiles Meissij de Tiguro, alijque. Placet omnium loco, solius Augiensis Monasterij Feudatarios omnes tam Principes quam Illustres ac Nobiles, cum suis armis Gentilitijs subiungere, vt quanta pars Nobilitatis Alemanniæ vni huic Cœnobio, vel solo quidem, præter plurima alia maiora beneficia, temporalium bonorum vsu & respectu obligata fuerit, & ab hoc Monasterio ad tot millia alia conuerso similiter intuitu, de MERITIS MONACHORVM Iudicium faciamus.

Eiusdẽ Monasterij Vice-Officiales.

Monasterij Augiensis Officiales & Feudatarij.

SYL-

SYLLABVS CLIENTVM ET FEVDATARIORVM

MONASTERII AVGIÆ DIVITIS ad Rhenum infra Constantiam.

ARchiduces Austriæ, quorum vna die quatuor, Rudolphus, Fridericus, Albertus & Leopoldus, ab Abbate eiusdem loci Eberhardo Barone de Brandis, Vaduz & Bluomenegg &c. feuda accepere.

1 Rudolphus Archidux.	2 Fridericus Archidux
3 Albertus Archidux.	4 Leopoldus Archidux.
5 Henricus Dux Saxoniæ.	6 Duces Brunsuicenses.
7 Deest nomen insigne tres Leones purpurei in scuto argenteo.	8 Duces Sueuiæ.
9 Duces de Teck.	10 Duces de Vrslingen.
11 Duces Zaringiæ.	12 Marchiones de Rottelen.
13 Comites, & Duces Vvirttenberg.	14 Comites de Kyburg Mareſcalli.
15 Comites de Rhordor. Dapiferi.	16 Comites de Raperſvveil Camerarij.
17 Comites de Nohenburg Pincernæ.	18 Comites Brigantini.

19
Comites de Landovv & Gruningen.

20
Comites de Tockenburg.

21
Comites de Habſpurg.

22
Comites de Heiligenberg.

23
Comites de Nellenburg.

24
Comites de Vverdenberg.

25
Comites de Pfannenberg.

26
Comites de Kirchberg.

27
Comites ab Helffenſtein.

28
Comites ab Hohenzollern.

29
Comites de Furſtenberg.

30
Comites de Sulz.

31
Comites de Freyburg.

32
Comites de Thierſtein.

33
Comites de Lupfen.

34
Comites Palatini Tubingenſes.

35
Comites de Montfort.

36
Comites de Sargans.

37
Comites de Thengen.

38
Comites de Sonnenberg.

39
Comites de Vvartſtein.

40
Barones de Grieſſenberg.

41
Barones de Schroffenſtein.

42
Barones ab Homberg.

43
Aquila aurea, campo rubeo.

44
Barones de Vvartt. in Heluetia.

45
Barones de Hohen Teuffen.

46
Leo argenteus coronatus in ſcuto cæruleo.

47
Barones de Burcken.

48
Barones de Sachs in Hohenſachs.

49
Barones de Buſnang.

50
Barones de Klingen.

Ba-

51 Barones de Rosseneck.	52 Barones de Gundelfingen.
53 Barones de Geroltseck.	54 Barones de Vveissenburg.
55 Barones de Bonstetten.	56 Barones de Busnang diuersi ab alijs.
57 Barones de Homberg.	58 Barones de Grienenberg.
59 Barones de Falckenstein.	60 Barones ab Hovven in Hohenhovven.
61 Barones de Stussingen.	62 Barones de Vvildenstein.
63 Barones de Zimmern.	64 Barones de Stoefflen.
65 Barones ab Vsenberg.	66 Barones de Castell.
67 Barones de Steckborn.	68 Barones de Vvasserstelz.
69 Barones de Russeck.	70 Equites de Bodman.
71 Equites de Klingenberg.	72 Equites ab Homburg.
73 Equites de Fridingen.	74 Equites ab Hohen Stofflen.
75 Equites de Meckingen.	76 Equites de Randeck.
77 Equites de Alt Stofflen.	78 Equites de Reischach.
79 Equites de Danckertschvveil.	80 Equites de Langenstein.
81 Equites Studengast.	82 Equites de Tettingen.
83 Equites de Ober-Rudern.	84 Equites de Luggeringen.

Dapi-

85
Dapiferi de Dieſſenhoſen. Equit. & Barones.

86
Equites de Hevvdorff.

87
Equites de Franckenſtein ſeu Bollingen.

88
Equites ab Amelhauſen.

89
Equites de Schellenberg.

90
Equites ab Enzberg.

91
Equites ab Ymmendingen.

92
Equites de Blumberg.

93
Equites ab Almanshoſen.

94
Equites de Sunthauſen.

95
Nobiles Fayſen de Mandelberg.

96
Nobiles de Beringen.

97
Nobiles de Magenbach.

98
Nobiles de Reckenbach.

99
Nobiles dicti Balgen à Balgheim.

100
Nob. Vogt ab Hattingen al. Remingen.

101
Nobiles de Burgberg.

102
Nobiles de Vrach.

103
Schulthaiſſen de Huffingen.

104
Nob. Speeten ab Immendingen.

105
Equites de Branthauſen.

106
Nobiles de Nuſplingen.

107
Nob. de Schinen.

108
Nob. de Stain in Vvurmblingen.

109
de Randenburg.

110
de Kungtholtz.

111
de Thengen.

112
de Neuvvhauſen.

113
de Vvaſſerburg.

114
Legibile non erat.

115
de Schlupfen.

117
de Schonenbuhel.

119
de Vveiler prope Danubium.

121 122
Legi non poterant.

126
de Thierberg.

128
de Gerlickon.

130
de Sulzberg.

132
de Billstein.

134
de AlbecK.

136
de Triberg.

138
Ranzen de Neufra.

140
de Langenhart.

142
de Blanckenstein.

144
ab Aeschenz.

146
de Appenstein.

148
de Riedtheim.

150
Am Horn.

152
de Habsperg.

116
de Heggelbach.

118
de Goberg.

120
Leo ruber in argento supra schachos.

123 124 125
Deleta fuerant.

127
Stahelin de Storckburg.

129
de Liechtenstein.

131
de Burgberg.

133
de Appenberg.

135
de Riedt.

137
de Vvassenburg.

139
de Lutterberg.

141
Spiser de Spisberg.

143
de Atlickon.

145
ab Andelfingen.

147
de Ellerbach.

149
de Mandach.

151
Gremlich de Zustorff.

153
de Vvangen.

154	155
Am Hard.	de Falckenstein.
156	157
Vvalther de BlydecK.	de Berenstatt.
158	159
de Hasenstein.	de Aespesingen.
160	161
de Budvveg.	de Nefftenbach.
162	163
de Tubendorff.	de Moringen.
164	165
de StainecK.	de Staymer.
166	167
Zimmerholz.	de Liechtenfels.
168	169
de Buren.	de Villenbach.
170	171
de Schonauvv.	de Oettlingen.
172	173
de Zymar.	de Vvasenburg.
174	175
Equites de FrundecK.	Hauser de Renckinshausen.
176	177
de Brunnen.	Schencken de Stauffenberg.
178	179
de Boltzhausen.	Schilling de Canstatt.
180	181
de Vvulflingen.	de Saal.
182	183
de Horben.	Camppener.
184	185
de Iestetten.	de VricKon.
186	187
de GencKingen.	Molibrunner.

DESIDERANTVR ITERVM NOMINA, & insignia 26.

214
de Fryburg.

215
Voegt de Vvarttenfels, Castell & Cell.

216
de Meringen.

217
de Trullingen.

218
Graetter de Biberbach.

219
SaecKler.

220
Sigrister de Frauvvenfeldt.

221
de Vlm in Vvellenberg.

222
de Vlm in Vvangen.

223
Hundpiss de Vvaltrams.

224
Muller de Zurich.

225
Schvvarzmurer.

226
Harzer de Sallenstein.

227
Besserer de Besserstein.

228
de HunzicKon.

229
Vvulffi de Zell.

230
de Fulach.

231
Pfefferhart.

232
de Vvellenberg.

233
Mangolt de Sandegg.

234
de TetticKofen.

235
de IllicKausen.

236
VochKatzen.

237
Crafften Mariscalli Augiæ.

238
Haefelin.

239
Brysacher.

240
Schatz.

241
Schvvarzach.

242
Schulthaiss.

243
de Gisingen.

244
de Hegringen.

245
de Schoenauvv.

Hut-

246
Hutter.

247
de Schellenberg.

248
Oerminger.

249
MoecKingen, MoecKen.

250
de Linden.

251
de Creuzlingen.

252
Am Feldt.

253
Montprat de Spiegelberg.

254
de Hoff.

255
Gœldin de Tieffenauvv.

256
Goldaſt.

257
Ruhen de Vviniden.

258
Nobiles de Bolzhauſen.

259
Inder Bundt.

260
de RocKvveil.

261
Crafften.

262
Im Thurn.

263
Schvvarzen.

264
de Cappell.

265
Schappell.

266
Schilter.

267
Rotten de SchrecKenſtein.

268
de Landovv.

269
de Rechberg.

270
de Vvellenberg.

271
de Munchvveil.

272
de Goldenberg.

273
de LandecKh.

274
de Raſt.

275
de Vverenvvaag.

276
de Schvvandorff.

277
de NeunecKh.

278
de NydecK Sueuiæ.

279
de Roſenfeldt.

280
de Linſtetten.

281
de Buobenhofen.

de

282 de Auvv.

283 de Halfingen.

284 de Iungingen.

285 de Hohenfels. al. Honenfels.

286 de Furst. alijs Burst.

287 de SperberfecKh.

288 de Salenstein. Pincernę hæred.

289 Schencken de Castell.

290 de Vvolffurt.

291 de Straufs.

292 de Breiten-Landenberg.

293 de Sonnenberg.

294 TrucKfeffen de Diefsenhofen.

295 de Grieffen.

296 de Stein.

297 de Heidelberg.

298 de Hege.

299 de Glattberg.

300 de Greiffenfee.

301 de Boffvveil.

302 de Helmstorff.

303 de Anvveil.

304 de Hunvveil.

305 Bettler ab Herderen.

306 de Vvarttenfee.

307 Meier de Merfperg.

308 RucKen de TanneeK.

309 de Lonberg.

310 de Rumlang.

311 Non legitur.

312 de HoheneeK.

313 de Vvildenstein.

314 de Liebenfels.

315 de Gachnang.

316 de Thor.

317 de Laubenberg.

de

318 de Amelhausen.	319 de Freyberg.
320 de Vvesterspuel.	321 de Ebbentingen.
322 TrucKefessen ab Vttingen.	323 de Schvvandorff.
324 de Blumenegg.	325 de Roggenbach.
326 de Bach.	327 de Bolsenheim.
328 de Munzingen.	329 de Buochenstein.
330 de Berg.	331 de Hœttingen.
332 de Thalheim.	333 BocKle de BocKlinsauvv.
334 Meijer ab Altstetten.	335 ab Hohen-Emps.
336 de Reinhartsvveiler.	337 de Eberhartsvveiler.
338 de Hornstein.	339 de Halvveil.
340 de Vbesheim.	341 Schnevvelin.
342 de FalcKenstein.	343 de Hasenstein.
344 Brisger.	345 de Lomes.
346 Munchen de Munchenstein.	347 Kuechlin.
348 de Rottenstein.	349 de Sunchingen.
350 Hauggen.	351 de Aeffelstetten Barones.
352 de Emerchingen.	353 de Burladingen.

de

354 de Langenhart.	355 de Haſsla.
356 de Laitterberg.	357 de HencKart.
358 de Spiegelberg.	359 de Rorſchach.
360 de Vveittingen.	361 de Hattſtatt.
362 de Hohen-Landenberg.	363 de Ramſvvag.
364 de Eberſperg.	365 de Vvolffach.
366 de Bettmaringen.	367 de Eſiſtetten.
368 de MeldecK.	369 de Biſingen.
370 de Honberg.	371 de Suntheim.
372 Maiger de VvaſnecK.	373 de Fallenberg.
374 Hoffmaiſter à Frauuenfeld.	375 de Aerzingen.

Reliqua Vaſallorum nomina, vt & in libro illo inſignia, deſiderantur, quorum in monimentis Augienſibus, ad quingenta numerata ſunt, vt quantum vni vnico, in acceptis referre debeat Equeſtris Nobilitas, facile videas; quantum autem tot alijs Cœnobijs, haud facile ominando aſſequaris. Conſtat tamen ex tanto Cœnobiorum numero, nullum vnquam, ſeu Regum, ſeu Cæſarum, tantum Equeſtris Ordinis procerum numerum, quantum reapſe Magnus Archidux noſter BENEDICTVS aluiſse, vt nemo niſi cæcus atque impius queri poſſit, tantas tam benè merito, & Magiſtro inſuper Hoſpitalitatis Ordini, opes obtigiſſe.

SE-

SEPTIMA ET VLTIMA S. R. I. CLASSIS,

Quæ est

CIVITATVM LIBERARVM IMPERIALIVM.

FVerè paucæ admodum olim in Germania vrbes, eæque ante promulgatam Christi acceptamq. à Germanis Legem, pessimè institutæ, propagato per vim plerunque & iniurias imperio, vt mutuo plerunque maderent sanguine, mutuis odijs flagrarent, & in seipsis mali Genij artibus male exercitæ, vt frequentiores populo, sic & vitijs essent, donec Magni illi Apostoli nostri Amandus, Floribertus, Liuinus, Vrsmarus, Chilianus, Vvilfridus, Rupertus, Vvigbertus, Suitpertus, Vvillibrordus, alijque, & demum Princeps ille Imperij Tutelaris, Archiapostolus Germanorum Bonifacius, admirabili gratia, & insuperabili patientia in agro amplissimo excolendo laborantes, vastitatum denique eius euincerent, & quod multorum aliorum è primis Christi discipulis, & qui subinde consequuti, labores statem oppresserat ac vorauerat, à profundissimis radicibus lolium, stirpitus conuellerent, immensisque laboribus, mira felicitate denique eradicarent, & è medio tollerent. quo labore expleto, & vrbes illæ vetustiores sanctissimis legibus instructæ, & pleræque aliæ, reuocato à latrocinijs, & bestiali viuendi ritu ad humanitatem, & socialem vitam populo, à fundamentis exstructæ, nouam omnino faciem induerũt; vt quæ antea prouinciæ & aspectu fœdæ, & viuendi ritu infames fuerant, splendidissimæ paulò post, cœlisque ipsis iucundissimæ, cœlo dignissima sydera; ipsis illis Firmamenti syderibus multo illustriora, & quidem penè innumera, è tanto Cœnobiorum numero enascentia aleret;

Paucæ olim vrbes.

Eæque pessimè institutæ.

Labor nostrorum in excolenda Germania.

Plurimæ vrbes nostrorũ opera conditæ.

Longè alia facies Germaniæ.

quæ in cœlum postea translata supremum, in hodiernum vsque diem, orbis vniuersus pro meritis suspicit & adorat.

Ingens numerus oppidorum.

Nec pertexere hic Vrbium oppidorumque Syllabum decreuimus, vtpote nimium; cum è tot, tam diuersarum prouinciarum per Imperium numero, vna atque vnica; sæpe ducenta, trecenta, & supra etiam, oppida, atque vrbes numeret, in quarum singularum origines inquirere, siue earum solummodo, de quibus nobis etiam incuriosis antea iam constitit, à Cœnobijs petita principia enarrare, & nobis, & Auditoribus molestissimum sit futurum.

Vix Monasterium est, cui non accreuerit vicus, seu oppidum.

Sufficiat in genere dixisse: in incredibili penè Monasteriorum, tam quæ superant, quam quæ destructa iam sunt, per Imperium & Germaniam vtramque multitudine, vix vllum vspiam (certè quam paucissima) extitisse, cui non ipso; vel proximo certè loco, vicus, pagus, ciuitas, siue oppidum aliquod accreuerit, confluente eo, religionis ergo, populi frequentia, & seruorum DEI habitaculis, sua adiungentia, quo & propiores Pastoribus & Patribus tam pijs oues & filij essent, & basilicas, irremisso, penè tam nocte quam die, Diuino Officio, beatas, beati ipsi frequentius inuiserent, & cum ipsi, tum liberi, à Magistris optimis commodius instruerentur, atque educarentur.

Plæreq. Vrbes adiunguntur Cœnobijs.

Vt nihil de ijs Vrbibus locisque celebrioribus dicamus, quæ alia occasione, vel per nostros constructa, vel restituta, vel certè ab interitu, & sæpè prodigiosè vindicata sunt, quorum exempla quamplurima eaque admiranda, cùm in Annalibus nostris Benedictinis, tùm in Menologio Magno Ordinis, & nonnulla etiam in præsenti opere maximè cum de Episcopatibus ageremus, attulimus, quibus percensendis modo supersedemus, & ad ea alibi perquirenda, curiosiorem lectorem remittimus.

Merita nostrorum de Vrbibus.

Certè, vt vel præcipuarum Germaniæ Vrbium aliquas perstringamus: debuit initia sua & splendorem omnem Argentoratum; debuit amplitudinem Reginoburgum, ab Arnulpho Cæsare pro honore S. Emmerami dilatatum, & eiusdem Monasterio donatum; debuit Augusta fortunam & vigorem Diuis Victerpo, Simperto, & Vdalrico præcipuum.

Vrbes quid debeãt Monachis.

Initia sua debuit Vvillibaldo primo Episcopo suo Aichstadium; Bamberga in Franconia, Mersburgum in Saxonia suspi-

cit

cis conditorem Sanctum Henricum Cæsarem nostrum. Idem debet Frisinga Corbiniano, Vvormatia restituta S. Burcardo; Idem Leodium Beato Notkero; idem Laubium cognomini Cœnobio; Hamburgum præcipuam suam gloriam debet S. Ansgario: similiter debuit Brema Vvillehado, Moguntia Bonifacio, Magdeburgum S. Adalberto, Aldeburgum S. Vicelino, Erfordia S. Adelario, Frislaria S. Albuino, Herbipolis Diuis Chiliano & Burcardo, Hildesia vulgo Hildesheim, SS. Altfrido & Gotthardo, Minda Helinvvardo, Misna Bennoni, Mechelburgum S. Ioãni, Monasterium Ludgero? Tornacum Eligio, Antuerpia Vvillibrordo, Vverda Suitperto, Vltraiectũ Gregorio & Radbodo, &c. vt si singulorum de his solis vrbibus nedũ tot aliorum de tot alijs, grauissima designare merita satagamus, nouam omnino & multo prolixiore, quã præsens sit, opere, telã cõtexere cogeremur.

Restituuntur obstrictissimæ Vrbes.

Impossibile omnes enumerare.

Solius, omnium loco, Constantiensis Diœceseos vrbes, & oppida aliquot præcipua, nominemus, quæ præcipuam fortunam, amplitudinem, siue initia sua Monachis accepta retulere; quo ex numero, de reliquis Germaniæ vrbibus eorumque origine, submetiaris. Ex his, ipsa Diœceseos, Acronijque magni lacus, & Rheni superioris Metropolis Constantia, multis olim cladibus tam sub Alemanniæ Regum, quam Consulum Cæsarumq. Rom. Imperio, attrita, conuulsa, & humiliata, diuersorum ex Ordine nostro Episcoporum opera, sæpius subleuata, duplo & triplo ampliata, insigniter ornata, Salomonis inprimis Gebhardi Senioris, S. Conradi, & S. Gebhardi Iunioris, nec non aliorum Monachorum eius loci Pontificum sumptibus, in eum quem hodie præsefert splendorem, & magnitudinem excreuit, plurimis alijs beneficijs ab ijsdem æternum deuincta atque obligata.

Sola Diœcesis Constantiensis quot vrbes Monachis debeat.

Constantia ipsa, ampliata per Monachos.

Tigurum amplissimi tractus & ipsa Metropolis, vicus olim Regius, condito illic Sanctorum Felicis & Regulæ Cœnobio, eidem mirè pauló post accreuit, & tanta euasit, vt indubiè princeps inter omnes Helvetiæ vrbes habeatur.

Tigurũ originem nobis debet.

LVCERNA proxima Tiguro dignitate, & ipsa incunabula Cœnobio Murbacensi debuit, in quorum Tutela, sub Diui Leodegarij nomine cum ibidem Cœnobium conditum esset, concursu vicinorum religionis ergo facto, plurimis ibidem sedem figẽtibus, nobilis illa vrbs consurrexit.

Lucerna initia.

S. Galli oppidum à nostris conditum.

Sancti Galli opulentissima ciuitas, initia sua, muros, valla, fossas, opes, omnia, se ipsam Diui Galli Abbatibus, & Cœnobio debuit, à quibus constructa, munita, ornata, & diligentissimè curata fuit, donec Hæresis suaderet, ingratam esse, serpentum more matris viscera rodere, ventrem rumpere, & quidquid posset deinceps in benè meritam matrem, hostiliter machinari, & agere.

Schaffhusa initia.

Schaffhusa opulentissima similiter, & situ oportuna ciuitas, Monasterium omnium Sanctorum ibidem Matrem, & altricem habuit, quo in loco, cum vnica prius casa nautica fuisset, constructo ibidem Cœnobio, tanta se paulo post ciuium multitudo addidit, & Monachorum arbitrio submisit: cuius tamen haud aliam denique gratiam Cœnobium, quam Diui Galli, retulit.

Abbatiscella.

Abbatiscella inter 13. præcipua Confœderatorum Heluetiæ loca, haud minus suæ fortunæ auctoribus ingrata, Abbatum, & ipsa denique sub initia Zvvinglianæ Hæreseos iugum excussit, & funestissimo odio in optimè de se meritos S. Galli Cœnobitas exarsit: quid tamen Monachis, & Abbati Sangallensi debeat, ipso suo nomine fateri non desinit.

Episcopicella.

Episcopicella oppidum situ oportunum, ab Episcopo cognominatum, omnem fortunam suam B. Salomoni nostro Augiensi Monacho, primo eius nominis Episcopo debuit, qui illic fundato Canonicorum celebri collegio, locum item celebrem reddidit, cui felicibus incrementis oppidum accreuit, & in hæc vsque tempora ab eodemmet Collegio commoda plurima, & famam meruit.

Cella ad lacum Venetum.

Oppidum Cellense inferius, ad lacum Venetum, originem suam B. Ratholdo nostro Augiensi Monacho, Episcopo olim Veronensi debuit, qui illic sibi primum Cellam condidit, à quo & vsque hodie RATOLPHI-CELLAE cognomen retinuit.

Vvila.

VVILENSE in Heluetia oppidum, conditum, & sæpius restitutum, perpetuo Sangallensi Monasterio totum se debuit.

Liechtenstein.

LIECHTENSTEIN Turgoniæ oppidum, eidem similiter Monasterio, & pari per omnia debito obstrictum fuit.

Rorschach.

RORSCHACHIVM non minus, Sangallensibus item quam prædicta debuit, vt vnum hoc Cœnobium quinque minimum præcipua loca, à se condita sibi vendicet, vt nihil de alijs præstan-

tissi-

tissimis vicis, pagis, arcibus, initia sua eidem debentibus, & referentibus memoremus.

CAMPIDONENSE in Algouia oppidum, initium similiter, incrementa, opes, omnia, Monasterio eiusdem nominis transcribit, & tamen velut ignorans, hostiliter, & impiè in matrem vim omnem & vires exerit.

Campidonē.

MONASTERIENSEM, prope Diui Trudperti, ciuitatem, pridem quidem vis hostilis euertit, quæ prope Monachos, & eorum gratia condita diu floruit, è cuius cineribus STAVFFENSE oppidum excreuit, quod & ipsum hodie à Suecis postrema ætate, & tempestate nostra exustum perijt; debiti tamen sempiterni memoria cœlo inscripta, & libris remansit.

Monasteriē oppidum.

Blauburanum ad Blauum fluuium oppidum, cognomini Cœnobio, quod filij parentibus semper debuit; quod ne agnosceret hodie Hæresis fecit, à qua tam ægrè auerti se sinit, quam promptè olim impietati subscripsit, & mox felix esse desijt.

Blauburan.

Isnense Algouiæ oppidum è vili viculo statim emersit, vbi illic conditum S. Georgij Cœnobium fuit, cui & ipsum, mœnia, frequentiam, felicitatem omnem debuit, hodie, quod debeat, videri erubescit.

Isnense opp.

Vlma Vrbs Imperij opulentissima, Sueuiæ nostræ ocellus, sub cucullo in eum quem hodie Germania suspicit splendorem, & magnificentiam excreuit; quæ cum vicus etiamnum esset, à Magno Carolo Imperatore, cum adiacentibus Monasterio Augiensi, eiusque Monachis donata, ab ijsdem post annos circiter à donatione centum, tempore Otthonis Cæsaris, muris cincta, & contra hostium irruptiones communita est.

Vlma ab Augiensib. murocincta.

Quæ & Augiensibus ad vsque annum Christi millesimum trecentesimum quadragesimum sextum subiecta, cùm aduersis molitionibus plurimis, tum magna denique auri vi libertatem extorsit, quæ ipsa demum libertas ipsi, superiore sæculo, exitio fuit, cum populari libidine nixa atque effusa, sacrorum hominum monita respuit, & excucullati Monachi blanditijs manus dare, quam ad angustam cœli semitam ducentibus, maluit; adeo noxium plerisque fuit à Monachis desciscere, vt in extremum denique præcipitium sua se libertate effunderent, cum stulta impiorum hominum persuasione, sine numero plurimi Sanctissimæ

Quamdiu paruerit.

Præcipitiū.

Matris

Matris Ecclesiæ, & vnicè saluantis Fidei desertores, & proditores efficerentur.

Plurima alia loca à nostris condita. Nec meminisse nunc iuuat, præter tantum vrbium oppidorumque vnius Diœceseos numerum, & alia insuper multo plura eiusdem tractus loca enumerare, quæ vel ipsam item originem suam, vel grauissima alia, & immortalis meriti beneficia à Monachis accepere: cum ex ijs, quæ attulimus satis superque sapienti constare possit, quid de reliqua, & vniuersa Germania sentiendum.

Diuisio Imperij in Circulos. Restaret vltima Imperij in Circulos diuisio; sed quia eadem omnino, quæ in superioribus iam dicta sunt forent repetenda, ipsam solummodo, nequid ad Aquilæ nostræ perfectionem desiderari possit, censuimus hoc ipso operis nostri fine inserendam.

Circulorum sex primùm A. C. 1500. Augustæ Vindelicorum, decem deinceps A. C. 1522. Norimbergæ sunt constituti, tribus quisque è Statibus compositus, Ecclesiasticorum scilicet, Principum sæcularium, & liberarum Imperij Ciuitatum: ij Ordine sic se habent.

Circulus Francicus primus. CIRCVLVS I. Francicus, comprehendit: Episcopos, Bambergensem, Herbipolensem, Eistettensem, Magistrum Ordinis Teutonici, & Præpositum Cambergensem: Principes, Marchiones Brandeburgios, Onoldinos; Comites Hennenbergios, Hohenloios, Erpachios, & Schvvarzenburgios, Barones Limpurgios: Ciuitates liberas, Norimbergam, Rotenburgum ad Tubarum, Vvinsheimium, & Schvvinfurtum.

Bauaricus. CIRCVLVS II. Bauaricus, continet Archiepiscopum Salisburgensem, Episcopos, Ratisponensem, Passauiensem, & Frisingensem: Principes, Ducem Bauariæ, Comites Palatinos Rheni, Landgrauium Leuchtenbergensem; Comites, Ortenburgios; Ciuitates Imperij Ratisponam, & Freystadium.

Austriacus. CIRCVLVS III. AVSTRIACVS: complectitur Episcopos, Tridentinum, Brixiensem, Labacensem, Viennensem: Principes, Archiduces Austriæ.

Sueuicus. CIRCVLVS IV. SVEVICVS: cui subsunt Episcopi, Constantiensis, Curiensis, Augustanus, & multi Abbates in Sueuia. Principes, Dux Vvirttenbergius, Marchio Badensis;

Comi-

Comites, Zollerani, Helffensteinij, Oettingani, Montfortij, Furstenbergij, Ebersteinij, Barones Geroltseckij. Ciuitates: Augusta Vindelicorum, Vlma, Constantia, Memminga, Reutlinga, Eslingum, Heilbronn, Biberacum, Lindouia, Rafenspurgum, Schaffhusa, Halla Sueuorum, Nordlinga, Rottvveil, Kauffburn, Donavverda.

Circvlvs V. Svperior Rhenanvs, habet in se Episcopos, Vvormatiensem, Spirensem, Argentinensem, Basileensem: Principes, Ducem Lotharingiæ, Ducem Sabaudiæ, Comites Palat. Rheni, Spanheimenses, Bipontinos, Landgrauios Hassiæ, Comites Vvaldeccij, Nassouios, Dillenbergios, Saræpontanos, Vvitgensteinios, Falcosteinios, Isenburgios, Leiningios, Rapoltzkirchios, Salmios, Morspurgios, de Hohen-Rechberg, Vveisbaden, Itzstein, & Solms: Ciuitates, Mulhausen, Colmarium, Keisersberg, Argentinam, Hagenoam, Spiram, Vvormatiam, Francofurtum ad Mœnum, Fridebergam Vvederouiæ, TurcKheimium, Vvetzlarium. Huc item relatæ olim, Geneua, Basilea, Losanna, Metis, Tullum, Verdunum.

Superioris Rheni.

Circvlvs VI. Quatuor Electorum ad tractum Rheni, Mogunt. Treuer. Coloniensis, & Palatini. Relati eodem, Comites Palatini, & Magister Ord. Teuton. ratione Confluentiæ; Ciuitates, Moguntia, Colonia, Treueris, Geilnhausen.

Inferioris Rheni.

Circvlvs VII. Vvestphalicvs. Huc pertinent, Episcopi, Paderbornensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Verdensis, Mindensis, Cameracensis, & Vltraiectinus, Abbatia Corbeiæ: Principes: Duces Cliuiæ, & Comites Marchiæ, Duces Iuliaci, Montium, Marchiones Badenses, & Lutzenburgenses, Comites, Emdanus, Frisiæ Orientalis, Seinenses, Manderscheidt, Vvieda, Bentheim, Oldenburg, Schavvenburg, Lippa. Ciuitates: Aquisgranum, Cameracum, Duisburgum, & Lemgouia.

Circ. Vvestphalicus.

Circvlvs VIII. Svperior Saxonicvs. In quo censentur, Episcopi, Misnensis, Mersenburgensis, Naumburgensis, Brandeburgensis, Hauelbergensis, & Lubecensis. Abbates: Salueldensis, & Quedlinburgensis Principes, & Domini: Elector Saxoniæ, Marchio Brandeburgensis, Duces

Superioris Saxoniæ.

Pome-

Pomeraniæ, Principes Anhaltini; Comites Mansfeldij, Schvvarzenburgij, Stolbergenses, Gleichenses, Hohensteinij, & Barones de Tautenberg. Quo etiam olim referebantur Gedanum, & Elbinga.

Circulus Inferioris Saxoniæ. CIRCVLVS IX. SAXONICVS INFERIOR. Cui subsunt, Archiepiscopi Bremensis, & Magdeburgensis: Episcopi, Hildesheimensis, Lubecensis, Suerinensis, Slesuicensis: Principes, Rex Daniæ, ratione Ditionum ad Imperium pertinentium, Duces Brunsuicenses, Lunæburgenses, Lauenburgenses, Mechelburgenses, & Holsatiæ; Comites in Delmenhorst; Ciuitates Lubeca, Hamburgum, Northusium, Mulhusium Thuringiæ, Goslaria, & Gottinga.

Circulus Burgūdicus CIRCVLVS X. BVRGVNDICVS, à Domo nimirum Burgundica institutus, continet præter ipsum Burgundiæ Ducem, præcipuos Belgij Principes; Comites, Egmondanos, Hornanos, & Nassouios in Breda. Atque hæc est CIRCVLORVM S.R.I. descriptio, quæ sola ferè diuisione diuersa à superioribus deprehenditur; quibus singulis, si singuli Tutelares, & æterni Protectores petendi sint, ex Ordine Imperatoris nostri Sanctissimi BENEDICTI, plurimi quamprimum occurrent: FRANCICI quidem Circuli Sancti Chilianus, & Burcardus, Magni Franconiæ Apostoli; AVSTRIACI, Sancti Gisalaricus, & Colomannus; BAVARICI, Diuus Rupertus, & Emmerammus; SVEVICI, Sancti Vdalricus, & Conradus; SVPERIORIS RHENI, Diui AMANDVS; & Arbogastus; INFERIORIS, Magnus ille Germaniæ Archiapostolus Bonifacius, & Hildulphus; VVESTPHALICI, par nobile fratrum, è tot alijs Apostolis nostris, vterque EVVALDVS; SAXONICI SVPERI, Sancti Suitpertus, & Vvigbertus; INFERI, Suitpertus idem proprius, & præcipuus Saxoniæ vtriusque Apostolus, & Magnus ille Ansgarius atque Rembertus; BVRGVNDICI demum, meritissimi illi Claudius Burgundiæ Patronus, & Vvillibrordus Belgij Princeps Apostolus. Vt binos pro singulis, singulis Circulis dederimus, qui singulis, totos Tutelarium manipulos assignare potuissemus, non nostra solùm designatione, siue quæsito Titulo ornatos, sed à tanto decursu sæculorum, motu prouincialium proprio, PATRONOS coopta-

Singulorum Circulorum Tutelares.

Ecce quam illustres Sancti!

Singuli Circuli plurimos habent ex Ordine Tutelares.

cooptatos, religiosissimè semper cultos; & æternis atque ijsdem prodigiosissimis beneficijs verè PATRES PATRIAE agnitos; atque innumeris scriptorum monimentis celebratos.

Patres Patria.

Ne autem prætermisisse quidquam, quod ad magnitudinem Romani spectat Imperij, videamur postremo loco, ipsum Catalogum S. R. I. Ordinum ex Tabulis publicis, & Actis Imperialibus transcribimus, vt vel obiter, ea etiam, quæ posteris temporibus ab Imperio auulsa sunt, ad Benedictinam tamen Aquilam iure perpetuo spectare demonstremus.

ORDINES S. R. I. ROMANO-GERMANICI, siue Status Liberi

Qui, intra annos circiter quadringentos, Ciuitati Germanæ adscripti, Ius Suffragiorum ferendorum in Comitijs, Legum condendarum Generalium, tam Ciuilium quàm Canonicarum, & Magistratuum adipiscendorum in Imperio obtinuerunt, &cet.

Syllabus Statuum Imperij.

Desumpti ex Tabulis publicis, quas Fridericus III. Imperator Augustus, in Comitijs Ratisponensibus A. C. 1471. conscribi, & in Acta Imperialia referri mandauit; nec non ex Recessibus, & Matriculis, quas vocant, Imperij varijs tam Veteribus quàm nouis apud Goldastum, Bertium, &c.

IMPERATOR CÆSAR AVGVSTVS.

REX ROMANORVM AVGVSTVS.

Archiprincipes Electores.

ARchiepiscopus Moguntinus S. R. I. Archicancellarius per Germaniam.

S. R. I. Electores.

Archiepiscopus Treuerensis S. R. I. Archicancellarius per Galliam, & Regnum Arelatense, &c.

Archiepiscopus Coloniensis S. R. I. Archicancellarius per Italiam.

Rex Bohemiæ S. R. I. Archipincerna.
Comes Palatinus Rheni S. R. I. Archidapifer.
Dux Saxoniæ S. R. I. Archimariſcalcus.
Marchio Brandeburgius, S. R. I. Archicamerarius.

R E G E S.

Reges.

Rex Franciæ ſub Anglis.
Rex Vngariæ.
Rex Poloniæ.
Rex Angliæ.
Rex Scotiæ.
Rex Hiberniæ.
Rex Daniæ.
Rex Sueciæ.
Rex Norvvegiæ.
Rex Dalmatiæ.
Rex Croatiæ.

Archiduces, quo ſoli hodie titulo Auſtriaci Principes inſigniuntur, longè autem ante illos Carinthiæ Duces, ijdem à Caroli Magni ætate Archiduces appellati ſunt.

Magni Duces.

Magni Duces.

Magnus Dux Burgundiæ.
Magnus Dux Lithuaniæ.
Magnus Dux Sileſiæ.

Patriarcha.

Archiepiſcopus Aquilegienſis, ſiue Aquileienſis.

Primates.

Archiepiſcopus Magdeburgenſis Primas Germaniæ.
Archiepiſcopus Lugdunenſis Primas Galliæ.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopus Salisburgenſis, Legatus Apoſtolicæ Sedis.
Archiepiſcopus Bremenſis in Saxonia.
Archiepiſcopus Biſuntinus in Burgundia.
Archiepiſcopus Gneſnenſis in Poloniæ Regno.
Archiepiſcopus Lundenſis in Dania.
Archiepiſcopus Rigenſis in Liuonia.
Archiepiſcopus Pragenſis in Bohemia.

Magnus Magiſter.

Magnus Magiſter Ordinis Teutonici in Boruſſia.

Epiſcopi.

Epiſcopus Babenbergenſis, qui eſt immediatè ſub Rom. Pont.
Epiſcopus Miſnenſis, qui eſt immediatè ſub Rom. Pont.

Suffra-

Suffraganei Moguntinensis.

Episcopus Herbipolensis, qui & Vvirzburgensis.
Episcopus Vangionum siue Vvormatiensis.
Episcopus Nemetum, qui est Spirensis.
Episcopus Argentinensis, qui & Strasburgensis.
Episcopus Aureatensis siue Eichstettensis.
Episcopus Pragensis. } à Carolo IV. in Archiepiscopatum translati.
Episcopus Olomucensis. }
Episcopus Constantiensis ad Rhenum.
Episcopus Curiensis in Rhætia.
Episcopus Vverdensis in Saxonia.
Episcopus Augustanus in Vindelicia.
Episcopus Hildesheimensis in Saxonia.
Episcopus Paderbornensis in Vvestphalia.
Episcopus Halberstadensis in Saxonia.

Episcopi German.

Qui sequuntur Suffraganei sunt Treuerensis.

Episcopus Mediomatricum, qui Metensis.
Episcopus Viridunensis.
Episcopus Leucorum, qui Tullensis.

Qui sequuntur Suffraganei sunt Coloniensis.

Episcopus Tungrorum, qui Leodiensis.
Episcopus Mimingerodensis, qui Monasteriensis.
Episcopus Traiectensis in Hollandia, qui Vltraiectinus.
Episcopus Mimindonensis, qui Mindensis.
Episcopus Osnaburgensis in Vvestphalia.

Episcopi.

Qui sequuntur Suffraganei sunt Aquileiensis.

Episcopus Taruisinus in Marchia Veneta.
Episcopus Polensis siue Polanensis in Histria.
Episcopus Tergestinus, Triestensis in Histria.

Qui sequuntur sunt Suffraganei Magdeburgensis.

Episcopus Martisburgensis, qui Merseburgensis.
Episcopus Mœsianus, qui Michtensis.
Episcopus Neopolitanus, qui Naumburgensis, olim Citizensis.
Episcopus Brennopolitanus, qui Brandeburgensis.
Episcopus Hauelburgensis.

Episcopi.

Qui sequuntur Suffraganei sunt Iuuauenses, siue Salisburgenses.

Episcopus Reginoburgensis seu Ratisponensis.
Episcopus Laureacensis, qui Patauiensis seu Passouiensis.
Episcopus Tridentinus.
Episcopus Brixiensis in Tiroli.
Episcopi Germani. Episcopus Fruxinensis, qui Frisingensis.
Episcopus Chiemensis, qui Chiemseensis.
Episcopus Goricensis, qui Gurcensis, in Carinthia.
Episcopus Seccouiensis, qui Segouiensis.
Episcopus Lubianus, qui Lauantinus in Carnia.
Episcopus Fabianensis, qui Viennensis in Austria.
Episcopus Neostadianus, qui tamen nondum sessionem, quod sciam, in Comitijs habuit.

Sequuntur Suffraganei Hammaburgenses siue Bremenses.

Episcopus Vagrianus, qui Lubeccensis, olim Aldenburgensis.
Episcopus Suerinensis in Megalopolia.
Episcopus Libussinus in Brandeburgia.
Episcopus Schlesuuicensis in Dania.
Episcopus Caminensis in Pomerania.
Episcopus Raceburgensis in Megalopolia Obotritorum.

Qui sequuntur, sunt Suffraganei Bisuntinenses siue Burgundici.

Episcopus Rauracorum, qui Basileensis.
Episcopus Lausannensis.
Episcopus Bellicensis, vulgo Bellitz.

Suffraganei Gneznenses.

Episcopi. Episcopus Vratislauiensis.
Episcopus Plocensis.
Episcopus Leslauiensis.
Episcopus Varmiensis.
Episcopus Cracouiensis.
Episcopus Poznaniensis.
Episcopus Lublinensis.

Suffra-

Suffraganei Lundenses.

Episcopus Rigensis.
Episcopus Arusiensis.
Episcopus Otthoniensis.

Suffraganei Archiepiscopi Rigensis.

Episcopus Curlandensis.
Episcopus Reualiensis.
Episcopus Oeseliensis.
Episcopus Tarpatensis. *Episcopi sub Imp.*

Suffraganei Archiepisc. Pragensis.

Episcopus Olomucensis.
Episcopus Lutomischlensis.
Episcopus BlizimensKianus.

Suffraganei Archiepiscopi Rhemensis.

Episcopus Cameracensis.
Episcopus Atrebatensis.
Episcopus Morinensis, seu Morinorum.
Episcopus Tornacensis.
Episcopus Audomaripolitanus.

Suffraneus Archiepiscopi Viennensis.

Episcopus Geneuensis.

Suffraganeus Archiepisc. Tarentasiensis.

Episcopus Sedunensis in Valesia Heluetica.

Suffraganei Archiepisc. Lugdunensis.

Episcopus Cabillonensis. *Episcopi sub Imp.*
Episcopus Matisconensis.

Episcopi sub Ordine Teutonico.

Episcopus Ermlandiensis.
Episcopus Heilsbergensis,
Episcopus Culmensis.
Episcopus Premislauiensis.
Episcopus Pomezanensis.
Episcopus Saurlandensis.
Episcopus Risenburgensis.

Alij diuersorum locorum Episcopi.

Episcopus Amersfurdensis,
Episcopus Camoriensis.

Epi-

Episcopus Sanctianus.
Episcopus Dauentrianus.

Vngariæ Archiepiscopi & Episcopi.

Archiepiscopus Strigoniensis.
Archiepiscopus Colocensis.
Episcopus Traguriensis.
Episcopus Agriensis.

Magistri Ordinum Equestrium Principes.

Ordines Equest.

Ordinis Teutonici Magister per Germaniam.
Ordinis Teutonici Magister per Liuoniam.
Magister Ordinis S. Ioannis.

Abbates S. R. I. Principes.

Abbates S. Rom. Imp. Principes.

Abbas Fuldensis Primas Germaniæ & Archicancellarius Romanorum & Germaniæ Augustæ Imp.
Abbas Campidonensis in Almangouia.
Abbas Murbacensis in Alsatia.
Abbas Vveissenburgensis.
Abbas Hersfeldensis.
Abbas Augiæ diuitis ad Rhenum superioris Alemanniæ.
Abbas S. Galli in Heluetia.
Abbas Agaunensis.
Abbas Altorffensis, qui & Vveingarttensis.
Abbas Stabulensis.
Abbas Tudensis.
Abbas Prumiensis.
Abbas S. Cornelij apud Indenos.
Abbas S. Vedasti Atrebatensis.
Abbas Corbeiensis in Saxonia.
Abbas Cluniacensis.
Abbas Salfeldensis.
Abbas Vverdensis.
Abbas Garsecnsis.

Præpositi S. R. I. Principes.

Præpositi Principes

Præpositus Vveissenburgensis. olim Abbas.
Præpositus Eluacensis. olim Abbas.
Præpositus Berchtoldsgadensis.

Abba-

Abbatissæ S. R. I. Principes.

Abbatissæ S.R.I. Principes.

Abbatissa Tigurina SS. Felicis & Regulæ.
Abbatissa Quedlinburgensis.
Abbatissa Essensis.
Abbatissa Gandersheimensis.
Abbatissa Gerenrodensis.
Abbatissa Herfordensis.
Abbatissa Andlouiensis.
Abbatissa Buchouiensis.
Abbatissa Seccauiensis vulgo Seckingen.

DVCES S. R. IMPERIO COMPREHENSI.

Angriæ, vulgo Engern.
Barrensis.
Bauariæ Super. & Imper.
Brabantiæ.
Britanniæ.
Brunsuuicensis.
Bullionæus.
Caballorum.
Carniolæ.
Cliuiæ.
Cuiauiæ.
Dithmarsiæ.
Franconiæ.
Gloggouiæ.
Iaurensis.
Iuliaci.
Limpurgi.
Louanij.
Lucemburgi.
Massouiæ.
Mechelburgi.
Munsterbergenses.
Oluuicensis.
Plocensis.
Arschottanus.
Bartianus.
Bergensis.
Brigensis.
Brunnensis.
Breiss.
Buthuniensis.
Carinthiæ.
Cassubiorum.
Crosnæ.
Dalmatiæ.
FalcKenburgi.
Geldriæ.
Holsatiæ.
Iagerndorffensis.
Lignitij.
Lotharingiæ.
Lauenburgensis.
Lunæburgi.
Massæ.
Meraniæ.
Olsnicensis.
Opeliensis.
Pomeraniæ.

Ratis-

Duces Imp.

Ratiboriensis.	Radziuil.
Sabaudiæ.	Saganensis.
Sandomiriæ.	Schlesuicensis.
Schvveidnizensis.	Stetinensis.
Stettnauiensis.	Styriæ.
Stormariæ.	Strelicensis.
Sueuiæ.	Teccensis.
Teschinensis.	Troppauiensis.
Vadimontanus.	Vendiæ.
Vratislauiensis.	Vvestphaliæ.
Vvirttenbergiæ.	Vvolgasti.
Zbarauiæ.	Zaeringensis.
Znoymensis.	

Landtgrauij S. R. I. Princes.

Landtgrauij.

Alsatiæ Super. & Infer.	Thuringiæ.
Hassiæ.	Leuchtenbergensis.
Franconiæ.	

S. R. I. Marchiones Principes.

Marchiones.

Misniæ.	Ostlandiæ.
Landspergenses.	Morauiæ.
Lusatiæ.	Budissinæ.
Gorlitzij	Badenses.
Hochbergenses.	Rottelenses.
Cambenses. vulgo Cham.	Vochburgij.
Histriæ.	Burgauienses.
Segusienses.	Stadenses.
Antuerpienses.	Numeniæ.
Franchimontani.	Pontamussonij.
Salutiarum.	

Principes alij S. R. I. Sæculares.

Princeps Delphinatus.	Anhaltinus.
Hennenbergensis.	Rugiensis.

S. R. I. Principes.

Principes.

Cabillonensis.	Orengiæ.
Sedani.	Pedemontij.
Veronensis.	Vicentinus.
Sueuiæ.	Chymaij.

Arem-

Arembergensis. Rosenbergensis.
Transiluaniæ. Vvalachiæ.
Moldauiæ. Mansfeldiæ.
Liechtensteinij.

S. Rom. Imp. Burggrauij.

Norimbergensis. Magdeburgensis.
ZorbecKi. Misnensis.

Burggrauij.

S. R. I. Comites Principes.

Altisiodorensis. Altorffensis (in Saxonia)
Altorffensis Comes & Princeps Sueuiæ, siue Alemanniæ.
Artesiæ, vulgo Arthois. Ascaniæ.
Boloniæ. Burgundiæ.
Campaniæ. Ciliæ.
Croatiæ. Flandriæ.
Goritiæ. Habspurgi.
Hannoniæ. Hennenbergensis.
Hollandiæ. Kyburgi.
Merseburgi. Niuersij.
Pictauiæ. Prouinciæ,
Scepusij. Scheyrensis.
Selandiæ. Siculorum in Vngaria.
Sulzbaci. vulgo ZacKler.
Tyrolis. Vvettini.
Vvirttenbergensis. Vvittelspacensis.

Comites Principes.

Domini Principes, siue Principibus pares.

Rostochiensis. Stargardensis.
Frisiæ. Marchiæ Venetæ.
Portus Naonis. Mechliniæ.
Molini. Salinarum.
Pressæ. Zerbesti.
Badenvveiler. Neoburgi.
Neostadij. Simmerenses.
Grubenhagij.

Principibus pares.

Abbates Imperij, non Principes.

Alenspacensis. Albensis in Vvirttenbergia.
Balenzaberg. Baienhofensis.
Bebenhausanus, BecKenburgius.

Abbates.

	BlancKenburgius.	Blaubyranus.
	Brinnensis.	Cæsareensis. Kaysersheim.
	Capellensis.	Castellensis.
	Creutzlingensis.	Disertinensis. hodie Princeps.
	Ebersheimensis.	Echternacensis.
	Elchingensis.	Ebracensis.
	Erbacensis.	Einsidlensis. Princeps.
	Fabariensis, Princeps.	Gengenbacensis.
	Grenzlingensis.	Heilbrunnensis.
	Helmstattensis.	Herdeshausensis.
	Himmelhausensis.	Hirsaugiensis.
Abbates.	Holzhausiiensis.	Ilesheimensis.
	Iletelingensis	Ilirfetanus.
	IlomKomensis.	Isnensis.
	Kunigsbronnensis.	Kunzlingensis.
	Luderensis.	Luneburgensis.
	Maidbrunnensis.	MarcKtallensis.
	Maulbrunnensis.	Maursmunster.
	Manbacensis.	Minderaugiensis.
	Monasteriensis S.Gregorij.	Munchrodensis.
	Murensis.	Noeresheimensis.
	Ocsenhausensis.	Paterniacensis, Peterlingen.
	Pegauiensis in Saxon.	Petershausanus.
Abbates.	RecKenriedanus.	RicKenhausensis.
	Richlinghausensis.	Rittershausensis.
	RocKenburgius.	Rottensis. Munchrott.
	Rottenhausensis aliàs RocKenhausanus.	
	Salbellensis.	Salemitanus.
	Sanblasianus.	Sanegidianus Norimbergæ.
	S. Hemmerammi Ratispon.	S.Ioannis in valle Thurij.
	S. Lucij Curiensis.	S.Matthiæ Treuerensis.
	S. Maximini Treuerensis.	S.Petri Herciniæ.
	SS. Vdalrici & Afræ Augustæ.	S.Vrbani in Heluetia.
	Schaffhusanus.	Schussenriedanus.
	Schutterensis.	Svvarzachensis.
	Seesteinensis.	Steinensis ad Rhenum.
	Tegernseensis.	Vadseerensis.

Vr-

Vrspergensis. VvalcKenriedanus.
Vvaldsachsensis. Vvettingensis.
Yrsinensis. Zimmerensis.
Zuifaltensis.

Præpositi qui non sunt Principes.

Præpositus Saleciensis ad Rhenum, vulgo Sels.
Vvormaciensis. Aquisgranensis.
Odenheimensis. Vvalckenriedanus.
VvaltKirchensis. Vvettenhausanus.
Camburgensis. Alt-Oetingensis.
Xantensis. Tigurinus.
Soloduranus. Lucernanus.
Beronensis. Interlacensis.
Burschedensis. Arnuelensis.
Emchedensis.

Abbatissæ Imperij, quæ non sunt Principes inter Status tamen censentur.

Abbatissæ.

Abbatissa Lindouiensis ad lacum Acronium hodie Princeps.
Abbatissa Superioris Monasterij Ratisponæ.
Abbatissa Inferioris Monasterij ibidem.
Rottenmunster. Schennis.
Heggbach. Baindt prope Vveingarten.
Guttenzell. Kauffingensis.
Vvnschdorffensis. Torensis.

Baliui, seu Commendatores Prouinciales Ordinum Equestrium.

Commendatores.

Commendator Prouincialis Baliuatus Confluentiæ

Commendator Prouincialis.
- Baliuatus Austriæ.
- Baliuatus Alsatiæ & Burgund.
- Baliuatus Athesini.
- Baliuatus Hassiæ.
- Antritziæ.
- Baliuatus Ledessæ.
- Baliuatus Thuringiæ.
- Baliuatus Franconiæ.
- Vveselensis in Vvederauia.
- Althsausanus per Sueuiam.

Magifter Ordinis Equitum· S. Ioannis per Marchiam, Saxoniam, Vendiam, & Pomeraniam.

S. R. I. Comites.

Agennenfis.
Alendorffij.
Altorffij in Bauaria.
Comites. Aquilæ Pennatæ vulgo Arleu.
Arenbergæ.
Artftadij in Turing.
Ballenftettenfes.
Battenburgij.
Beilftainenfes.
Bergenfes.
Bernburgij.
Biberbacenfes.
Bellizenfes.
BlancKeburgij.
Baubenhaufani.
Bogenfes.
Bredani.
Comites. Breuburgenfes.
Bruchenfes.
BruncKorftani.
BurcKhaufani.
Caftellani.
Chamenfes, Chamb.
Claromontani.
Daffelenfes.
Dietzenfes.
Dilingani.
Dhuinæi, feu Dunenfes.
Eberftainij.
Egesheimij.
Comites. Eilenburgi
Erbacenfes.
Finnenfes in Dania.
Frauuenfeldenfes.

Albonij in Burgundia.
Altenburgij.
Andechfij
Arbergæ in Heluetia.
Arnfpergij in Vveftph.
Badenfes in Heluetia.
Barbienfes.
Beichftainenfes.
Bentheimij.
Berfenfes.
Beichlingani.
Bibersdorffij.
Bitzæi, Bitfch.
BlancKenheimij.
Bouuidelij.
Brandifij.
Brennenfes.
Brigantini.
Bruch-haufani.
Budingenfes.
Caluenfes. Calb.
Catimeliboccij.Cazenelēboger
Chymaij.
Dagsburgi, fiue Dachfperga.
Delmenhorftij.
Diepholtij.
Duisburgenfes.
Dornbergenfes.
EcKartsbergenfes.
Egmondani.
Empfiaci, Hoen-Emps.
Falcofteinij.
Finftingenfes in Lotharing.
Fryburgenfes.

Fro-

Froburgenses.
Geilhausani.
Geneuenses.
Gengenses.
Gleichenses.
Granseenses in Heluet.
Gronsfeldenses.
Gruningenses.
Guzgauienses.
Hagenses.
Halsenses.
Hanouienses.
Harttensteinij.
Heilgenbergij.
Herrenbergij.
Hochstadiani.
Hohenbergenses.
Holensteinij.
Hombergij in Heluetia.
Hondeni.
Hohensteinij.
Hornanij.
Isenbergij.
Keuernburgi.
Kirchbergij in Bauar.
Klettenburgij.
Kulenburgij.
Lauffenberga.
Leiningij.
Lenzburgi.
Liebenauij.
Liechtenbergæ in Alsat.
Limpurgi.
Lintenbergæ.
Lobdeburgij in Misnia.
Lohræ in Saxon.
Losenstein.

Furstenbergenses.
Gerhausani.
Gebennenses.
Geravv.
Gleisbergenses.
Groitschenses.
Greuenbergenses.
Griers.
Hadmanspergenses.
Haigerlochij.
Hamburgenses.
Hardeccij.
Habspurgi.
Helffensteinij.
Hirspergenses.
Hohenloenses.
Hoienses.
Holsteinij.
Homburgenses.
Honsteinij.
Horburgenses.
Hupschij.
Isenburgij.
Kirchbergæ in Sueuia.
Kirchbergij in Thuring.
de Kuke vel Kube.
Kunigsteinij.
Laxinenses.
Leisneckij.
Leosteinij.
Liechstallenses.
Liechtenberg. in Thuring.
Lindauienses.
Lippienses.
Loheni Com. in Belgio.
Lorstingen.
Luckæ.

Lup-

Lupfenses.
Manderscheit.
Marcani.
Matisconenses in Burg.
Messenhausani.
Mettburgenses.
Montalt. in Rhætia.
Morenses.
Mullingenses.
Nassouij.
Neoburgi ad Danub.
Comites. Neostadij.
Nidouij in Heluetia.
Obersteinij in Saxon.
Oettingenses.
Orlemundi.
Ost-Frisiæ.
Phalaij in Bauar.
Plaini.
Plutinæ.
Radenbachij.
Rapersuillenses.
Remontij in Sabaud.
Rhingrauij.
Comites. Rhineccij in Heluet.
Rifferschetti.
Rochlitij.
Rorenses.
Rottenburgi in Heluet.
Rottneccij.
Ruckenses.
Rutschendorffij.
Salbini.
Sano. de Sano.
Sarganenses.
Sarfeldij.
Schinenses.

Luzelstein.
Mansfeldenses.
Masaxiæ, siue Mesauci.
Mellingenses.
Metschenses seu Matsch.
Moersij.
Montfortij.
Mosburgij.
Namurcenses.
Neoburgici Neufcastel.
Nevvennarij.
Niddæ, seu Nidani.
Obersteinij in Alsat.
Ochsensteinij.
Orbe in Heluet.
Orttenburgi.
Pfulendorffi.
Pyrmontani; Pfirt.
Pleissenses.
Querfurtenses.
Rapini seu Rupinenses.
Rauenspergenses in Vvestphal.
Retzenses.
Rheinstainij.
Rhineccij in Francon.
Rittpergici.
Rhordorffenses.
Rorsheimij in Frisiæ.
Rottenburgi in Sueuia.
Rottenfelsij.
Runckelij.
Ruxingenses.
Salmenses.
Sarbruggenses.
Sarvverdenses.
Schauuenburgi.
Schlickij.

Schmal-

Schmalneccij.
Schvvanenbergij.
Schvvarzenbergenses.
Schvverinenses.
Solmenses. Solms.
Sonnenbergenses.
Spiegelbergæ.
Sternenbergenses.
Strasbergenses.
Summersburgenses in Saxon.
Tetnangenses.
Thunenses in Heluet.
Tillenburgij.
Torgauiæ in Saxon.
Truhendingenses.
Valendisij in Heluet.
Veldentiæ.
Veringenses.
Viennenses in Prouincia.
Vinplingenses, & Varad.
Vverlenses.
Vualdeccij.
Vualseenses in Saxon.
Vuasserburgi.
Vverdenbergæ.
Vvertheimenses.
Vvest-Frisiæ.
Vviedani.
Vvincenburgi.
Vvinterthurenses.
Vvitgensteinij.
Vvolfratshausani.
Zigenhaimij.
Zollerani.
Zvveibruckenses.

Scharpelouij.
Schvvarzenburgij.
Schvveinsheitenses.
Senogallienses.
Sondershausani.
Spanheimij.
Steinfordenses.
Stollbergenses.
Sulzenses.
Tecklenburgi.
Thiersteinij.
Tiessenses.
Tockenburgij.
Turgauij in Heluet.
Vaduzij.
Velbergenses.
Veldtkirchij.
Viandæ.
Vinarienses.
Vracenses.
Vuagriæ.
Vvaldenberg.
Vvaggenses. Vvangenses.
Vveissenfelsij.
Vveringerode.
Vvesterburgij.
Vvildgrauij.
Vvillisouiæ.
Vvindeccenses.
Vvisbadenses.
Vvoerdenses.
Vvunsdorffenses.
Zimbrenses.
Zutphaniæ.

Comites,

Comites.

Landt-

Landtgrauij qui non sunt Principes, sed in Comitum dignitate.

Landtgrauij.

Baarenses Landtgrauij.
Burgundiæ Helueticæ.
Nebelgouiæ seu Ranckuillæ.
Sisgouiæ.
Suntgouiæ.
Stuelingiæ.
Vvalgouiæ.
Brisgouiæ.
Kletgouiæ.
Nellenburgi.
Steffrungenses.
Susenbergæ.
Turgouiæ.

Burggrauij, qui non sunt Principes.

Altenburgi in Misnia.
Beckelnheimij.
Dhonæ Burggrauij.
Geilnhausani.
Ratisponæ.
Riettenburgi.
Starckenbergenses.
Vvetini in Saxonia.
Altzeæ.
Bisantij in Burgundia.
Fridbergæ in Vvederouia.
Kirchbergæ in Turingia.
Reinecciæ.
Rottenbergenses.
Strumburgij.

Barones, & Liberi Domini.

Barones, & Domini.

Aaruuangenses.
Abenspergenses.
Alpenses.
Apoldæ alijs Apoldiæ.
Arbonæ ad lacum.
Arcuani; ab Arcu.
Arnshagi siue Lobdenburgi.
Aurspaci in Misnia.
Balomphenbergæ.
Barri in Alsatia.
Baumgartten.
Bellmontis.
Bergæ, & Vallæ.
Bickenbach.
Blanckenberg.
Blangeio in Burgund.
Blesingi.
Bonnenses.
Ahausenses.
Alendorffij.
Aldenburgij in Saxon.
Appermontij in Lotharing.
Aarburgi.
Armontij.
Aspermontenses. in Rhætia.
Babenhausani.
Bappenheimij.
Batenburgij.
Bechburgi.
Belp.
Bibersteinij.
Billichdorff.
Blanckenstain.
Blauuenstein.
Bluomeccij.
Bonstetten.

Boues

Boues in Belgio.	Brance in Burgund.	
Brandenstein.	Brederodij.	*Barones.*
Breubergæ.	BrucKbergij.	
Bruneccij.	Buobenbergæ.	
BuchecK.	Buolach.	
Buch-heimij.	Burgelij.	
Busnangenses.	Burglenses.	
Choldizij in Saxonia.	Clemnatenses.	
Degenberg.	Dachstuol.	
	Diessenhofij Dapiferi.	
Droyssigæ.	Eberstallenses.	
EcKij siue ab Egg.	EcKersouij.	
Erenfelsij.	EinsKirchenses.	
Engelbrechti.	ElcKouij.	
Ellerbachij.	Elzij.	
Endenses Barones.	Eppsteinij seu Eppensteinij.	
Eschenbach.	Ettendorff.	
Ezigelheimij.	FalcKenbergij.	
FalcKenstein Alsat.	FalcKenstein Herciniæ.	
FalcKenstein Heluetiæ.	Farvvangenses.	
Feuchtvvangenses.	Finstingen.	
FlecKenstein.	Flūms de Flumine.	
Fraunberg.	Freijensteinij.	
Freybergij.	Fridouij.	
Fronhofen.	Fronsperg.	*Barones*
Frontingen.	Fryburgi.	*Imperij.*
Gemmenses.	Gerauvv.	
Geroltsegg.	Geueræ.	
Giersbergæ.	Girbadenses.	
Gmont Camerarij.	GoesKen.	
Gradetzij.	Grasburgi.	
Graueneggij.	Greyz, Groitz.	
Grimmenstein.	Grunenberg.	
Gundelfingen.	Guttenburg.	
Guettingen.	Habach.	
Hagenouij.	Hagenbergæ.	
Harras.	Hasenburgij.	

Ggg Hassen.

	Haffen.	Haufen.
Barones Imperij.	Hedvvigij.	Heidegg.
	Heldrungen.	Heilingsbergæ.
	Hanchouij.	Herchenfelfij.
	Herfij.	Hohen-Hovven.
	Hilgefleben.	Hinsberg.
	Hohenegg.	Hohenfels.
	Hornberg.	Hunenbergæ.
	Ilfungij.	Irzftein.
	Iuftingen.	Keiferftuol.
	Khuon alijs Kain.	Khienburg.
	Kirchberg.	Klingen.
	Klingenberg..	Knipphaufen.
	Kranichfeld.	Kriechingen.
	Kuningsberg.	Kunigsbergenfes..
Barones Imperij.	KunigfecK.	Laitern, de Scala.
	Landenfeldt.	Landfperg.
	Langenberg.	Langenftein.
	LecK..	Lengentiers.
	Luchtenburg..	Limburg in Sueuia.
	Limburg in Franconia.	Lindeni in Rechumb.
	Litt, alias LicK Vvedderouiæ.	Lohræ.
	Loth-hofeni.	Marckdorffenfes.
	Mechfebreinij.	Mersbergenfes.
	MœfsKirchenfes.	MilcKlingij Burgg. Milchling.
	Mindelheimij Barones.	Minzenbergæ.
	Montenach.	Monz.
	Mulens in Burgundia.	Minfingen.
	Neyffen.	Nernefen.
	Oberhofen.	Orangiæ.
	Palmenfes in Heluetia.	Pemelbergenfes.
Barones Imperij.	Pirfftingen.	Plauueni feu Plauiæ.
	Pirmontani.	Plantaire, de Plana terra.
	Pleffæ in Haffia..	Pflugij in Schvveinperg.
	Polegi in Burgund.	Polheimij.
	Polvveilij.	Preifingen.
	de Prunis.	Pudlizij.

Pufchæ

Puschæ in Rauensperg.
Radebergæ.
Redenachi, RadenacKer.
Raren.
Rauenstein.
Regendorff.
Reichenstein.
Reigelsperg.
Resti in Hasle.
ReupolzKirchenses.
Rieneccenses.
Rinnenberg.
Roccæ siue Rupium.
Rogenbachenses.
Roseneccij.
Russenbergij.
Sensheim.
Salzæ.
Sacci.
Salzvvilenses.
Schaumburgij.
Schellenbergæ.
Schleuitij.
Schrambergæ.
Schuabacenses in Norico.
Schvvanfeldiæ.
Schvvendij in Schaffhausen.
Senserchen.
Sibenbergæ.
Signouij.
Sosburgi.
Staheleccij.
StarcKenbergæ in Saxon.
Stauffenbergæ.
Stieffelmostingiæ.
Strettlingenses.
Taranti.

Quadij in RecKumb.
Radackij.
Rapoltsteinij.
Razuns.
Rechberg.
Regensperg.
Reiffenberg.
Resperg.
Reuchtelbergæ. *Barones.*
Reussen Rutheni.
RincKenberg.
Rimburgij.
Rogendorffij.
Rorbachij.
Rosslauij.
RusecK Heluet.
Sangershausen.
Samerhofen.
Schafferburgi.
Scharffenegg.
ScheleKlingenses.
Schleidenses.
Schnabelbergæ.
Stralenbergæ.
Schuuadenses. *Barones Imperij.*
Schvvarzenpergenses.
Semeruff.
Sepf.
Sidauij.
Schoemburgi in Misnia.
Spiegelbergæ.
Stahenuuerchi.
Stauffen in Brisiaca.
Sternenbergæ.
Stoeffelæ.
Strelauiæ.
Tautenbergenses.

Tegernfeldenses.
Torbergenses.
Tosvvachi.
Trims & Hohentrims.
Trogenses in Heluetia.
Teuffenses.
Vatzij de Vatz. *Barones Imperij.*
Villers.
Vtendorffij.
Vtzingenses.
Vvaldseenses.
Vvarbergæ.
Vvattenbergenses.
Vvarttenfelsij.
Vvasserstelzij.
Vveinspergæ.
VveisKirchij.
VveuelincKhofen.
Vvildensteinij. *Barones Imperij.*
Vvinnenbergæ.
Vvissenses.
Vvitte.
VvolcKensteinij.
Vvolhausani.
Vvulfflingenses.
Zanouiæ.
Zlusselbergæ.
Thurn, & Vvallis.
Toeringenses.
Trauus-nicht.
Trinbergenses. fortè Triberg.
Truchburgi.
Teuffenbergenses.
Vergij in Burgund.
Vuiblispurgi.
Vlamontij in Vuestria.
Vvaldtpurgij.
Vvannēberg. al. Vvnnenbergij.
Vvartenses. de Vvartt.
Vvarttenbergenses.
Vvasserburgenses.
Vvedischvveilij.
Vveissenhornenses.
Vverdæ in Bauar.
Vvermunt.
Vvietlienspaci.
Vvildenfelsij.
Vvipern.
Vvissenburgenses.
Vvittermulenses.
Vvoldenburgi.
Vvoltemrodæ.
Vvurmenstettenses.
ZelcKingenses.
Ynburgij.

Aduocati, vulgo Voegt, qui Baronibus æquiparantur.

Aduocatus, aliàs Vogt ab Augspurg.
Aduocatus Aquisgranensis. Vogt ab Ach. *Aduocati vulgo Voegt.*
Aduocatus Turegiensis in Heluetia.
Aduocatus vulgo Vogt ab Honoltstein aliàs Hundstein.
Aduocatus vulgo Vogt de Monte.
Aduocatus Bethuniæ in Flandria.
Aduocatus in Vvendelstein.

Equi-

Equites (Ritter) qui Baronibus æquiparantur.

Societas Equitum S. Georgij in Sueuia.

Ordo Equestris in Hegouia.

Equites de Gerlasfsee. Equites de Fridperg.

Equites Illustriores.

Equites de Baden. Equites de Geilnhausen.

Equites Aurei Velleris in Imp. Equites ab Andlouu.

Equites de Meldingen. Equites de Strondeck.

Equites de Rosenberg. Pincernæ de Vvinterstetten.

Nobiles de Planitz in Misnia. de Plato in Saxonia.

Nobiles ab Erenberg. Nobiles de Stainach.

CIVITATES LIBERAE IMPERIALES, ET PROVINciales, quæ, & immediatè Imperatorem saluis cæteris iuribus recognoscebant, & partim adhuc recognoscunt: exscriptæ ex Matriculis, & Actis Imperialibus.

Abbatiscella, vulgo Appenzell. Aglisfeldia seu Agelsfeld.

Altenburgum in Misnia. Alena.

Amersfordia. Ambsterodamum.

Andlouia. Andernacum.

Antuerpia. Aquilegia vulgo Aglar.

Ciuitates Liberæ.

Aquisgranum. Arelatum.

Argentina seu Argentoratum. Asburgum alijs Aschenburgũ.

Aschaffenburgum. Augusta Vindelicorum.

Bacheracum. Bamberga.

Basilea Rauracorum. Brema.

Berna Heluetiorum. Bernheimium.

Biberacum. Biela siue Bienna.

Bingia ad Rhenum. Bisantium in Burgundia.

Bonna ad Rhenum. Boppardia.

Bopfinga. Brackela.

Bremgartum in Heluetia. Brisacum.

Brixina. Brunsuicum.

Buchornium. Buchaugia Buchovv.

Ciuitates Imp.

Budissinum in Lusatia. Cameracum in Flandria.

Campena in Hollandia. Campodunum in Algouia.

Cella in Hammarspaco. Chemnitium in Misnia.

Ciuitates Liberæ.

Colonia Agrippina.
Confluentia ad Rhenum.
Corbeia in Saxonia.
Curia Rhætorum.
Dauentria. Deuenter.
Dinckelſpuhel.
Duchatum.
Egra ad Syluam Bohemicam.
Eimbeca.
Elbinga in Boruſſia.
Eſslinga.
Forchemium.
Francofurdum ad Mœnum.
Freiſtadium.
Friburgum in Vchtlandia.
Frideslaria.
Fulda.
Gemunda in Sueuia. Gmundt.
Gengenbacum.
Giengen.
Goslaria.
Gotzaugia vulgo Gotzauvv.
Groninga.
Hala Sueuiæ.
Halberſtadium.
Hannouera.
Haidesfelden.
Hemgouia.
Hersfeldia.
Hildeſia, Hildesheim.
Ingelheimium Superius.
Iſenum ſiue Iſna in Sueuia.
Kauffmann Sarbruck.
Landauium.
Loſanna in Heluetia.
Lauternburgum.
Leodium.

Columbaria.
Conſtantia ad lacum Potamū.
Cracouia in Polonia.
Dantiſcum in Boruſſia.
Diepacum. Diepach.
Donauuerda ad Danubium.
Dusburgum ſeu Duiſburgū.
Ebenheimium ſuperius.
Eiſenacum in Thuringia.
Erfordia.
Eſſenum ſiue Eſſendia.
Franckenſtein.
Francofurdum ad Oderam.
Friburgum in Briſaugia.
Fridberga in Vvedderauia.
Fruxinum.
Geilnhauſen.
Geneua.
Gerenrodia.
Glarona in Heluetia.
Gottinga.
Griphiſuualdia.
Grumberga al. Gumberga.
Hala Saxoniæ.
Hamburgum.
Heidelberga.
Heilbrunna.
Herbipolis: vulgo Vvirzburg.
Hervvordia.
Horna.
Ingelheimium inferius.
Kauffbura.
Keiſersbergium.
Lauginga.
Lautera, Keiſers-Lautern.
Lemgouia.
Leutkirchium in Algouia.

Lim-

Limpurgum ad Rhenum.
Lindouium ad Potamum.
Loupa.
Lubeca, Leopolis.
Lucerna Heluetiorum.
Lugdunum Galliæ.
Lunæburgum.
Magdeburgum.
Marcodurum.
Marpurgum in Hassia.
Martisburgum, Merſpurg in Turingia.
Mechlinia.
Memminga in Sueuia.
Metis, ſeu Mediomatrices.
Mindenum.
Moguntia.
Monaſterium in Vveſtphal.
Monaſt. in valle S. Gregorij.
Mulhauſium in Suntgouia.
Mulhauſium in Thuringia.
Narua in Liuonia, ſeu Ruſſia.
Naumburgum.
Neoſtadium.
Neoburgum Rauracorum.
Neomagum in Geldria.
Norimberga.
Northeimium.
Northuſium.
Nortlinga, Nordlingen.
Nugardia in Ruſſia.
Nuſſia, vel Noueſium.
Oderheimium.
Offenburgum Alſatiæ.
Oppenheimium.
Oſella in Liuonia.
Paderborna, Padelbrunna.
Patauium. Paſſau ad Danub.
Pfulendorffium.
Praga in Bohemia.
Quedlinburgum.
Ratiſpona. Regenſpurg.
Ratſtadium.
Rauenſpurgum in ſuper. Alemannia.
Reualia in Liuonia.
Reutlinga in Sueuia.
Rheinfeldia.
Riga in Liuonia.
Roſsheimium.
Roſtochium.
Rottenburga ad Tubarum.
Rottuilla.
Rubeacum Ruffach.
Salisburgum.
Salodorum.
Sancti Galli, Gallopolis.
Schaffhuſium.
Schleſuicum in Dania.
Schvveinfordia.
Sedunum in Valeſia.
Selenſtadium.
Selingenſtadium ad Moenum.
Spira Nemetum.
Stadenum in Saxonia.
Suitium in Heluetia.
Sunda quæ & Straleſunda.
Suolla in Hollandia.
Suſatum.
Tarbatum in Liuonia.
Thorunum in Boruſſia.
Tigurum in Heluetia.

Ciuitates liberæ.

Tre-

Tremonia.	Treueris.
Tugium in Heluetia. Zug.	Tridentum.
TurcKemium in Alsatia.	Tullum.
Vberlinga ad Acronium.	Valentianæ in Hannonia.
Verda Saxonum.	Veldtkirchium.
Verdunum Lotharingiæ.	Verda Sueuiæ, Donouuerda.
Vesalia inferior apud Iuliacos.	Vesalia superior ad Rhenum.
Viennæ Prouinciæ.	Vienna Austriæ.
Vltraiectum Hollandiæ.	Vlma.
Vrania.	Vndervvalden.
VvalcKenrieda.	Vratislauia.
Vvarburgum siue Marthburgũ	Vvangena in Algouia.
Vvila Turgouiæ.	Vvetzlaria.
Vveissenburgum Nortgouiæ.	Vveila Sueuiæ, Vveilerstatt.
Vvimpina, Vvimpfen.	Vveissenburgum ad Rhenum.
Vvismaria.	Vvindesheimium.
Zofinga.	Vvormatia, Vvorms.
	ZuicKauia.

Ciuitates liberæ.

Ecce breuem totius Imperij Ordinum designationem: quam si ab initio ad finem vsque repetere velimus & cuicunque Statui, quæ Monachis in acceptis referre debeat distinctius assignare, haud dubium est, opus vt magni laboris, sic & molis fore, quod nunc quidem, etsi in promptu pleraque habeamus, supersedemus de industria, & melioribus annis reseruamus, synchronos semper & oculatos testes, quin & ipsorummet plerunque verba & testimonium, de quibus agitur, adducturi, nequidquam arrogare potius nobis, quam solidis niti argumentis & fundamento videamur.

Omnes Status Monachis obstricti.

Certè, vt nulla Vrbium, nedum prouinciarum, sic neque familiarum aliqua fuit, vetustioris nominis atque in Imperio æstimationis, quæ non vnum alterumve, sæpè decem ac viginti ex Ordine, siue in Ordine ac familia, Magni Archiducis Monachorum BENEDICTI singularia suæ ditionis, siue generis ornamenta meruerit. vt taceam quanta, tanto decursu sæculorum beneficia acceperint, cum præter illatum plerisque prouincijs Fidei lumen, optimas iuxta leges, liberalium artium studia, traditionis monimenta, & sexcenta ferè alia, non possint alijs quam

Monachis adscribi, quorum vsque hodie, & ad omnem sæculorum posteritatem, ipsa id loquuntur & testantur opera, nunquam perituro, immortaliter meritorum, nomine, cuius tot illustres extant memoriæ, quotquot Imperium omne, imo orbis vniuersus, Bibliothecas numerat, eædem maiorem partem, à Monachis tanto labore, sumptu atque industria omni reseruatæ atque transmissæ posteritati. quo quidem thesauro, digniorem nullus filijs pater reliquit: dignam maximis tantum, & qui æstimare pro dignitate possint, acceptam tantam à Monachis hęreditatem: vt qui viciſſim dotatos à suis maioribus viros tam benè meritos doleat, eorundemque seram de ijsdem participare posteritatem, præter turpissimam ingrati animi notam, sacrilegamque sacri auri sitim, Vvicclefistarum, Hussitarum, aliorumque hæreticorum affinem se prodat erroribus, qui Ecclesiasticos iure omni, per summam iniuriam exutos & possessionibus quibuscunque exturbatos voluere, quasi vero quæ Deo semel consecrata essent, impunè liceret exambire & diripere, neque constaret, quæ DEVS ipse Sacerdotibus, atque Leuitis veteris æui & Testamenti assignasset.

Cæterùm, quæ nostrorum de diuersis, olim etiam Imperio subiectis atque adnumeratis Regnis ac prouincijs, Italia, Arelatensi regione alijsque fuerint merita, prolixius cùm in Annalibus Germaniæ, tùm Ordinis, sed & in Menologio & Chronologia Benedictino-Mariana recensemus, maximè autem in Roseto Benedictino Germaniæ, quo distinctius florem Ordinis per Germaniam, & fructus commendamus, ac præcipuorum Patriæ Cœnobiorum viros illustres, pro cuiusque sacri cœtus honore, in arboribus diuersis, siue efflorescentibus in rosas rosetis, & rigidæ olim Germaniæ spinis, depingimus, adeo turgentibus fructu eiusmodi Monasterijs Fuldensi, Hirsaugiensi, Hersfeldensi, Corbeiensi, Sangallensi, Einsidlensi, Augiensi, alijsque, vt quæuis eiusmodi arbor toti suffecisse & abundasse Imperio videretur, quas quo minus æri incisas, simulque typo explicatas orbi vulgaremus, sola temporum impediti arduitate, meliori reseruamus; nullo alio fine, quam vt tam illustrium Heroum posteritatem, tanto post tantis Maiorum suorum excitatam exemplis & confirmatam, primæuo accensam feruore, toto animo cupiamus;

Distinctius hac alio loco.

Finis & intentio operis.

& partim iam vidimus, nisi tam egregia studia & heroicos conatus, adeo funesta rei Catholicæ calamitas & tempestas intercepisset, pro cuius magnitudine atque diuturnitate, sequuturam quoque pacis tranquillitatem & festiuitatem ominamur, & pio voto Patriæ dulcissimæ apprecamur.

Epilogus.

Iure dicitur Aquila Benedictina.

Ipse Aquila S.P.N.

Vt satis denique demonstrasse & euicisse credamus Sanctissimo Archiduci nostro BENEDICTO, non auito solum sanguinis iure, & primorum Christianorum Cæsarum, maiorum ac cognatorum deuolutione, sed proprijs, ijsque innumeris atque inæstimabilibus meritis eidem Romani Imperij fasces, sceptrum ac diadema deberi, ab eoque, clientelaris Regni insigne, iure optimo, AQVILAM BENEDICTINAM cognominari, imo ipsummet AQVILAM meritissimo titulo, tanquam pari cognomine cum AQVILA IOANNE, DILECTVM DOMINI ab ipso cœlo & Numine salutatum, ab vniuersis appellari, cuius perspicacissimis verèque Aquilinis oculis, non solum non obscura inferiorum orbium Solis claritas obstiterit, sed incomprehensibile illud lumen, grauissimis Theologis testibus, DIVINA ESSENTIA apparuerit, in cuius luminis splendore vniuersum illo terrarum orbem, dignissimus tanto Imperio Imperator, penitissimè perspexerit. Qui & AQVILA IMPERII nostræ, etiam exterius, amictu cuculli & colore imaginem præferens, latissimis illis manicis tanquam alis, orbem inumbrans, protegens, & complexus vniuersum, ex AVREO illo atque AVGVSTISSIMO cœli supremi atque Empirei campo, & pullorum suorum, Ordinis Monachici ferorum germinum, & clientum Imperij amplissimi populorum saluti & commodis intentus, inter alites SERAPHIN, & CHERVBIN (quorum iam olim alis cucullum nostrum viri Sãcti comparauerunt) SPECTATISSIMVS, exhaustissimo suprema ætate Imperio, & in finem vsque sæculorum orbi vniuerso, gratiarum amplissima fluenta, à SPIRITV illo IVSTORVM OMNIVM (quo *plenum* illum SPIRITVS idem summo Ecclesiæ Doctori & Pastori Diuo Gregorio dictauerat) concessa, impertiri non desinit, nec desinet in æternum; cui Diuino iam olim promisso certum fuit: Quod Ordo suus vsq; in finem Mundi durabit, quodq. in eius fine, pro Ecclesia Romana stabit fidelissimè, & plurimos in fide confortabit. Cui proin promisso in finem vsque sæculorum

Oculi verè Aquilini.

Aquilæ vera imago & habitus.

Campus Aquilæ Imperialis aureus.

Supremi alites.

rum

rum Imperij & Orbis Protectori, & partum tot suorum sudoribus & sanguine Imperium, & seram sui sanguinis Cæsarum ANICIORVM AVSTRIADVM posteritatem ipsissimis, quæ initio Aquilæ nostræ posuimus, Sancti Stephani III. Pont. Max. verbis, iterum atque iterum commendamus.

AVE CHRISTI DISCIPVLE, AVE VERI SPONSI AMICE, AVE PRAEDICATOR VERITATIS, ET DOCTOR GENTIVM; AVE LEGISLATOR VNIVERSALIS, AVE ABBA ABBATVM, AVE ARCHIMANDRITA ŒCVMENICE, AVE COLVMNA ORTHODOXIAE. TVVS EGO, ET HI SEPTEM EPISCOPI (liceat immutare tam pauca pro tempore: TVVS CAESAR, TVI ELECTORES SEPTEMVIRI) TVVS CLERVS, TVVS POPVLVS &c. Non patiaris nos quibus tuis excludi; SEDEM APOSTOLICAM PROTEGE: ROMANVM IMPERIVM, ET HOS GLORIOSOS PATRITIOS (Principes tui generis AVSTRIACOS, & proceres Imperij vniuersos) CORPORE TIBI SIMVL ET MENTE PROSTRATOS, AB HOSTIBVS VISIBILIBVS ET INVISIBILIBVS DEFENDE, ET CHRISTO PRO OMNIBVS ORGIAS FVNDE, QVATENVS HIC, ET IN AETERNVM, OMNES TVO MVNERE LAETEMVR. Amen.

VOS IPSI VIDISTIS QVAE FECERIM &c. QVOMODO PORTAVERIM VOS SVPER ALAS AQVILARVM ET ASSVMPSERIM MIHI &c. Exodi 19.

DEVS BENEDICTVS!

Pridie Kalendas Iulij Anno Iubilæi M.DC.L.

De mandato Reuerendissimi Patris Magistri Inquisitoris Generalis Venetiarum, Ego Infrascriptus diligentissimè legi Librum, cui titulus est (AQVILA IMPERII BENEDICTINA Adm. R. P. P. Gabrielis Bucellini Ordinis Cassinensis) nec in eo quidquam reperi Fidei Catholicæ, Christianis Principibus, aut bonis moribus aduersum. In quorum fidem &c.

P. Paulus Greg. Ferrarius Cong. Som. Comm. Theologus, ac pro Sanctiss. Venetiarum Inquisitione Librorum Censor.

Aquila Imperij Benedictina Adm. R. Patris Gabrielis Bucelini Congregationis Cassinensium. fol. 440. recognita à Patre Paulo Gregorio Ferrerio Congreg. Sommaschæ, nihil contra Fidem Catholicam &c. continet.

Ita est Fr. Petrus Marcellinus Folia Commissarius Generalis S. Off. Venetiarum.

INDEX
TOTIVS OPERIS
Tam verborum quàm rerum.

A

Apo-

 306.

obliga-

Feli-

Inno-

Theo-

T

Z

Cæterum de Zaeringiæ Ducibus, & prima Habſpurgenſium Comitum origine, longè curioſiſſima, contra ſexcentos aliorum errores, aſſerimus, è vetuſtiſſimis eiuſdem familiæ apud Ordinis noſtri Monaſteria monimentis, ipſis Fundationum litteris; factiſque diuerſis donationibus, in libro noſtro, de Tribus præcipuis Europæ Principum Familijs, quo eaſdem vno eodemque è trunco, ſeu radice arboris enatas, benedictione Abrahæ verè benedictas à Numine, eo ipſo orbi ſemper vniuerſo, præ alijs conſpicuas fuiſſe, ſolidiſſimis ex omni Hiſtoria argumentis, ratione ineuincibili, Sanctiſſimorum, & Synchronorum plerumque fide, ipſis deniq; eorumdemmet Principum ex atteſtationibus, & verbis, nec non ſigillis, eiſdemq; eorumdem armis gentilitijs, poſſeſſionum deniq; ab vna ad aliam deuolutione, & reuolutione, quam ſynceriſſimè, vti & clariſſimè, demonſtramus atq; comprobamus. Quod ipſum monendum cenſuimus, ne Lectori videamur, in illo tam manifeſto verſari errore, quo nonnulli Habſpurgios à Petroleonibus Romanis deriuarunt, cum ſeptingentis ante eamdem deductionem annis, illi iam plurium per Germaniam noſtram fuiſſent Cœnobiorum conditores, comprobati longè alio iure, & ſocio potius ab antiquitate ipſa, & priſcis maioribus, quam poſtero, ad Diuum P. N. BENEDICTVM pertinere.

Sed iam Sanctorum Ordinis, Beatorum, & fama Virtutis Illuſtrium, qui inter Imperij Germanici decora effloruere, Syllabum aliquem, quorum res geſtas, ſeu elogia in Menologio noſtro, Vepreto Germaniæ Benedictino florente, Ephemeridibus, & Annalibus Mariano-Benedictinis &c. prolixius deſcribimus, ſub finem voluminis huius ſubijciamus: ex quo, quantum Aquilæ Noſtræ ad maiorem adijcere ſplendorem potuiſſemus, appareat, niſi procelloſa hæc patriæ iactatio, & anguſtia rerum ac temporum, conatus noſtros intercepiſſet, ſolatio multorum nomina dantes, dum liceat acta prodere, & tantis exemplis ſeræ conſulere poſteritati.

SYL-

SYLLABVS SANCTORVM, BEATORVM, nec non Virtutis fama illuſtrium aliquot, ex Ordine Diui Patris BENEDICTI Monachorum.

Qui Imperium Germanicum, præ alijs illuſtraſſe videbantur, & cùm Numinis, tum poſterorum amorem meruiſſe.

A

Abel. Archiepiſcopus ex m. Laubienſi.
Abundus m. Villar.
Acca Friſiorum Apoſtolus.
Adalbero C. Kyburg. Epiſcopus Auguſt.
Adalbertus Abb. S. Emmerammi.
Adalbertus m. Altaichenſis.
Adalbertus Abb. S. Emmerammi.
Adalbertus Archiepiſcopus Prag. Mart.
Adaldagus Bremenſ. Archiepiſcop. m. Hildesh.
Adalſendis monialis Marcianenſis.
Adalvvinus Abb. Blandinij.
Adam I. Abb. Lanckheimenſis.
Adamus monachus in LucKa.
Adam Abb. Ebracenſis.
Adelarius Epiſcopus Erfurd. & mart.
V. Adalbero Epiſcopus Vvormat. C. Rhinfeld.
Adelbertus filius Regis Deirorum Apoſtolus Holland.
Adalbertus C. Schomberg m. Bretenaugienſis.
Adelgarius Archiepiſcop. Bremenſ. Apoſt. Gotth.
Adelhardus Abb. Corbei.
Adelhardus monachus Spanheim.
Adelheides Imp. Aug. Vxor Otthonis Magni Imp.
Adelheid. Abb. Villeccenſ.
Adelmus Abb. Aquiſcinctinus.
Adilhelmus Abb. Montis Angel.
Adilia Com. Hannoniæ Abb. mont. S. Martini.
Adelinda Abb. Buchaugiæ.
Adolphus Epiſcopus Oſnaburg. 11. Febr.
Adulphus Epiſcopus Traiectenſis.
Aegil. Abb. Fuldenſis.
Agilolphus Archiepiſcopus Colon. martyr.
Agilus Abb. Resbacenſis Apoſtolus.
Agletrudis m. Gandaui ſoror S. Bauonis.
Agnes m. Ramenæ.
Agnes Imp. Aug. Vxor Henrici III. Imper.
Agnes mon. ſoror S. Hildegundis.
Agnes m. Salſinienſis.
Alardus Saxo m. in LuKa nobilis.
Albericus monachus Gladbacenſis.
Albero Abb. Dunenſis.
Albertus Abb. Tegernſee fratruelis Martelli.

Aut-

Chille-

Ida-

Liber-

Men-

Vvilleicus Archiepiſcop. Bremenſ. Apoſtolus.

Vvillibrordus Epiſcopus Traiect. Friſ. Holl. Apoſtolus.

Vvilligodus diſc. S. Deodati.

Vvimo Archiepiſcopus Bremenſis Apoſtolus Sept.

V. Vvinihardus Abb. Sangall.

Vviro Apoſtolus Belgij mon. Scotus.

Vvolbodo Epiſcopus Leod. Dux Montium.

Vvolfgangus Epiſcopus Ratiſponenſis.

Vvolfgottus Abbas Admontenſis.

Vvolphelm. Brauvveiler. Abbas.

Vvulfrannus Friſiorum Apoſtolus.

Vvunibaldus Abb. Heidenheimenſ.

Vvunnus Archiepiſcopus Bremenſis.

Sed de his Aquilę coloribus atque ornamentis, prolixius in Menologio noſtro alijſque operibus citatis.

AQVILÆ IMPERIALIS diuersæ prouinciæ ad Fidem Christi per Monachos Ordinis Benedictini conuersæ, earumdemque Apostoli.

A

ALgouiæ siue Almangouiæ Apostoli, Sancti Magnus siue Magnoaldus, & Theodorus Abbates.

Alsatiæ Apostoli: SS. Fridolinus Abbas, Leobardus S. P. N. discipulus; S. Amandus, Arbogastus, Iustus, Florentius, &c.

Ambronum, S. Alto, siue Eugenius Scotiæ Regis filius, primus Vveingarttensium Abbas, & ad Gentium conuersionem ordinatus Episcopus, S. Marinus &c.

Antuerpiensium Apostolus S. Eligius Episcopus Nouiomensis.

Argentinæ siue Argentorati, & vicinarum prouinciarum Apostolus S. Amandus mon. Ogiensis: dein Episcopus.

Australium Saxonum Apostolus S. Vvilfridus Archiepiscopus.

Austriæ Apostolus S. Colomannus mon. Mart. & SS. Virgilius, & Vvolfgangus.

B

Badensis Marchionatus Apostolus S. Fridolinus Abbas, & S. Trudpertus frater S. Ruperti.

Batauorum Apostolus S. Suitpertus monachus Bearmensis, & S. Vverenfridus.

Belgij Apostoli: SS. Gislenus, Autbertus, Vviro, Ieron, Amandus, Vvillibrordus, Vincentius, Furseus, Foillanus, Vedastus, Eligius &c.

Bohemiæ Apostoli: SS. Methodius & Cyrillus Monachi S. Andreæ Rom. SS. Adalbertus, Dithmarus, Procopius &c.

Boructuariorum Apostolus S. Suipertus mon. Bearmensis.

Brabantiæ Apostolus S. Vvillibrordus, multarum gentium magnus Tutelaris.

Brandeburgensium Apostoli SS. Suitpertus, Vvillehadus, Vvillibrordus aliique item S. Ioannes primus Episcopus Mechelburgensis.

Bremensium, & populorum vicinorum Apostolus Sanctus Ansgarius seu Anscharius Monachus Corbeiensis.

Brisaugiæ Apostoli SS. Leopardus, Fridolinus, & Trudtpertus.

Brun-

Brunsuicensium Apostolus Sanctus Suitpertus Episcopus.

Bulgarorum Apostoli: SS. Cyrillus, & Methudius siue Methodius.

C

Carinthiæ Apostoli: SS. Virgilius, & Vvolfgangus.

Cliuiæ Apostolus S. Lebuinus.

Coloniensium post SS. Maternum, & Eucharium S. Petri discipulos fuerunt SS. Bonifacius, Suitpertus, & Vvillibrordus.

Croatiæ Apostoli: SS. Cyrillus, & Methudius.

D

Daniæ Apostoli, SS. Ansgarius, Rembertus alijque item SS. Vvimo, Lubentius, Eschillus, &c.

Dauentriensium Apostolus S. Marcellinus monachus Traiect.

Dorstadensium Apostolus S. Gregorius Traiect. mon. & Episc.

E

Eburonum Apostolus S. Amandus Ogiensis Monachus ex Ducibus Aquitaniæ.

Elstensium Apostolus S. Vverenfridus discipulus S. Vvillibrordi.

Embricensium Apostolus S. Vvillibrordus.

F

Faniæ & vicinarum prouinciarum Apostolus S. Vrsmarus.

Flandriæ Apostoli, SS. Eligius Nouiomensis Episcopus, S. Amandus Ogiæ monachus, S. Vrsmarus, S. Vedastus, &c.

Flandriæ occidentalis Apostolus S. Erminus Laubiensis.

Foisteslandiæ siue Foisetestlandiæ Apostolus S. Vvigbertus.

Franconiæ Apostolus S. Chilianus; item S. Burcardus, Episcopi.

Frisiæ Apostolus Magnus Bonifacius, & discipuli: item SS. Vvulfrannus, Suitpertus, Radbodus, &cet.

G

Gandensium Apostolus S. Floribertus Abbas Blandiniensis.

Geldriæ & prouinciarum vicinarum Apostolus S. Vvillibrordus.

Germaniæ magnæ, vniuersalis Apostolus, Magnus Bonifacius, primus Moguntinensis Archiepiscopus mon. Adencastrensis.

Gotthorum siue Gotthiæ Apostoli SS. Ansgarius, Rembertus, Hogerus, &c.

H

Hasbaniæ Apostolus S. Trudo, discipulus S. Remacli.

Hannoniæ Apostolus, S. Vincentius pluresque ab eo ad laborem eumdem ex Ordine euocati.

Heluetiæ Apostoli, Ss. Fridolinus, Columbanus, Gallus, Neodegarius alijque.

Hollandiæ Apostoli Ss. Vvillibrordus, Bonifacius, Ingelmundus, Adelbertus &c.

Holsatiæ Apostolus Sanctus Vicelinus.

Iscla-

I

Iſelanorum Apoſtolus S. Lebuinus.

Iuliacenſium Apoſtolus S. Vvillibrordus, itemque S. Lebuinus.

L

Lycatiorum Apoſtolus Sancto Alto Vveingartenſium primus Abbas.

M

Magdeburgenſium atq; accolarum Apoſtolus S. Adalbertus Senior primus eorumdem Archiepiſc.

Megapolenſium ſiue Mechelburgenſium Apoſtolus, S. Ioannes primus eorumdem Epiſcopus.

Menapum Apoſtolus S. Vrſmarus monachus Laubienſis.

Miſnenſium Apoſtolus B. Gerungus primus eorumdem Epiſcopus.

Montenſium Apoſtolus S. Vvillibrordus Epiſcopus.

Morauiæ Apoſtolus S. Cyrillus, itemque S. Methudius.

N

Neomagenſium Apoſtolus S. Vverenfridus diſc. S. Vvillibrordi.

Noricorum, & Norimbergenſium Apoſtolus s. Sebaldus.

Norvvegiæ Apoſtolus S. Lubentius ex mon. Hersfeldenſi Archiep.

P

Palatinatus Apoſtolus S. Rupertus, vt & Bauariæ vniuerſæ.

Pomeraniæ Apoſtolus S. Ottho Epiſcopus Bambergenſis, & Henricus mon. Vveingarttenſis Dux Bauariæ, & infer. Saxon.

Potami ſiue Acronij lacus, & accolarum ss. Gallus, & Magnus.

Pruſſiæ ſiue Pruthenorum Apoſtolus S. Bruno monachus Magdeburgenſis.

R

Rhætiæ Apoſtoli, ss. Arbogaſtus, & Sigebertus.

Rhenanæ prouinciæ Apoſtoli, ss. Fridolinus, Amandus, Leobardus.

S

Saxoniæ Magnus Apoſtolus S. Vvillibrordus: itemq; ss. Bonifacius, Vvillehadus, Suipertus, Vvicpertus, Tanco, Lullus, &c. duodecim ſimul ſemelque ex Ordine Apoſtoli.

Saxoniæ inferioris, Magnus Apoſtolus S. Vvillehadus, s. Vvilleicus, s. Gregorius Traiectenſis &c.

Sclauorum Apoſtoli, S. Lubentius mon. Hersfeldenſis, s. Cyrillus, s. Methudius, s. Benno.

Septentrionalium prouinciarũ maximus Apoſtolus s. Anſgarius mon. Corbeienſis: item s. Rembertus, s. Vvundi, Amarbaricenſes, & Corbeienſes monachi.

Sicambrorum Apoſtolus s. Lebuinus.

Sileſiæ Apoſtoli ss. Methodius, & Cyrillus.

Sueciæ Apoſtoli, ss. Anſcharius, Rembertus, & ſucceſſores aliqui, omnes Monachi Corbeienſes.

Sueuiæ ac ſuperioris Alemanniæ Apo-

Apostoli, ss. Eligius, Gallus, Theodorus, Magnus, Simpertus, Pirminius &c.

T

Taruanensium Apostolus S. Audomarus monachus Luxouiensis.

Taxandriæ Apostolus, s. Lambertus Episc. Leodiensis.

Theoraciæ Apostolus S. Vrsmarus, mon. Laubiensis.

Tirolis Apostolus s. Rupertus, & s. Alto Abbas.

Traiectensium, & vicinorum Apostolus s. Ludgerus, itemque s. Gregorius, eorumdem Episcopi.

Transiselanorum Apostolus s. Marcellinus monachus Traiectensis.

Treuerorum Apostolus s. Goar monachus Trecoriensis.

Tungrorum Apostolus s. Amandus ex Duce Aquit. mon. Ogiensis.

Turgoiæ, siue Turgouiæ Apostolus, s. Gallus Abbas.

Thuringiæ Apostoli, ss. Bonifacius, & Albuinus.

V

Vectæ insulæ Apostolus, s. Vvilfridus.

Vindelicorum Apostolus, s. Alto Episcopus, & Abbas.

Vlissingensium Apostolus Sanctus Vvillibrordus Episc.

Vasconum Apostolus s. Amandus.

Vvederouiæ Apostolus s. Sturmio Abbas Fuldensis.

Vverdensium Apostolus S. Suipertus Episcopus.

Vvesterfordensium Apostolus S. Vverenfridus.

Vvestphaliæ Apostolus s. Vvilleicus, itemque S. Suipertus.

Z

Zeelandiæ Apostolus S. Vvillibrordus &c.

Sed de alijs diuersarum prouinciarum, & Vrbium Germanicarum Apostolis prolixius alibi, cùm in Annalibus nostris Germaniæ, tum Menologio Ordinis, & libris nostris superius citatis. Ex quorum numero, & meritis appareat, quantum de colore non solum pullo, sed & de Sanguine suo Aquilæ Imperij Germanicæ contulerit S. P. N. eiusque Benedictus Ordo, vt haud immeritò Benedictinam *à tantis parentibus ipsam liceat appellare; toties iuuentute Aquilæ renouatam, quoties deinceps (vti sæpius) à diuersis erroribus, & Hæresibus per nostros erepta est, totque sudoribus, & multo sanguine parta, & vindicata.*

DEVS BENEDICTVS!